BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 G
35

13 – 21 . 6 . 7.

Digitized by Google

1:9b

Google

FR. THOMÆ MARIÆ MAMACHII

ORDINIS PRÆDICATORUM
THEOLOGI CASANATENSIS

EPISTOLARUM
AD
JUSTINUM FEBRONIUM
JURISCONSULTUM

De ratione regendæ Chriſtianæ Reipublicæ, deque legitima Romani Pontificis Poteſtate.

LIBER PRIMUS.



ROMÆ MDCCLXXVI.

Ex Typographia Salvioni.
Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA
VITTORIO EMANUELE

1:[illegible]6

FR. THOMÆ MARIÆ MAMACHII

ORDINIS PRÆDICATORUM

THEOLOGI CASANATENSIS

EPISTOLARUM

A D

JUSTINUM FEBRONIUM

JURISCONSULTUM

De ratione regendæ Chriſtianæ Reipublicæ, deque legitima Romani Pontificis Poteſtate.

LIBER PRIMUS.

ROMÆ MDCCLXXVI.

EX TYPOGRAPHIA SALVIONI.

Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

15

EPISTOLÆ PRIMÆ

Quæ Præfationis loco habenda eſt

ARGUMENTUM.

I. *ROganti Febronio, ut ne quid in ſe minus bona fide, aut aſperius ſcribatur, Mamachius morem ſe geſturum promittit.* II. *Monet, omnem deinceps ſibi de ratione gerendæ Chriſtianæ reipublicæ quæſtionem fore.* III. *Numquam ſe in id certamen fuiſſe venturum confirmat, ſi Febronius, Gallis ſe perpetuo aſſentiri prædicans, vera diceret. Sed contra rem eſſe. Nam Febronium multa probare, quæ notanda merito ſint, quæque ab Eccleſiis Galliarum non erroris modo, ſed etiam hæreſeos arguantur.* IV. *Cenſet, Febronium ipſum, ni quandoque ab Gallis diſſideret (ne ſpecie quidem conciliandorum, cum Catholicis Proteſtantium) quidquam fuiſſe ſcripturum.* V. *Eumdem, ait, neque fuiſſe recte conciliatoris functum munere; neque ordine (ut his de rebus differentem decebat) egiſſe.* VI.

Animadvertit, ſcriptoribus eum plerumque fidere, non minus Monarchis, quam Eccleſiæ inimicis; ipſoſque, jamdiu ab Sede Apoſtolica reprobatos, auctores ſequi. VII. Explicat, quæ potuerint eſſe Febronianæ ſcribendi rationis cauſſæ, demonſtratque, quam hæ ſint infeſtæ Regnis, plenæque periculorum. VIII. Concludit, ab Orthodoxis omnibus, tuendi etiam civilis imperii cauſſa, contra Febronium, ſuſcipi defenſionem Eccleſiaſtici regiminis oportere. IX. De quo quidem regimine, quæ ſequentibus Epiſtolis ſit comprehenſurus, paucis exponit.

EPI.

Digitized by Google

EPISTOLA I.

JUSTINO FEBRONIO

JURISCONSULTO.

THOMAS MAMACHIUS

S. D.

Haud æqua Febronium petere videri: Roganti tamen ut in ſe agatur chriſtiane, Mamachius ſe non ſolum bona fide, ſed moderate etiam adeo ſcripturum pollicetur, ut nihil ſit dicturus, in quo ſit ſpecies ulla, ſuſpicioque injuriæ.

I. INTELLEXI ex Præfatione priore tua, petere Te majorem in modum ab iis, qui Te ipſum *refellere* inſtituerint, ut *id faciant chriſtiane*. (1) Obſecro te Febroni, cura, ut caveas, ne qui iſta legerint, egiſſe te aliquando non *chriſtiane* putent; vererique propterea te, ne ab oppugnatore ullo tuo (qui par pari referendum cenſeat) minus item *chriſtiane* exagitere. Noſti, quid ferat illuſtris S. Auguſtini de ſuſpicioſis locus (2). *Hoc*, inquit ille, *proclivius homo ſuſpicatur in alio, quod ſentit in ſe ipſo*. Quare metuit ple-

(1) Febron. Præfat. in I. volum. operis ſui pag. 42. Edit. Bullioni an. 1763. „ Qui ex privatis, inquit, ad me refellendum ſe accingent, eos obteſtor, ut id faciant chriſtiane „.

(2) S. Auguſtin. in Pſalm. CXVIII. n. IV. pag. 981. Edit. Antuerp. an. 1700.

plerumque qui læſit, ne quibus modis, quaque licentia uſus in alios fuerit, alii perinde in ipſum utantur; neve experiendo intelligat, exitu in ſe confirmatum Evangelicum ρητὸν illud: *in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis* (1). Sed hoc, quam ad te pertineat, tute cogita. Illud nunc ex te quæram, ecquid tibi velis adverbio iſto *chriſtiane*? Nam id ſi rogas, ut ne dicta tua aut vitiem, aut detruncem, aut ſecus efferam, quam tuorum ſcriptorum ſeries, nexuſque poſtulet; equidem ſic tibi confirmo, atque recipio, etſi non hac tu fide contra nos diſputans egeris (qua de re ſane poſt videro); me tamen eſſe perpetuo, in te confutando, ſancte, integreque acturum. Sin autem id velis tibi, ut ne quid in te ſcribatur acerbius; hoc primum (ſi quid uſquam in orthodoxum Dogma, vel in Eccleſiam peccaſti) ſcito, Patres in oppugnatores veritatis (2); Paulum in Elymaſium (3); Chriſtum ipſum in Phariſæos, Scribaſque invectos (4) fuiſſe acriter; nec eſſe Chriſtianorum quemquam tam indignum hoc nomine, quin confiteatur, egiſſe

(1) Evang. Matth. c. VII. v. 2.
(2) Vide Opus inſcriptum: Del Diritto libero della Chieſa. Tom. III. Part. I. Introduz. n. XXIII. ſeqq. pag. 55. ſeqq.
(3) Act. Apoſtolor. c. XIII. v. 6. ſeqq.
(4) Matth. c. XII. v. 34. 39. & alibi ſæpiſſime.

ſe eos *chriſtiane* . Deinde qua tu confidentia tractari te leniter petas ab iis ; quorum non modo univerſe vitam, atque mores ; ſed doctrinam etiam totis voluminibus tam licenter conciderіs ? Tu ſcriptores quarumque gentium (1), qui (uti quidem ſibi perſuaſerant) adſerendæ veritatis cauſſa, operam tuendis, vindicandiſque Sedis Apoſtolicæ juribus dediſſent, velut *rabulas* (2) *adulatores* (3), pecuniæ cupidos (4), inanium traditionum patronos, atque cuſtodes perpetuo inſectare (5). Tu, qui injuriam tibi conflari, ſi minus de te bene quiſquam exiſtimet, clamitas ; tu, inquam, ſic facta, ſcripta, dicta quæque noſtra rapere non dubitas in pejorem partem, ut agere nos (commodi noſtri gratia) minus *aperte*, *minuſque ſincere* (6) *cæco* nos, eoque *maligno zelo* cieri : (7) *ſtudia politi-*

(1) Etiam Germanos. Itaque Colonienſes Theologos „ magnæ inſcitiæ arguit. Tom. II. pag. 5. & Svevicam gentem univerſam ruſticitatis. tom. eod. pag. 157.

(2) Tom. IV. pag. 63.

(3) Præfat. Tom. I. Edit. Bullionii an. 1763. pag. 6. & Tomi ejuſd. pag. 588. & 625. & T. 2. p. 474. §. v. Edit. Francofurt. & Lipſ. an. 1770. ſexcentiſque aliis in locis.

(4) Præf. Tom. I. Præf. pag. 11. & pag. 83. Tom. II. pag. 474. & 556. ſeq.

(5) Præf. T. I. pag. 7. & alibi. Sed quanti Traditiones Romanæ Eccleſiæ Patres fecerint ; poſt a nobis opportunè demonſtrandum erit.

(6) Tom. I. pag. 445. n. 8.

(7) Tom. I. pag. 541. num. 1. „ Cæcus, inquit, & malignus „ zelus fautorum Romanæ curiæ ingenuos aſſertores libertatis „ confundit „.

litica (1), *ineptas fabulas* (2), *ſuperſtitionem* (3) quæſtum præterea noſtrum colere (4): clam in aliena jura invadere (5): *ſcandalorum* (6), turbarum, ſchiſmatum auctores eſſe (7): dubias, eaſdemque vanas opiniones ſtatuere loco Chriſtianorum dogmatum (8), criminere. Tu, quaſi unus omnium maxime ſapias, ea nos conſectari prædicas, quæ *merito exoſum ævum, obſtetricante ignorantia, & ſuperſtitione adjecit, & in deterius mutavit* (9). Tu eos demum ſpiritus, eamque licentiam ſumpſiſti tibi, ut (ni quibuſcum ipſi tibi conveniat), non Curiæ, non Legatis, non Epiſcopis, non Cardinalibus, non Regibus, non Pontificibus Maximis, etſi, omnium conſenſione, doctiſſimis, atque ſanctiſſimis, non Ec-

(1) T.II. pag.123. n.iv. q. 261. & pag. 476. 561. & p.577.

(2) Tom. I. pag. 601.„ Parum „ (inquit, aliquot Principes carpens) „ abeſt, ut aliqui Chriſtianorum Principum præ certis diſpoſitionibus ſeſs.iv. & v. Concilii Conſtantienſis triumphare ſinant ineptiſſimas fabulas Emanuelis Schelcſtratii &c.

(3) Tom. I. pag. 540. §. vii. Ultramontani, inquit, cultum „ ſuperſtitioſum Papæ reddentes, ei ſive ut privatis ſuis commodis ſtudeant, ſive errore, & præjudiciis abrepti, tribuunt prærogativas, quas Jeſus Chriſtus, & ſancta ejus Eccleſia ei non dederunt „. & pag. 470. n. 5. & p.562. n. 2.

(4) Tom. II. pag. 474.

(5) Tom. I. pag. 550.

(6) Tom.I. pag.436. ſeq. & 485.„ Quis, inquit, Eccleſiaſticæ diſciplinæ vel modicum gnarus ex his novitatibus pro parte „ Romanorum, oppoſitionibus ex parte corporis Paſtorum, indeque natis contentionibus, & SCANDALIS, non percipit gravem, & quaſi ſubſtantialem alterationem in Eccleſiaſtica Hierarchia &c? „

(7) Tom. I. pag. 543. num. 7. & T.II. pag. 123. ſeq. 132. 336. ſeq. & 476.

(8) Tom. I. pag. 605. & T.II. p. 362. 360.

(9) Tom. I. pag. 470. n.5. & pag.538. §.vi.

Eccleſiæ ipſi Romanæ parcendum arbitrere. Nam de Curia, quid loquar, quam *audacem*, *ac præſumtuoſam* (1), quare ei eſſe fortiter reſiſtendum (2); *dura cervice* (3); ipſo ſchiſmate culpandam, ac deteſtandam magis (4), vociferaris? *Principiis* quoque eam confidere tam *intolerandis*, ut vi excindenda funditus videantur (5)? *Paſſus* deducere *juri ſacro* infeſtos, & inimicos (6)? Conventus, ſeu Synodos Provinciales perturbare, atque impedire (7) pergere? Conari artibus, ne quæ OEcumenicæ habeantur (8)? Fovere ignorantiam (9)? Tueri, latiuſque producere ſuperſtitionem (10)? *Genio* ipſam eſſe propriæ reformationis *Oſore* (11)? Indefeſſis moliminibus id eniti, ac laborare, *ut graviora reformationis capita ad directionem, nutumque ſuum revocentur*? Pertrahere ad ſe omnia (12); lædere *libertatem*; *dero-*

---

(1) Tom. II. pag. 614. n. XVIII. (2) Ibid.

(3) Tom. II. pag. 151. Confer ibid. veluti plauſtris vecta onera injuriarum.

(4) Tom. II. pag. 214. „ Curiam, inquit, Romanam eſſe „ cauſam horrendi Schiſmatis; proinde ipſo Schiſmate culpan- „ dam, & deteſtandam magis. „

(5) Tom. I. pag. 167. ſeq. §. XI.

(6) Tom. I. pag. 559. ſeq. Tom. I. §. I. „ Semper invigilan- „ dum, & caute attendendum ad omnes Romanæ Curiæ paſſus ve- „ ro juri ſacro contrarios &c.

(7) T. II. pag. 261. & pag. 409. & pag. 550. aliiſque in locis.

(8) Tom. I. pag. 412. n. 6. & 569. n. I. ſecentiſque aliis in locis.

(9) Tom. I. pag. 412. n. 6. 470. n. 5. & 538. ſeqq. & pag. 560. §. VI. (10) Dom. I. pag. 470. n. 5. & pag. 538.

(11) T. I. pag. 413. n. 7.

(12) T. I. pag. 219. & pag. 370. ſeq. n. 10. & pag. 401. n. I. & 559. §. I.

derogareque laudabilibus conſuetudinibus (1) *Eccleſiarum* ; *nundinari ſacra ex uſu Clavium* ; obſtare , ut ne id agant Epiſcopi , idque *exerceant* , quod ipſis competat *Divino jure* (2) ; illigari crimine immanium *uſurpationum* (3) ; *ſanatiſmo* patrocinari (4) ; *deſpotiſmum* inducere (5) ; ream eſſe *abuſuum* ; & (6) conflatorum , conflandorumque deinceps ſchiſmatum (7) ; originem , fontem , cauſam diſſidiorum , malorumque omnium , quæ officiant , quin Proteſtantes , Græci , ceterique heterodoxi , atque ſchiſmatici ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ revertantur (8) ? Quin etiam loca omnia malevolorum hominum , qui invecti acriter in Romanam ipſam curiam fuiſſent , plena criminationum , quam potuiſti diligentiſſime collecta , in quinque ipſa tua volumina convexiſti (9) ; ne quid forte tibi excidiſſe videretur , quod reliquum ad injuriam eſſe poſſet . Quid ? ſi eo demum progreſſus es , ut hæreſeos illam , etſi non *for-*

(1) Tom. I. pag. 395.
(2) Ibid.
(3) T. I. pag. 559. & pag. 559. 572. & T. II. pag. 102. & p. 444. &c. (4) T. I. pag. 538. (5) Præfat. in 2. Tom.
(6) Ibid. (7) T. I. p. 542. & T. 2. p. 132. 330. 555. &c.
(8) Vide Tom. I. pag. 435. ſeq., & pag. 543. ſeqq. & pag. 329. ſeq. Tom. II. pag. 124. n. v. & quæ paſſim totis ipſis quinque Voluminibus Febronianis continentur .
(9) Si omnia hæc deſcribenda eſſent , integra ipſa quinque volumina eſſe huc transferenda viderentur . Interea vide Tom. I. pag. 292. ſeq. 300. ſeq. 329. 377. 379. ſeqq. 334. ſeqq. 393. 402. ſeq. 460. ſeqq. 471. 501. ſeq. 503. 506. 511. &c.

ſormalis (1); inſimularis; *væ* (2) ipſi dixeris; nihilque ſtudii, operæ, laboris, induſtriæ, molitionum omiſeris (3) quibus populum Chriſtianum, Sacrorum Antiſtites, Monarchas denique orthodoxos in eam concitares, quam eamdem nunc, atque olim Eccleſiam Romanam eſſe animadverteras.

Jam Legatos Apoſtolicæ Sedis, meminiſti, opinor, ut *noxios regnis*, dixeris (4); ut adverſos juri Epiſcoporum (5), ut *voragines litigantium* (6), *ut ſubtilium artium* ſtudioſos (7) ut *totos quantos occupatos aut ſtrepitu appellatarum ad ſe litium, aut negotiationibus politicis, explorationibus, & relationibus ad curiam faciendis, aut perſequendis iis, qui rationabile, & ratiocinans obſequium dumtaxat* Pontifici Maxim. *deferunt &c.* (8).

De Epiſcopis Italiæ hoc dicam breve; nam omnia in eos abs te jacta improperia per-

(1) Tom. I. pag. 418. ubi etiam haud recte interpretatur Natalis Alexandri locum, qua de re diſputabimus alibi opportunius.

(2) Tom. I. pag. 426. n. 2.

(3) Fide ipſam publica perſæpe abuti, ut inviſam omnibus poſſit reddere, ſcribit pag. 140. Tom. II. Incorrigibilem præterea credi: ibid. pag. 260. Cauſſam item Schiſmatis adhuc perdurantis eſſe. 256. ſeq. Confer etiam quæ notat, ut Principes Chriſtianos contra Curiam concitet T. I. pag. 605. &c.

(4) Tom. I. pag. 577. 580. ſeqq. 587. 590. 605. &c. & Tom. II. pag. 324. ſeqq. &c. Tom. I. pag. 156. & 174. ſeq. & Tom. II. pag. 557. provincias per avaros legatos depauperatas dicit.

(5) Tom. II. pag. 113.

(6) Tom. I. pag. 114.

(7) Tom. II. pag. 557.

(8) Tom. II. pag. 551. Tom. II. pag. 380.

perſequi longum eſſet. Ipſos tu (canoniſtam ſequutus non diſſimilem omnino tui) cupidos ducis dignitatum Romanæ Eccleſiæ, reos ambitus, intentos artibus, quibus impetrare poſſint, ut *Legationes* ipſis, *Nunciaturæ*, *Cardinalatus* decernantur (1), quos cum *Epiſcopatibus conjungant*; ignaros *Divini juris*; ita demum comparatos animis, ut contra divinam Epiſcoporum inſtitutionem & certarint olim (2), & nunc item certare, ſi occaſio tulerit, non recuſent.

Age vero in Cardinales ecquid non jeciſti maledictorum; alienis quidem verbis, ut magna obloquendi, *honeſtaque*, quod ſcribis (3), *libertate* aliorum, tegeres non minorem, neque minus *honeſtam* tuam; utque ne ſolus ampliſſimum Ordinem vocaſſe in invidiam viderere (4)? *Ex ſortis infimæ clericatu in hanc eos elationem perveniſſe*, Clemangio aſſenſus, ſcribis: Id autem eis *olim fuiſſe negotii, ut efferendis mortuis, ſepulturæque mandandis inſervirent: Nunc phylacteria ſua in tantum ipſos dilataſſe, ut non modo Epiſcopos, quos Epiſcopellos ſolent paſſim vocare*, ſed Patriarchas etiam, Primateſque *deſpiciant*. Avidos ipſos eſſe pecuniæ. Itaque id eos eniti, atque contendere, ut ingen-

(1) Tom. II. pag. 380.
(2) Tom. I. pag. 451. n. 3.
(3) Tom. II. pag. 564.
(4) Tom. I. pag. 511. ſeq.

gentem ſibi vim beneficiorum parent non *Secularium* ſolum, verum etiam *Regularium*, ac ſi una ipſi *Seculares* eſſent, ac *Regulares*. Non pati eos, ut integra ſit libertas Pontifici agendi, cogitandive ſecus atque ipſi *a multo tempore practicaverint* (1). Quo in genere accuſationum quam parum inſit, non dicam, elegantiarum, nam noſtra parvi id quidem intereſſe noſti, ſed gravis moderationis, ac veritatis nemo tam eſt imperitus Romanarum (hujuſce temporis præſertim) rerum, quin plane videat. Qua de re quidem alias.

Fac modo ſuccurrat tibi, quæ tua fuerit ſcribendi in Cardinalium eorumdem Sacras Congregationes licentia. Nimirum hæc te docuiſſe fatebere: *Congregationem Concilii* nihil agere ordine (2): duci eam præjudicatis opinionibus Curiæ (3): ejuſque Synodi Decreta violare, cujus ſe dicit *interpretem* (4). Quid? Illam, quæ *Propagandæ fidei* cauſſa inſtituta eſt, quamque hæreticis *non im-*

(1) Tom. I. pag. 556: quo loco „ abſit, inquit, ut quæ „ hactenus expoſuimus, tot, tantaque Chriſtianæ libertatis impe„ dimenta, ea omnia, & ſingula Romanis Pontificibus impute„ mus. Poſt quam idea Status Monarchici ſpiritum Curiæ infe„ liciter occupavit; vix, aut nullatenus liberum eſt, etiam mo„ deratiſsimis Pontificibus cogitare, aut ſolum agere ſecus, at„ que a multo tempore CARDINALES, miniſtri, omnes denique „ Urbis Congregationes, Collegia, & Dicaſteria cogitaverunt, & „ conſtanter practicaverunt „. Confer & Tom. II. pag. 524.

(2) Tom. I. pag. 240. n. 7. & pag. 633. ſeq. §. VIII.

(3) Tom. I. pag. 240. n. 7. & pag. 633. ſeq. §. VIII.

(4) Ibid.

immerito ſuſpectam ſomniare (1), annon ita carpis, quaſi ipſa nolit *ſerio*, *optatoque cum fructu laborari*; propterea quod de *exorbitante* (2), ut ais, *Romani Pontificis poteſtate* dijudicanti, atque imperanti tibi non pareat? De Congregatione autem Indicis ecquis te umquam eſt loquutus contemptius? *Ejus omnia* non diligenti inveſtigatione veri, non dignitate, non ſententiis judicum graviſſimorum, quales eſſe oporteat eos, a quibus ſit de doctrina, & moribus ſtatuendum; ſed verſutia (3), unoque *arbitratu quatuor, vel quinque Regularium* diſponi (4), clamas; quorum & *importuna ſit impudentia*, & pateant *mirificæ ad Eccleſiaſtica munera obrependi artes* (5). Itaque illius Congregationis *Indicem Librorum prohibitorum maxima cum invidia comportatum, atque conſutum* (6), vetere calumnia reſtituta, conqueſtus es: ut inde conficeres, Indicem ipſum nihili pendi debere, in quem, conſcius noxæ tuæ, plane proſpiceres, opus tuum brevi eſſe reiicendum

(1) Tom. II. pag. 556.
(2) Tom. I. pag. 620. §. XI.
(3) Tom. II. pag. 182.
(4) Tom. I. pag. 563. n. 5. „ Non ignoratur, inquit, qua„ liter negotia in Congregatione Indicis Romæ gerantur, ubi „ pro arbitrio quatuor, vel quinque Regularium omnia diſpo„ nuntur „. Carpit inde Regulas præfixas Indici Librorum Prohibitorum, ipſumque Indicem.
(5) Tom. I. pag. 564. & 566.
(6) Ibid. & Tom. II. pag. 565. &c.

dum (1). Jam reliquas Congregationes ita contemnis, ut *Spiritu* omnes *monarchici ſtatus occupatas* obſtare, doceas, quin Pontifex agat ſecus atque *paradoxa* Curiæ, *monſtra* opinionum, *ac portenta ſerant* (2).

Nihilo æquior fuiſti Regibus. Nam hos item *emolumenta propria* conſectari ſcribis (3); Suſtinere etiam *propter ſtudia, compendiaque ſua exorbitantes Romanorum prætenſiones* (4); *officere denique Rebuſpublicis privati ſui commodi* cauſa (5). Itaque etſi aliud ſimulans, at aperte tamen (Rouſſæum Monarchomachum imitatus) ipſis denuncias (6), *Re-*

(1) Longius progreditur Tom. 2. pag. 26. ſeqq. Quin etiam ſic ſcribit Tom. III. pag. 182. „ Tantum abeſt, inquit, ut librorum Expurgandorum ratio, qualis nunc Romæ practicatur, fini, „ atque propoſito, propter quod inſtituta eſt, ſerviat, cum potius VEHEMENTER NOCEAT, atque Curiæ Romanæ artes, „ & ſtudia ſuſpecta reddat! Quaſi vero Eccleſia, & religio Catholica iſtis HUMANIS VERSUTIIS propugnari deberet. Etenim ſtatim atque aliquis pius, & catholicus de moribus eccleſiæ regendis quidquam lucubrat, libri ejus cenſura inurun„ tur &c. „ Confer etiam Tom. IV. pag. 14.

(2) Vide Tom. 1. pag. 556. §. x. Paradoxa vero!, monſtraque eamdem curiam conſectari Præf. T. 2. & pag. 554. & Tom. III. pag. 160. & alibi haud raro ſcribit.

(3) Tom. 1. pag. 579. quo loco de Ludovico XIV. Chriſtianiſsimo Galliarum Rege, & de Stanislao Poloniæ, Lotharingiæque, deque aliis Monarchis ſcribens. „ Magnates iidem, inquit, „ niſi de ipſorum EMOLUMENTO ageretur, ne umbram quidem juris in temporalia Eccleſiarum ſuorum Regnorum Romano Pontifici concederent. NUNC, UT PROPRIIS COMMODIS VELIFICENT, TALIA INDULTA PETUNT &c.

(4) Tom. 1. pag. 577. „ Habemus, inquit, experientia „ compertum a ſecularibus quandoque Poteſtatibus PROPTER „ SUA STUDIA, ET COMPENDIA EXORBITANTES ROMANORUM PRÆTENSIONES SUSTINERI.

(5) In hanc rem affert ibid. locum Livii ajentis: „ privata „ commoda ſemper officiunt, officientque rebus publicis.

(6) Tom. II. pag. 553. Poteſtas Principis; . . „ inquit, „ TAMQUAM AB ARBITRIO POPULORUM DEPENDENS, „ MU-

Regnorum ſtatum, tamquam a populorum arbitrio dependentem, mutari, luxari, atque adſtringi poſſe; idque *principii innoxii, ſolidique* loco habendum pronuncias; moneſque eos, qui contra putaverint, homunciones tibi e trivio futuros.

Quid de Pontificibus Romanis dicam? Equidem in eos vix quemquam fuiſſe te aliquando impotentius invectum video. Nam generatim eoſdem Pontifices perſtringens, artibus ipſos *politicis* (propterea quod legibus canonum cœpiſſent, ac porro numquam deſiiſſent ſolvere eos, qui ad ſe, *diſpenſationum*, quas vocant, cauſa confugerent) ad tantam potentiam perveniſſe (1), narras: technis præterea, offuciiſque ſuſtinere illos *vel minimas ſuæ auctoritatis partes*, in quarum ipſos poſſeſſionem commenticium jus Decretalium falſarum immiſerit (2): abuſiones iiſdem PROBARI; quare non *multum fiduciæ* ponendum *in ſolo Papa*, *& particulari ejus Romana Eccleſia* (3): juſte *timeri a Proteſtantibus*, *ne Pontifex*, *ſi Provincia quæpiam Catholica facta ſit*, *ſuas prætenſiones*, *& gra-*

„ MUTARI, LUXARI, ATQUE ITA MULTIS MODIS A
„ SUA ORIGINARIA INSTITUTIONE, & PRIMA SAN-
„ CTIONE PRAGMATICA DISCEDERE POTEST ... EX
„ ÆQUE SOLIDIS, AC INNOXIIS PRINCIPIIS CORONIS
„ PERICULA PARARI, QUIS SOMNIABIT, NISI FOR-
„ TE ALIQUIS DE TRIVIO MONACHUS.

(1) Tom. 1. pag. 156. n. 6.
(2) Tom. 1. pag. 173. n. 2.
(3) Tom. 1. pag. 396. ſeq. n. 3.

& grave Imperium Ultramontanum in eam explicet (1). *Papam ſimonias* pati, earumque pretia inter ſe, Prælatoſque dividere (2). *Reprimi* a Pontificibus *voces Sanctorum virorum Spiritu Eccleſiæ animatorum* (3). Invaſores eoſdem Hierarchas eſſe, uſurpatoreſque juris Epiſcoporum (4). Uti eos præterea *moliminibus*, atque *machinationibus* conſueſſe (5). *Rationes quæſiſſe*, quibus jus inane ſuum *colorare poſſent* (6). *Conſilia in mandata, directorium in imperium mutaſſe* (7). *Primariam eos cauſſam* fuiſſe *immanium defectionum ſec. xvi. factarum abuſu Pontificiæ auctoritatis ſuæ* (8). *Clancularios invaſores, everſoreſque juris ſacri* eoſdem eſſe (9). *Sponſam Chriſti lutulento cœno merſam linquere* (10). *Immolaſſe ambitioni* ſuæ aliorum *libertatem* (11). *Horrere illos generalia concilia, idque propter unicum metum* reformationis (12): *Exceſſum* poteſtatis *ab ipſis exercitæ Schiſmati tam orientali, quam occidentali* occaſionem dediſſe (13). Merito

 eos

(1) Tom. II. pag. 30.
(2) Tom. I. pag. 529. n. 6.
(3) Tom. I. pag. 412. n. 6.
(4) Tom. I. pag. 528. & pag. 539. n. 2.
(5) Tom. I. pag. 367. n. I. & pag. 407. & 408. & 572. n. I.
(6) Tom. I. 204. n. 2.
(7) Tom. I. pag. 153.
(8) Tom. I. pag. 379.
(9) Tom. I. pag. 550.
(10) Tom. I. pag. 436.
(11) Tom. I. pag. 538. ſeq.
(12) Tom. I. pag. 569. n. I.
(13) Tom. II. pag. 554.

eos argui non *levitatis* modo (1) poſſe; *ſed prætenſionum etiam omni contemtu dignarum* (2), *& uſurpationum incompetentis auctoritatis* (3). *Chimæras* ab iiſdem ali (4). *Velificari* ipſos Monarchiæ ſuæ (5), fovereque *multas extra ſanam doctrinam parergas a ſpiritu curialitatis, politiæ, atque aſtutiæ humanæ, & dominatus univerſalis magis, quam religionis ſinceræ inventas*; eaque re fieri, ut oſores Chriſtianæ religionis, *parergas* ejuſmodi *cum factis, geſtis, attentatis comparent; dumque vident, primo Eccleſiæ Miniſterio rem eſſe potius pro auro, pompa, dilatandoque Papæ Regno, quam pro humili Dei cultu, ægre inducantur, ut credant tale miniſterium animo credere, quæ fidelis homo in ſimplicitate debet credere &c.* (6). Sed omnia complecti, quæ univerſe in Pontifices Maximos emiſiſti jacula contumeliarum (7), prolixum protecto, idemque plenum

(1) Tom. II. pag. 61.
(2) Tom. II. pag. 400.
(3) Tom. II. pag. 286. & 290.
(4) Tom. II. pag. 491.
(5) Tom. II. pag. 485. n. III.
(6) Confer Tom. II. pag. 121. n. IV.
(7) „Intolerabiles abuſus, duriſsimaſque conſequentias, „ex ſacri Pontificis deſpotiſmi„ (quaſi vero is ſibi deſpotiſmum arroget) „principiis inlatas in diſciplinam Eccleſiaſticam, in „particulares Eccleſias, & in privatos defluere„ pag. 573. Tom. I. n. 4. Febronius clamat. Addit: Poteſtate, qualem Pontifex exercet, integras nationes, & populos gravari; immo etiam Eccleſiam Univerſalem, ipſamque miſere Sanctam Religionem gemere. „Ea re ſubtrahendam Pontifici obedientiam ad tempus docet, „poſtquam, inquit, molliora exhauſta ſunt„. Præclaram hic no-

num moleſtiæ opus eſſet. Itaque hos mittam.

Vide nunc quos demum aeuleos, quam acres, qua vi, qua incitatione in Pontificum eorumdem non paucos ſingulatim erexeris, quos etiam appellare ſuis nominibus non verere. Benedictum XIV. ſeculi noſtri decus *vendicativum* (1) auſus es dicere, quo impetu animi, tute videris; at veritate certe, & æquitate omnino nulla. Quin etiam in invidiam adductum, aſſertorem opinionum dixiſti, quas ille ne commemorarit quidem (2). *Monſtra* denique illum aluiſſe doctrinarum, ſcripſiſti, *quæ Catholicam Eccleſiam intus languidam, foris contemptibilem, atque odioſam reddunt* (3). Longum eſt iter ad ceteros.

nobis Apoſtolicæ Sedi, ſeu Centro unitatis conciliandorum Proteſtantium rationem affert. Multo his etiam graviora peccat. Verum ea commemorabuntur, refellenturque a nobis; ſed tempore.

(1) Quod Benedictus XIV. Antiſtiti cuidam Germano Breve eligibilitatis negarit, hinc eum notaturus Febronius „ vendicativos eſſe Romanos „ ſcribit pag. 571. Tom. II. Idem, inviſum eumdem Pontificem reddere conatur T. I. pag. 176. Quid? ſi quodam Brevi ſuo pervertiſſe illum diſciplinam, neſcio cujus Diœceſeos, criminetur. T. I. pag. 561.

(2) Tom. II. pag. 124. n. VI. & Tom. I. pag. 466. Benedictum ipſum Febronius (poteſtatem cum pactis, conventiſque confundens) accuſat, quaſi tantus Pontifex „ inſignes inconve„ nientias „ foverit.

(3) Tom. II. pag. 122. „ Perſpectas, inquit, habent (in„ creduli) malas praxes, cum quibus certitudo de interna „ practicantium fide, ac religione non conſiſtit. E. G. eas, „ quæ FORMAM Sacri REGIMINIS A CHRISTO, & APO„ STOLIS INSTITUTAM EVERTUNT, CERTISSIME „ ALIORUM jura INVADERE DOCENT: canones totius „ mundi reverentia firmatos VILIPENDI FACIUNT: co„ ronas ET SCEPTRA REGUM PAPÆ SUBIICIUNT, AT„ QUE PER HÆC DOCTRINARUM MONSTRA CATHO„ LI-

ros . Illud unum , quod in omnes eorum cadit , attingam breviter . De Innocentio III. de Gregorio IX. de Innocentio IV. Alexandro IV. Clemente IV. Eugenio IV. acturus tu quidem, non excuſatione utendum, non parcendum ipſis (ut a multis ſolet , temporum ſaltem conditionis , atque infelicitatis nomine) ; non deprecandæ malevolentiæ cauſa, æqui conſulendum, putas ; ſed infamiam ſempiternam eis inurendam ratus, ſic in Succeſſores Petri univerſos irruens ordire = „ Accipe nunc Da- „ naum inſidias, & crimine ab uno (*Quid* „ *a tantis ?*) Diſce omnes „ . (1)

Caviſſes ſaltem, ne quem Sanctorum maledictis fixiſſe viderere . At contra factum abs te eſt : quam licenter, judicent ſapientes; ſed metuo, ut qui horum aliqua erga ſanctos tangantur pietate, multo etiam te gravius arguant. Nam S. Pium Quintum, & B. Benedictum XI. (2) ſingulari morum innocentia, miraque vitæ ſanctitate conſpicuos Pontifices jura ſacrorum Antiſtitum pervertiſſe narras, quaſi uni omnium tibi facta divi-

„ LICAM Eccleſiam INTUS LANGUIDAM, FORIS CON- „ TEMPTIBILEM, ATQUE ODIOSAM REDDUNT. TA- „ LES autem UNIFORMES DOCTRINAS . . IPSIUS BE- „ NED. XIV. . . GENUINAS CURIÆ SENTENTIAS eſſe, .. „ nemo æquus prudenſque negabit „ .

(1) Tom. II. pag. 352.

(2) Ex his, ait, fuiſſe „ impetrata privilegia juri com- „ muni contraria, & juribus Epiſcoporum adverſa „ ut ſuis ipſi Monachis rem gratam facerent „ . Tom. I. pag. 454. n. 6.

divinitus finium juris dijudicandorum, figendorumque poteſtas eſſet: & in Ss. Gregorium I., Gelaſium I. Leonem I. Cæleſtinum I. Bonifacium I. Innocentium I. Stephanum I. incurrere audes, ac ſi *altius* illi, quam dignitas ipſorum, auctoritaſque ferret, *ſeſe extulerint* CUM DEPRESSIONE INFERIORUM (1). Quid? ſi Gregorium, ac Leonem ſanctitate, & doctrina Magnos *ut auctores magnorum in Eccleſia moliminum* (2) inſectere? Rurſus Gregorium ipſum (*ignorantia ejus ſeculi, depravatione, morum, & educationis, corruptione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, defectuque juſtæ criſis*) invaſiſſe in *Epiſcoporum jura*, (3) etſi nulla ratione, at immemor tamen eorum, quæ priore volumine dixeras (4), fidenter quidem in volumine ſecundo ſcribis, nihil tam verens, quam ne dubitare de re aliqua videare. Jam ab Leone, ſtatuis, actum fuiſ-

 ſe

(1) Hos enim Pontifices nominaturus Febronius pag. 520. Tom. 1. §. 1I. „ Ante falſas Decretales, inquit, Pontificia „ auctoritas ægre intra fines ſuos continebatur, ſic ferente „ humanæ conditione infirmitatis, quæ a magna ſublimitate ſæpe „ augetur, & ſuperiori poteſtati plerumque incitamenta ad„ dit ad ſe altius efferendam cum depreſsione inferiorum. „ Eo jam ævo inventi ſunt, qui ROMANAM SEDEM de „ ſtudio augendæ poteſtatis ſuæ incuſarent „. Cujuſmodi hæc ſint, quam plena invidiæ, quamque veritate vacua, alio loco nobis demonſtrandum erit.

(2) Tom. 1I. pag. 420. n. 1I.

(3) Tom. 1I. pag. 295.

(4) Tom. 1. pag. 121. quo loco „ perverſe, inquit, Reli„ gioſus foret, qui aliter, ac Sedes Apoſtolica per Sanctum „ Gregorium, aut ſentiret, aut ſcriberet „. Ita Febronius, modo hoc, modo aliud ſcribens, uti ſe poſsit tegere, ſeſe implicat.

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſe aliquando, ut a *non competenti judice*, *illegaliter*, (1) *non juſte*, (2) *opprimendique* Arelatenſis Antiſtitis cauſſa (3): Cæleſtinum ceu *uſurpatorem* (4) vexas: nec minore licentia in carpendo Innocentio (5) utere. In Stephanum, fac tibi veniat in mentem, quæ intorſeris jacula criminationum. Hominem tenacem traditionis, inimicum novarum rerum, contra errorem pro veritate certantem, non modo *minus prudentem* affirmas fuiſſe, minuſque *moderatum*, quam fuerit Cyprianus; (6) ſed etiam *prudenter judicatum*, addis, fuiſſe *repre-*

(1) Tom. I. pag. 214. n. I. quo etiam loco Leonem Magnum traducens: „ Leo, inquit, diſciplinam continua ſerie cuſto„ ditam (quæ Sanctorum etiam virorum infirmitas eſt) PRÆ„ TERGRESSUS, ſuæque Sedis amplitudini PLUS ÆQUO „ STUDENS, in hoc negotio, vel ab ipſorum etiam ſardi„ cenſium Canonum, quorum maxime auctoritati incum„ bebat, Sanctione receſsit. Denique cernens hoc incœptum „ ſuum NOVUM eſſe, & ſententiam ſuam, nullam in Gallia „ vim habituram, pro ea, qua apud Auguſtum tum Romæ „ præſentem, pollebat auctoritate, a Valentiniano III. re„ ſcriptum impetravit „. Quam hæc ſit violentiæ, & non competentis, ut ibid. ait, judicii inanis accuſatio, oſtendam alibi, dum tempus monuerit.

(2) Tom. III. pag. 154. Rurſum Tom. I. pag. 521. Leoni invidiam conflans, eum ut mordeat, Romanos mordet, quos „ ÆGRE AUDISSE, ait, illos, qui bona licet mente, de „ EXCESSU POTESTATIS LOQUEBANTUR. Mirum pro„ pterea non fuiſſe, ſi avari ſuperſtitioſique homines, falſorum „ documentorum adinventione poſtmodum HIS EXCESSIBUS „ colorem quæſierint „. At veretur mox (pag. 522.) ne a Catholicis ob vexatum Pontificem optimum, atque ſanctiſsimum accuſetur. Itaque ſeſe ut excuſet, præſidium a Caſaubono Calviniano homine petit, cujus huc demum ſententia omnis revolvitur: Leonem bona quidem fide, ſineque bono in aliena jura invaſiſſe. Videat, quam hæc ſe digna ſit excuſatio.

(3) Tom. III. pag. 154.

(4) Tom. III. pag. 26.

(5) Tom. I. pag. 153. 154.

(6) Tom. I. pag. 357. ſegq. Vide & pag. 351.

reprehenſibilem (1), *quaſi auctoritate ſua abuſus eſſet*; (2) *præcipitanter tuliſſet* ſententiam; (3) ſibique imperium arrogaſſet (4), quod quidem imperium *nervoſius* repulſum a Firmiliano, Cyprianoque fuerit. Nam tentaſſe *primis jam tum ſeculis*, *animadvertis*, *Romanos Pontifices fimbrias ſuas in detrimentum, ac diminutionem auctoritatis Epiſcoporum extendere* (5). Itaque ſtatuis, ni deinceps finibus abs te conſtitutis ſe continuerint, commovenda in eos eſſe Regna (6); *ſubtrahendam ipſis obedientiam*, vim inferendam (7). Quod ſi ſchiſma hinc oriatur, id eſſe non cuiquam alteri, ſed iiſdem Pontificibus tribuendum (8), mones. Ac de his quidem ſatis me dixiſſe arbitror. Nam ſi omnia, quæ in eos conjeciſti vellem perſequi, quinque ipſa volumina tua pene integra mihi deſcribenda eſſent.

Reſtat de *Sede* Apoſtolica. Quid? In eam, quam ab *Sedentibus* (9) diſtinguendam

(1) Tom. II. pag. 288. (2) Ibid. & T. I. pag. 351. ſeq.
(3) Tom. I. pag. 357. n. 4.
(4) Tom. III. pag. 24.
(5) Tom. II. pag. 295. n. 4.
(6) Confer Tom. I. pag. 580. ſeqq. pag. 604. ſeq. &c. &c. Sed de his alibi copioſus.
(7) Tom. I. pag. 572. ſeqq. & 577. In Indice autem ſic rem proponit: „ Subtractio obedientiæ eſt unum ex legitimis „ mediis reducendi Papam. Verum hac de re alias opportune Confer Tom. II. p. 517. ſeq. Egregium ſane „ reunionis „ (quam ab ſe curari Febronius gloriatur,) Proteſtantium cum Apoſtolica Sede documentum, ab ea te, ut ipſi alios conjungas, disjungere!
(8) Tom. II. pag. 588. ſeqq. I. pag. 423. &c. & 540. n. 2. & 7.
(9) Tom. I. pag. 589. & Tom. II. pag. 577.

dam jubes, egiſſe ne te, dices, remiſſius? At quam candide? Næ iſtud egregium temperantiæ, moderationiſque animi, atque præclarum argumentum eſt: eam (cui æquum te præbuiſſe dicas) quaſi pravas doctrinas *renovarit*, *ſacrarit*, *canonizarit* (1), traducere, atque ita inſequi minis, ut ejus hoſtium (qui ipſam *coercendam* eſſe affirmarint)(2)verbis velut oraculis abuti non vereare. Age vero, hominis ne tibi videtur eſſe, a maledicto ſibi, atque ab injuria temperantis, Eccleſiam Romanam, (in qua eſt Apoſtolica Sedes) *onuſtam ſordibus, maculiſque conſperſam* dicere (3)? *Evangelio* præterea eam uti *Romano* (4), quaſi aliud Evangelium colat? *Sentimentis* etiam duci ipſam, *quæ dum durant, centrum unitatis non ma-*

(1) Tom. II. pag. 350. „ At eaſdem doctrinas, inquit, „ SEDES APOTOLICA, NON SOLUM RENOVAVIT, SED „ SACRAVIT ETIAM, ET UT ITA LOQUAR, CANONI- „ ZAVIT.

(2) Tom. I. pag. 577. n.1. „ Tempus eſſe coercendi Apoſto- „ licam Sedem, ne tantum in Germania poſsit „. Hæc Febronius probans recitat.

(3) Tom. III. pag. 211. „ Vera, inquit, manebit ECCLE- „ SIA ROMANA, utcumque extrinſecis „ (quaſi vero extrinſecum quidpiam ſint errores, pravæque doctrinæ monſtra, quæ ipſi Febronius tot locis attribuere audet) „ ABU- „ SIBUS, ET SORDIBUS ONUSTA; ſed tot GRAVIBUS „ MACULIS CONSPERSA, non tam facile in ſui ample- „ xum trahet eos, qui foris ſunt „.

(4) Eant viri illi. Tom. IV. P. I. pag. 217. & prædicent „ EVANGELIUM ſuum Romanum. Non indignentur quæſo, „ huic expreſsioni. Quod enim tam verum eſt, ut ejus con- „ trarium ne probabile quidem ſit, hoc prope ad certitudi- „ nem Evangelicam accedit „. Cur autem „ Romanum „ irridens diceret, ſi non eſſe, neve probari Romanæ Eccleſiæ putaret?

manifeſtent ; quæque efficiant , ut *Romanus Pontifex cum ſuis uti fautores , & confirmatores hæreſeos ab inſignibus Eccleſiis habeantur* ? Pontificem Romanæ Eccleſiæ, ſuoſque neque veritatem noſſe, neque velle diſcere? Eccleſiamque Romanam ipſam aliqua ex parte a bonis eſſe deſerendam (1) ? Quid ? Si longius progreſſus, Tridentinam Synodum OEcumenicam , etſi non verbo , re tamen in genere doctrinæ ; in diſciplina vero & re, & verbo neges fuiſſe liberam (2) ? Falſis ipſam monumentis nixam profiteare (3) ? Nec dignam, adjungas , eſſe, quæ *pro ſuſtinendo in Eccleſia Monarchico ſtatu (ſi in quoquam huic favere videatur) ejuſque ſequelis , allegari poſſit* ; *indeque* ſtatuas , *dubitandum eſſe nemini , quin Tridentina placita* , *quoad*

(1) Tom. III. pag. 36. „ Hæc ſufficiant de temporario impedimento centri unitatis „ (quaſi vero tempus ullum ſit, quo Sedes Apoſtolica CENTRUM ESSE UNITATIS IMPEDIATUR) „ quod a materia , & ab occaſione Schiſmatis „ ponitur . Sed quid ? ſi VIRI SANCTI , SI INTEGRÆ , „ EAEQUE INSIGNES ECCLESIÆ ROMANUM PONTIFI„ CEM CUM SUIS PRO FAUTORIBUS , ET CONFIRMA„ TORIBUS HÆRESEOS HABEANT , QUI VERITATEM „ NEQUE NORUNT , NEQUE DISCERE AMANT ? An „ tunc aduc , & quouſque HÆC ROMANORUM SENTI„ MENTA DURANT, VIRTUS CENTRI IN ILLIS MANI„ FESTABITUR „ ? Sed erit hac item de re aptus , atque opportunus differendi locus. „ Tom. II. pag. 542. Quis bonus, „ inquit, ROMANAM ECCLESIAM , verius CURIAM , hac „ in parte NON DESERAT. „ CURIAM adjungit, ut liberius poſsit lædere .

(2) Tom. I. pag. 44. quo loco Legatos Pontificis Cardinales VERSUTOS, probro appellat, & pag. 373. ſeq. In indice vero Tomi ejuſdem : plenam libertatem in Synodo Epiſcoporum circa materiam politico diſciplinarem fuiſſe negat : concedit tamen circa dogma ; qua de re alias .

(3) Tom. eodem pag. 43. , & 204. ſeq.

quoad hoc (quod quidém ad doctrinam pertinet) *a ſubſequuturis Generalibus Synodis emendari* queant (1)?

Jam quæ de Eccleſia per univerſum terrarum orbem diffuſa ſcripſiſti, expendam equidem, ſed opportune, ac tempori. Illud interea memoria repetas vehementer velim: aſſenſum te fuiſſe Hugoni Grotio ajenti, exprobrari Eccleſiæ ROMANO-CATHOLICÆ *adoptionem* INUTILIUM, ATQUE SUPERFLUARUM doctrinarum, aliqua ratione poſſe: addidiſſeque, *inter hæc ſuperflua illud nunc te eſſe oppugnaturum, quod ceteris omnibus intolerabilius eſt, debellarique omnino debet* (2).

Hæc autem tam multa, tamque noxia (nolo enim gravius dicere) criminationum tela abs te aut primum excogitata, aut ex variis Scriptorum quorumdam libris (in quibus non tam crebra diſperſim invenirentur) collecta ſimul, atque in Curiam, in Legatos, in Sacrorum Antiſtites, in Cardinales, in Reges, in Pontifices Maximos, in Sedem Apoſtolicam, in Eccleſiam Romanam, in Tridentinam Synodum, in Cœtum univerſum Catholicorum jactata; hæc, inquam,

(1) Ibid. pag. 533. Concludimus, inquit, ne ipſum quidem Tridentinum Concilium pro ſuſtinendo in Eccleſia Monarchico ſtatu, (ſi forte in quoquam huic favere videretur) ejuſque ſequelis allegari poſſe. Quare NEMO dubitet: TRIDENTINA PLACITA, QUOAD HOC A SUBSECUTURIS GENERALIBUS SYNODIS EMENDARI POSSE ". At hac item de re alias.

(2) Tom. 1. pag. 63. ſeq.

quam, ſiquis Orthodoxus, hoc eſt obſequens, & parens, ut debet, Regi, & Cathedram colens Principis Apoſtolorum in Voluminibus quinque tuis deprehenderit, legerit, conſiderarit; ab eo ne tu petas, ſibi ut temperet, quin in te ipſum invadat acerbius?

At charitatis habenda eſt ratio. Novi. Sed cavendum eſt etiam, atque etiam tibi, ne quis non æqua te petere arbitretur, qui id a nobis exigas, quod ipſe noſtrum nemini concedendum putes. Quamquam tu ex me extorquebis numquam, ut a Sanctis Patribus fuiſſe habitam caritatis rationem negem, quos plane intelligam, Domus Dei, veritatiſque ſtudio permotos, in eos, qui tuis iſtis acuminibus paria dixiſſent, multo vehementius invectos fuiſſe, quam ipſe pati poſſe videare. Non ſum neſcius, hortari te nos, ut Auguſtinum in Manichæos, in Donatiſtas, inque Pelagianos diſputantem imitemur (1). Sed, amo te Febroni, non

---

(1) Tom. II. pag. 157. „ Caritatis habenda eſt ratio. Caritas autem in corde puro patiens eſt, benigna eſt, non irritatur, non æmulatur, non agit perperam, utque addit Auguſtinus libro contra litteras Petiliani Cap. XXIX. n. 31. ſine ſuperbia de veritate præſumit, ſine ſævitia pro veritate certat „. Hæc magnus ille non veritatis minus, quam caritatis Doctor & ſcripto, & opera monſtravit. Etenim in ſuis adverſus Manichæos, Pelagianos, & Donatiſtas. conflictationibus id ſemper diligentiſsime cavit, ne quemquam illorum injuriis, aut conviciis læderet, atque exaſperaret. Qui SECUS ſcribendo, & diſputando FECERIT, IS PROFECTO NEC VERITATEM PRÆCIPUE ſibi CORDI ESSE, NEC CARITATEM SECTARI SE OSTENDIT „.

non faciam . Indocilis namque aliquando tibi , quam moleſtus videri malo . Ferres enim graviter , mihi crede , ſi contorquere in te vellem , quæ in unum Julianum Eclanenſem Pelagii Sectatorem [quid enim in ceteros dicam ?] Auguſtinus ſtudio incenſus veritatis , ſtilo incitato , ac vibranti , ſcripſit . Nam hominem exagitans merito ſuo : *Tales* , inquit , *inveni libros tuos , cum legerem ; quales præſumpſeram eſſe , antequam legerem* (1) . *Cæcus oblatras* (2) , *ac nimium cæcus es* (3) . *Oſtendam meos eſſe* [Patres] , *quos tu in me tanto nequius , quanto aſtutius criminaris* (4) . *Nuſquam ſic apparuit dolus tuus , & per ſcientiam damnata conſcientia* (5) . *Novelli , atque perverſi dogmatis aſſertor es* (6) . *Dolemus inſanum , cum videmus ſenſum perdidiſſe Chriſtianum* (7) . *Aut calumniaris , aut neſcis quid loquaris , & ideo aut mendax , aut temerarius iſta loqueris* (8) . *Legi apertiſſime tua falſiloquia ſine tua irriſione , vel potius deteſtatione non poſſum* (9) . *Calumnioſe , frontoſe , verboſe . . fœda acumina improbæ conten-*

(1) Lib. I. Operis Imperfecti Contra Julianum Cap. XVII. pag. 662. Tom. X. Opp. Edit. Antuerp. an. 1700.
(2) Ibid. Cap. XLVIII. pag. 670. lit. E .
(3) Ibid. Cap. LI. pag. 673. lit. A.
(4) Ibid. Cap. LII. pag. 673. lit. D.
(5) Lib. eod. Cap. LXVIII. pag. 683. lit. A.
(6) Cap. XXII. pag. 663. lit. G.
(7) Ibid. pag. 664. lit. A.
(8) Ibid. Cap. XLII. pag. 668. lit. A.
(9) Ibid.

tentionis evelle (1). *Contumelioſo ore traducianos* (2) *nos vocas; ſed non eſt mirum, quod novi hæretici catholicis, a quibus exeunt, novum nomen imponunt* (3). *Convicia . . fronte impudentiſſima, &c. lingua procaciſſima jacularis* (4). *Iſtis ne* [Sanctis viris] *luminibus civitatis Dei, mente tenebroſiſſima, fronte impudentiſſima, lingua procaciſſima audes crimen objicere* (5)? *Si emeres iſta convicia, prodigum te dicerem. Gratis tibi adjacent. Cur non eis fruaris quibus maledicum animum paſcis* (6)? *In te agnoſce ſtultitiam, in te impudentiam, in te impietatem non veterem ſane, ſed novam* (7). *Quouſque gravis es corde? Quouſque diligis vanitatem, & quæris mendacium, quo veſtra hæreſis fulciatur* (8)? *Quando iſta diceres, ſi cogitares ſana mente, quod dicis?* (9) *Nonne ante dixi, nihil te eſſe dicturum, homo nihil loquendo loquaciſſime? Nihil ergo dixiſti, & nonniſi ad quoſdam decipiendos, quoſdam fatigandos lectores, tacere noluiſti* (10). *Non expaveſcis, quod*

(1) Lib. II. Cap. CCVIII. pag. 771. lit. D.
(2) Lib. I. Cap. V. pag. 660. lit. C.
(3) Febronius nos Infallibiliſtas, & Monarchiſtas irridens vocat Tom. II. pag. 132. Qui etiam ibid. nos ipſos in novatoribus numerat.
(4) Ibid. Cap. IX. pag. 660. lit. E.
(5) Ibid. pag. 674. A.
(6) Ibid. Cap. LVIII. pag. 676. lit. E.
(7) Lib. I. Cap. LXXXVI. pag. 692. lit. E.
(8) Lib. I. Cap. LIV. pag. 675. C.
(9) Ibid. Cap. XCVII. pag. 697. D.
(10) Lib. II. Cap. XLVIII. pag. 728. E.

quod ſcriptum eſt, neque maledici Regnum Dei poſſidebunt? Neque enim tam fœda convicia nihil te adjuvantia niſi maledicendi libidine, loquereris (1). *Unde fieri poteſt, ut homo, qui conaris Apoſtolica verba pervertere, poſſis loqui, niſi perverſe* (2)? Hæreticos *tu adjuvas* (3). *Quid iſta loqueris? Quid eſt, quod tibi obſtrepit loquaciſſima vanitas, ne intret in aures tuas manifeſtiſſima veritas* (4)? *O te deceptorem ſpiritu hæretico plenum* (5)! *Quæris, ut impleantur vani libri tui; & non quæris, ut corrigantur perverſi ſenſus tui* (6). Hæccine tu, ſi quiſquam in te jaceret, paterere? Atqui eplurimis perpauca eſſent, ſi attingere partem etiam eorum exiguam vellem, quæ, non in tam multos, quam nominaſti, hæreticos; ſed in unum, ut ante animadverti, Julianum ex ZELO profecta ſunt Magni Auguſtini, cujus quidem Sancti Doctoris diſcipulos, atque imitatores *caritatis*, dum in te ſcribimus, eſſe nos cuperes. Sed vide, quam ſim moderatus, facilis, atque etiam liberalis tecum. Nam hoc tibi polliceor, ac defero, ita me eſſe temperaturum orationem perpetuo meam, nihil ut in ea offendiſſe uſquam te conquerare,

(1) Ibid. Cap. LVIII. pag. 731. E.
(2) Lib. II. Cap. cv. pag. 742. F.
(3) Cap. cx. pag. 744.
(4) Cap. cxiv. pag. 745. D.
(5) Cap. cxxxII. pag. 781. A.
(6) Lib. III. Cap. I. pag. 783.

rare, cui non injuria modo, ſed ne ſpecies quidem ineſſe, aut ſuſpicio injuriæ videatur. Ne dubita. Id re tu ipſa experiere. Verum ea lege meam tibi adſtringo fidem, ut, dum tibi parco, dum nil in te ſcribo, quod non ſit perſonæ, ac dignitatis; rem quamque ſuo indicem nomine, & quem inclita Gallorum natio, genteſque Catholicæ ceteræ; quem Patres; quem Synodi; quem, uno verbo, Eccleſiæ orthodoxæ ubique terrarum omnes *errorem* judicent eſſe, *errorem*; quam *hæreſim*, *haereſim* appellem. Tenes, quæ mea futura continenter ſit in refellendo opere tuo, quam remiſſa, quam facilis, quamque, (ut ipſe optas) *Chriſtiana* oratio.

II. Nunc ad rem. Jam noſtra erit omnis de *Regimine viſibilis Eccleſiae* quæſtio. Non te fugit opinor, multos eſſe, qui id abs te Regimen vel everti funditus, vel extenuari miſerandum in modum, ut pene evaneſcat, arbitrentur. Ac tu quidem, uti proximis litteris demonſtrabitur, eodem de Regimine modo hoc, modo aliud ajens, ſic uteris circuitione, ut plane verear, ne illa jamdiu de te nata non tollatur, ſed duplicetur opinio. Cujus certe opinionis declinandæ cauſſa, nihil tibi commodius, aptiuſque putaſti fore, quam ut confugiſſe ad Eccleſiæ Gallicanæ præſidium videreris; nullamque rem probaſſe te umquam dice-

De Regimine viſibilis Eccleſiæ omnem ſibi, ait quæſtionem fore, quod quidem Regimen evertiſſe Febronius videtur.

ce-

ceres, quæ non illi maxime, ejuſque doctrinæ præcipuis defenſoribus probaretur (1).

Numquam id ſecum Febronio certamen fuiſſe initurum, teſtatur, ſi Febronius Gallis ſe perpetuo aſſentiri affirmans, veradiceret. At contra rem eſſe. Febronium enim multa probare, quæ notanda merito ſint, quæque ab Eccleſia Gallicana erroris, aut hæreſeos arguantur.

III. Id ſi verum eſſet; teſtor, me commiſſurum fuiſſe numquam, ut in id certamen, aut ſponte ipſe mea, aut cujuſquam hortatu venirem; non quo nullis de rebus diffidens ſit noſtra a Gallorum ſententia, qui quidem agunt unitate Eccleſiæ, paceque ſervata; ſed quo de rebus iiſdem ab innumeris prope Theologis noſtris ſcriptum jam ſolide, ampliterque ſit, ut operam, ſi quam interponere velim, ſupervacaneam proſpiciam futuram. Verum cum protractos abs Te fines, quos ſibi Galli conſtituiſſent; commotam, inlatamque diſturbationem pacis; propoſita uti dogmata fidei ea capita doctrinæ, quæ Inclitæ illius Gentis Epiſcopi diſciplinæ (2), ſuarumve privatarum opinionum, non dogmatum fidei loco ducerent; quum, inquam, non modo hæc abs te tentata, commota, divulgata viderem; ſed etiam quæ-

---

(1) Febr. Præf. T.I. & T.IV. P. I. Cap.I. num.III. & alibi.

(2) Cœtus Cleri Gallic. Epiſt. ad Epiſcopos Regni Kal. Jul. an. 1682. data. Tom. I. Actor. Cleri ejuſd. p. 4. Edit. Pariſ. an. 1716. „ Ne, inquit fortaſsis (Pſeudo-Reformati) inde ſumant „ occaſionem ſibi . . blandiendi ſpe inanis futuræ inter noſmet „ diſſociationis, quod exorta ſint Romanam inter, & Gallicanam „ Eccleſiam nonnulla diſsidia; cenſuimus admonendos, primum „ NON DE FIDEI DOCTRINA, quæ una, eademque ſemper „ fuit utrobique; non de morum inſtituto . . . verum de alternantis pro tempore diſciplinæ rationibus aliquot nos cum „ Miniſtris Summi Pont. ſalva pace contendere „. De opinionibus, confer Petrum de Marca Archiep. Pariſ. Obſervat. in Theſ. Claromontanas, quarum extat inſignis locus in n. XII. Append. Tractatus inſcripti De ſuprema Rom. P. auctor. T. I. Boſſuetius Lib.XV. Hiſt. des Variat. §. CLXV. p.382. T. III. Edit. de

quædam mutuo e Proteſtantibus Puſendorfio, Grotio &c. accepta; multa tuo arbitratu adjuncta intelligerem, quæ tam componi cum orthodoxo dogmate nequirent, ut ſumma non Gallorum modo, ſed omnium etiam gentium Catholicarum conſenſione pro erroribus, aut pro hæreſibus ducerentur; deſiderandum non putavi laborem meum, quo, tecum certans, & litarem ſanctæ Religioni; & Catholicis noſtris, qui id a nobis expetere viderentur, cumulate, ut poteram, ſatisfacerem. Quo quidem labore ita fungar, ut nil certum affirmem eſſe, quod ſenſu orthodoxorum omnium certum non ſit; nil refellam, quod non a Catholico dogmate plane diſſideat.

IV. Age, vero ad te ut redeam, ſi eadem tua, atque Gallorum perpetuo fuiſſet ratio, ne-

Febronium, niſi quandoque ſalrem ab Gallis difsideret, ne ſpecie qui-

de Argentin. 1738. de Reſcripro Pontificis ad Legatos, ut ne quid ab Synodo Tridentina de poteſtate Succeſſoris Petri præſertim, definiretur, niſi quod „ plairoit unanimement à „ tous les Peres: „ Régle admirable, inquit, pour ſeparer le „ CERTAIN d'AVEC le DOUTEUX. D' où il eſt auſsi ar„ rivé que le Cardinal du Perron, quoique zelé défenſeur „ des interets de la Cour de Rome, a declaré au Roi d' An„ gleterre, que le differend de l'autorité du Pape, ſoit par „ le regard ſpirituel au reſpect des Conciles Ecuméniques, „ ſoit par le regard temporel &c. n' eſt point un differend „ des choſes, qui ſoient tenües pour articles de foi, ni qui „ ſoienr inſerés, & exigees en la Confeſsion de foi; ni qui puiſſe „ empêcher S. M. d' entrer dans l' Egliſe, lors qu' elle ſera „ d'accord des autres points. §. CLXVI. On voit par là que „ les doctrines qui ne ſont pas appüiées ſur une tradition „ conſtanre, & perpetuelle, ne peuvent prendre racine dans „ l' Egliſe, puis qu' elles ne ſonr point partie de la Confeſ„ ſion de foi; que ceux même qui les enſeignent, les en„ ſeignent comme leur doctrine particuliere, & non pas „ comme la doctrine de l' Egliſe Catholique „.

dem conciliandorum Catholicis Proteſtantium, fuiſſe ſcripturum, animadvertit.

neque umquam ab Gallicanæ Eccleſiæ doctrina recedendum tibi eſſe exiſtimaſſes; quæ demum te cauſſæ impuliſſent, ut onus iſtud ſcribendi ſuſciperes? Nam ſi qui ſunt, qui hoc in genere, ſua opus eſſe opera judicent, hi quidem certe ea, de quibus agere inſtituerint, aut tenebris adhuc involuta jacere; aut nondum expolita ſatis, atque illuſtrata putant. Quid? Adeo ne te doctiorem, eruditiorem, eloquentiorem non Launoyo ſolum, Natali Alexandro, Flevrio; ſed etiam Boſſuetio eſſe arbitrare, ut, quæ is in lucem hominum produxit, ſi minus emendari abs te, at declarari ſaltem, ornari, atque vi majore proponi, inque eos, qui contra ſentiant, vibrari confidas poſſe? Cuinam, id ſi credis, te ſperes perſuaſurum? Scio cauſari te; ſymbolamque, quam poteras, dediſſe, dicere, conciliandæ Proteſtantium conjunctionis cum Catholicis cauſſa.

Miror te commenticio Febronii nomine latebras quærentem tanti ipſum te poſſe pendere, ut tibi polliceare, quod ille idem Boſſuetius, etſi inſigni doctrinæ, eruditioniſque laude excellens; etſi tot editis libris celebris; etſi tam illuſtris Eccleſiæ nomine, qualem eſſe Gallicanam ſcimus; etſi inito demum, pacis cauſſa, cum Proteſtantibus commercio litterarum; permiſſiſque rebus omnibus, quas ipſe permitti catholice

poſſe

poſſe arbitraretur; impetrare tamen nequiverit. Quod ſi tu eadem atque ille ſcripſiſſe, adeoque actum te egiſſe confiteare; quid eſt, rogo, quod ſperes, incendi Proteſtantes ad pacem Febronianis operibus poſſe, Boſſuetianis non poſſe? At ſunt, inquis, conſectaria quædam. Ne nos, quæſo, verbis ludificere. Quis enim credat, quæ Proteſtantibus concedenda ſint, quæque perſpicue ex doctrina Boſſuetii ſequantur, vidiſſe Febronium; Boſſuetium contra tanto ingenio hominem, tanta artis dialecticæ facultate, tanta rerum peritia, non vidiſſe? Cur non palam eloqueris, quod res eſt: ſcilicet niſi plura, [invitis Boſſuetio, Flevrio, Gallis omnibus] permittenda Proteſtantibus judicaſſes; numquam fuiſſe te in animum inducturum, ut ſcriberes? Atque ejus quidem generis permulta permiſiſſe te, proximis, ceteriſque noſtris, quæ poſt ſequentur, litteris plane perficiam. Atenim Sectarum Proteſtantium cum Eccleſia Catholica *reunio* [ſic enim ais, idque ſæpiſſime] debet eſſe cuique Chriſtiano vehementer curæ: Fateor: modo ne quid concedatur, quod Catholicum dogma aut labefactet, aut pervertat. Sed quam vereor, Febroni, ne tua iſta tam crebra *reunionis* jactatio ſuſpecta pleriſque omnibus eſſe poſſit. Meminiſti, credo, Marcum An-

 tonium

tonium de Dominis Spalatenſem apoſtatam, etſi conjunctionem ſe Proteſtantium cum Orthodoxis conciliaturum gloriaretur; tamen, non ſublatis ſectis aliorum (quæ exortæ jamdudum fuerant) molitum fuiſſe, atque inducere curaſſe ſuam. Sic autem ille loquitur, ut ejus tu non ſententias modo, ſed verba etiam interdum deſcripſiſſe, atque in opus iſtud tuum tranſtuliſſe videare (1) „. Scio, *inquit*) me arduum hujus fortis
„ Mulieris [Eccleſiæ] perfecte delineandæ
„ negotium ſuſcepiſſe. In quo, ut permul-
„ tos annos laboraverim, fecit exitiale diſ-
„ ſidium, quod inter noſtram Romanam
„ Eccleſiam, & Græcam, ac Orientalem,
„ jam inveteratum cernebam. Odium quo-
„ que capitale, ac bellum, quod in ipſo
„ Occidente inter nos, & alias nobiliſſi-
„ mas CHRISTI ECCLESIAS tamdiu ardet
„ implacabile, perpetuos in me, atque acres
„ fovet igniculos, tum cognoſcendi ab in-
„ ti-

(1) Nil proinde mirum, ſi in Præfat. Tom. I. Febronius conſcius ſibi, quibus e fontibus doctrinam hauſerit, ut tamen ab ſe invidiam averteret, quam alioqui veritate niti oſtendemus, prævertendum accuſationi putaverit; confidenterque eos, qui objecturi eſſent adheſiſſe ipſum M. Ant. de Dominis, arguerit calumniæ crimine: „ Exaggerentes, inquit, latens ve-
„ nenum calumniæ neutiquam deerunt. Paulus Sarpi, Marcus
„ Antonius de Dominis, Edmundus Richerius, & ſi qui alii
„ erga Sedem Apoſtolicam malevoli revixiſſe dicentur „. Memini, hæc me legiſſe apud Joſephum Lib. Antiquitatum Judaicarum XI. Cap. VIII. „ Si quis apud Hieroſolymitas alicujus
„ criminis reus eſſet actus, ad Sichimitas (Samaritanos) trans-
„ fugiebat, dicens, ſibi inſtructam fuiſſe calumniam. „

„ tima ipſa mali radice , quænam ſit tan-
„ tæ diſſenſionis , ac fœdiſſimorum ſchiſ-
„ matum cauſſa ; tum etiam aliquid pro
„ viribus conandi , ut ſaltem aperiam ,
„ quo pacto poſſint pernicioſiſſimæ hæ di-
„ viſiones aboleri , tolli ſchiſmata , ac fi-
„ des , & religio, Eccleſiæque omnes Chri-
„ ſti ſanguine redemptæ , fundatæ ; ac ſta-
„ bilitæ ad primævam reduci concordiam,
„ perfectamque in caritate unionem . Ex
„ his enim diſſenſionibus , & Regnum Chri-
„ ſti ſpirituale impeditur , & regna tem-
„ poralia turbantur, civiliſque pax, & hu-
„ mana tranquillitas propter Eccleſiaſtica
„ hæc diſſidia , vehementer periclitantur,
„ ſimultates inſurgunt , vacillat obedien-
„ tia, defectiones ſollicitantur, excitantur
„ bella , ſceptrorum ac diadematum inva-
„ ſiones , atque rapinas vafra potentium
„ ingenia meditantur ... Hæc mea mens,
„ teſte Domino, ſincera, & pura ; hic ſco-
„ pus eſt totius hujus operis , & laboris ,
„ ut ſi fieri poſſit , ſublato tanto ſchiſma-
„ te , extincto immortali odio, ſedatis bel-
„ lis, diſſidiiſque compoſitis , unum , &
„ idem ſentiamus, & dicamus omnes , ne
„ amplius inconſutilis Chriſti tunica , ſan-
„ cta ipſius Eccleſia ſcindatur , & lacere-
„ tur . . . Utinam Spiritus ſanctus corda
„ veſtra Fratrum meorum Catholicæ Ec-

,, cleſiæ Coepiſcoporum moveat ad idem
,, mecum conſiderandum , & ad eumdem
,, finem , quem mihi ſolum propoſui , in-
,, defeſſe laborandum , ut veritatis via ,
,, quæ Chriſtus eſt , inventa , . . . omnes
,, Chriſti oviculas per devia , & abrupta
,, aberrantes ab imminenti præcipitio in
,, tuta , ac læta paſcua revocemus . Plu-
,, ribus hic mihi jam agendum non eſt ,
,, ut pius , & Catholicus Lector magna ani-
,, mi ſinceritate totum opus perlegens (1) ,
,, reipſa potius agnoſcat , me candide & ſin-
,, cere cupere , & conari in re tam gra-
,, vi diſſerere ; quam ut fucatis dictis meis ..
,, ſibi initio a me verba tantum dari ſuſpi-
,, cetur . Oro . . ut ne quiſquam de me an-
,, te ſermonis conſummationem per litte-
,, rarum exordia exiſtimet judicandum .
,, Iniquum eſt enim , niſi comperta uſque
,, ad finem ratione dictorum , præjudica-
,, tam ſententiam ex initiis , quorum adhuc
,, cauſſa ignoretur , afferre ; cum non de in-
,, choatis ad cognoſcendum , ſed de abſo-
,, lutis ad cognitionem ſit judicandum . .
,, Exa-

(1) Febronius item in Præf. T.1. ,, Nolite , inquit , me ju-
,, dicare ante tempus; prius totam compagem operis legite, ite-
,, rum , atque iterum ,, . Legi equidem iterum , atque iterum ,
contuli cum Patribus cumque Conciliis . Qualem autem ejuſ-
modi compagem deprehenderim , quam a majorum doctrina
diſcrepantem , quam ſimilem reipublicæ Marci Antonii de Do-
minis , aperiam , quum opportunitas locorum , temporumque
monuerit .

„ Exactam ego celeberrimorum quorum-
„ que Sacræ Theologiæ Collegiorum tru-
„ tinam non deſugio; imo cupio, & exo-
„ pto .. Hoc etiam ab ipſo Sanctiſſimo Ro-
„ mano Pontifice humillimis precibus con-
„ tendo, ut hanc operis mei editionem
„ non ſolum non impediat, quo minus ad
„ ſedulum, quod cupio, virorum docto-
„ rum examen perveniat, ſed etiam ut ac-
„ curatam omnium prudentium lectorum
„ cenſuram ſubeat, ipſe imprimis, quan-
„ tum in ſua ſanctitate eſt, ſatagat, at-
„ que urgeat. Quod ſi impedierit, to-
„ tumque opus, de more, igni addixe-
„ rit, aut ex Eccleſiis ſibi ſubditis ex-
„ terminari curaverit, non poteſt Orbis
„ Chriſtianus non advertere, & agnoſce-
„ re, ipſum non ratione, ſed vi ſuas TUE-
„ RI VELLE USURPATIONES, Eccleſiamque
„ falſitatibus OPPRESSAM DETINERE, adeo-
„ que cauſſæ ſuæ diffiſum, cum clypeum
„ nullum haberet, loricam nullam, nul-
„ lum adverſus tela intorta honeſtum mu-
„ nimentum, ignava declinatione, immo
„ fuga uti turpiſſima, ac ſedulo cavere,
„ non quidem ne vincatur, ſed ne victus
„ ſuis appareat aſſeclis, a quorum con-
„ ſpectu propterea & tela noſtra, & vul-
„ nera ſua abſcondit. Et ſi Pater Beatiſſi-
„ mus hinc plane viderit, poſſe ex aliqua

„ ſui EXORBITANTIS Papatus voluntaria , „ ſed in primis neceſſaria remiſſione bo- „ num illud omnium Chriſti Eccleſiarum „ UNIENDARUM DESIDERATISSIMUM promove- „ ri, planeque obtineri ; quidni poſtpoſi- „ tis humanis omnibus conſiliis, ſerio ani- „ mum adjiciat ad hanc ECCLESIÆ REFOR- „ MATIONEM &c? .. Huic incepto ſi .. velit „ obnixe incumbere, ſuis diebus opus fa- „ ciet, quod ipſius Pontificatum reddet po- „ ſteritati admirandum „. Jam ante dixe- rat: „ Deum immortalem teſtem .. advoco, „ me non gloriolæ cupiditate delinitum, non „ novitatis ſtudio addictum .. pravam ex „ ingenio meo regulam huic erigendæ ma- „ chinæ confinxiſſe; ſed antiquiſſimam, re- „ ctiſſimam, DEO hominibuſque PROBATAM „ ſequutum eſſe, hoc eſt ſolius Divinæ „ Scripturæ, Sanctorumque noſtrorum Pa- „ trum, priſcorum Conciliorum, & Sacrorum „ Canonum rectiſſimis lineis innixum molem „ hanc totam ædificaſſe „ (1). Confer hæc, Febroni, cum iis, quæ de ſtudio, ac labore, quem te unionis (ut verbo quidem pollicere) perficiendæ (2) Proteſtantium cum Ca-

(1) Præf. in Tom. 1. pag. mihi VIII. ſeqq. Edit. Londin. an. 1617.

(2) Febron. in Præf. in 1. Tom. „ Scilicet, inquit, om- „ nia mea vota, & conatus illuc tendunt, ut ceſſet aliquan- „ do fatalis illa diviſio, quæ duobus ſeculis, & ultra SCIN- „ DIT ECCLESIAM „ (quaſi vero ad Eccleſiam Proteſtan- tes

Catholicis gratia; ut autem eſt revera, vel funditus, vel pene delendi Primatus Romani Pontificis, cauſſa, ſuſcepiſſe teſtare in Præfatione priore tua: Confer item minas Apoſtatæ illius cum iis, quas tute (1) quinque ipſis tuis voluminibus comple-

tes ſpectent, Græcique Schiſmatici de quibus item Febronius agit) Pergit porro „ Quidquid arbitrentur, & dicant „ MINUS PERSPICACES, Romanæ Sedis dignitatem „ magis ex Regulis humanæ ambitionis, quam ex vera ejus „ indole exiſtimantes; genuina ejus majeſtas (vel ipſis id „ agnoſcentibus, & profitentibus Romanis Pontificibus) conſi- „ ſtit non in diminutione, ſed in conſervatione jurium Epiſco- „ palium, & privilegiorum omnium Eccleſiarum. Non dubi- „ to, quin futuri ſint, qui mihi temere objiciant, a me Pon- „ tificiam auctoritatem repudiari. Ego ſane poteſtatem nullam „ rejicio, quæ ad utilitates Eccleſiæ, ad coedificationem tem- „ pli, hoc eſt ad compactionem membrorum corporiſque „ Chriſti conjunctionem pertinere videatur... Hic nemini „ ſuum, quodque vero jure competit, tollitur; ſuperfluum, „ & USURPATUM abrogavi, amore pacis, & juſtitiæ. Non „ ipſam Pontificiam poteſtatem, ſed exceſſivum ejus uſum „ moderandum, & ad NORMAM GENUINORUM CANO- „ NUM temperandum eſſe ſuſtinetur... Ego ex PATRUM „ DICTIS, & CONCILIORUM ACTIS „ loquar „ ad optatam „ illam, ac Deo PLACITAM ECCLESIARUM UNIO- „ NEM &c. „

(1) Sic enim Febronius in ead. Præf. ad Clem. XIII. Scribit. „ Cavebis.. ut.. ne magnum illud ſacræ reformationis, „ ac reunionis meritum tuis relinquatur in Petri Cathedra ſucceſſoribus... Si mollia non juvant, ſuccedent aſpera... „ Durius ſane foret, nec ſanctæ Sedi adeo honorificum, ſi Se- „ culares poteſtates, auctoritate ſibi.. deſuper data uti debe- „ rent ad tollendos illos, de quibus querimur, exceſſus. „ Vide itaque annon expediat, ut conveniente tuæ auctori- „ tatis moderatione, & uſurpatorum ſpontanea dimiſsione „ tantum opprobrium prævenias. Noli fidem adhibere adula- „ toribus, qui dicunt, tuum, & ſucceſſorum imperium ſem- „ per ſubſtiturum &c. „ His reſpondent, quæ Marcus Antonius de Dominis Præfatione illa ſua comprehendit. „ Submittit inde Febronius opus ſuum judicio Eccleſiæ, ſanctæque Sedi in primis, quod item fecerat Marcus Antonius; ſed mox ut vidit proſcriptum opus idem fuiſſe Romæ, non minus acriter in Cenſores ſuos invectus eſt, quam Apoſtata ille Spalatenſis Pontificem inceſſerit, ubi proſpexit libros ſuos Pontificis ejuſdem juſſu damnandos fore. Videantur Febronii Tomus I. cap. VI. §. IX. n. 5.

plexus es: Confer denique cetera, atque una conſidera, num ovum poſſit eſſe ovo ſimilius. Age vero, ecquid magnus ille promiſſor, qui (ut tu ipſe modo) Scripturas, qui Patres, qui veteres Synodos, qui genuinos Canones jactabat, ecquid, inquam, intulerit utilitatis? Unum ille aliquem pervertit fortaſſe; reduxit certe ad ovile Chriſti prorſus neminem. Quid tu? Annos jam præteriſſe noſti omnino novem, quo ex tempore *Liber ſingularis* tuus *de Statu Eccleſiæ* emiſſus in hominum lucem fuit. Hoc novennio quot numeras Proteſtantium, qui abjecta Lutherana, Calvinianave ſuperſtitione, ad Catholica ſacra, qualia abs te proponuntur, acceſſerint? Commoviſti tu for-

n. 5. pag. 359. & quæ idem tradit Tom. II. pag. 566. de Pontifice, qui ſibi forte ſuccenſebat, & pag. 610. ſeq. „ de Romana Cenſura, & Tom. III. pag. 248. ſeq. &c. „ Sed ut Marcus Antonius de Dominis Eccleſiæ Romanæ ſuum opus ſubdens, adjunxit, Theologorum ſe exactam trutinam præterea velle, in primis autem Sorbonicorum (Ibid. in Præf.); ita Febronius „ ſanius præterea judicium poſtulat prudentum, & doctorum „ virorum. „ Tom. I. pag. 359. „ Simile quidpiam feciſſe Melanthonem Lutheranum Boſſuetius narrat lib. V. Variation. n. XXVIII. pag. 210. Tom. II. Edit. Argent. an. 1738. Nam poſt ubi Melanthon idem dixit „ me ſubjicio judicio Eccleſiæ „ addidit „ hoc „ eſt, probis hominibus, & doctis „. Animadvertit autem Boſſuetius eodem id recidere, atque ſubjectionem evertere velle, quam promiſerat. Nam proborum, doctorumque nominibus eos deſignari, voluit quos id ſentire, quod ipſe, ſentiebat, noſſet „ J' „ avoue, inquit, que ce, c'eſt a dire, detruiſoit tout &c. On voit „ bien quelle ſommiſsion eſt celle, où ſous le nom des gens de „ bien & de gens doctes on ne connoit dans le fond, que „ qui l' on veut „. Quamquam vero ad judicium Sorbonæ provocavit Marcus, damnatus tamen ab ea merito fuit, ut ſuo nobis loco demonſtrandum erit. Expecto ejus Facultatis judicium de Febronio. Quale futurum ſit, conjici poterit, ſi Marci Antonii ſcripta diligentius cum Febronianis conferantur. Sed hac de re alias.

forte aliquos, ut Catholiciſmum deſererent; ut amplecterentur autem Catholiciſmum, ne ita quidem ut abs te deſcribitur, quod ſciam, omnino nullos. Cur non potius Vallemburgicos Fratres deceſſores tuos viros clariſſimos, atque ornatiſſimos imitatus es, qui cum ſecus ac tu, nihil afferendum putarint, quod Sedi Apoſtolicæ minus probari poſſe intelligerent; tum vi orationis, pondereque argumentorum, multos Proteſtantes induxerint, ut errare deſinerent, redirentque ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem? At fato quodam infeſto, atque inimico tibi eveniſſe contendes, ut nihil adhuc profeceris. Quid? actum ne, dices, fuiſſe culpa Principum Catholicorum, qui non auſcultarint edicenti tibi, quique *exorbitantes Romanorum prætenſiones* fovere pergant, privati ſui commodi cauſſa? Hoc quivis etiam poſſet dicere, qui grave quidlibet in Eccleſiam, aut in rem civilem publicam moliretur. Neque hinc te longe abeſſe video. Nam, ut demonſtratum eſt, de Regibus tu quoque interdum obloqueris. Quamquam revocas te plerunque, quod forte vereare, ne diuturna eſſe iſta non poſſit obtrectandi impunitas. Itaque ſæpe retinendarum *uſurpationum*, quod objicis, crimen, quantum quantum Romanis, aliiſque Italis haud ſane multis adſignandum putas. Quare cum tibi, neſcio quo

quo jure aſſumſiſſes, probaſſe te Gentibus quibuſque Catholicis (demptis Romanis) quæ ſcripſeras; tum ita placuiſti tibi, ut *librum* tum, quem *mirabilem* vocas, *librum miniſtrorum*, *librum Prælatorum in Conciliis*, *formidandum Romæ*, *gratum Nationibus*, *librum veritatis*, *& juſtitiæ* eſſe gloriarere (1) Age vero, ſi *nationibus* perſuaſiſti, *vera*, *& juſta* eſſe, quæ *libro* iſto tuo comprehenderas (qua in re tamen egregie te falli poſt item efficiam) ecquid obſtitit, rogo, quin Proteſtantes (Romanis, aliiſque illis Italis, paucis quidem certe, neglectis) cum multitudine ingenti Catholicorum ſocietatem conjungerent? An plus virium ineſſe paucis, quam adeo multis concedes? Novi ego te. Quidvis patiere potius, quam ut id faſſus umquam fuiſſe videare. Si ſummo igitur ſtudio, ac labore tuo, facta cum noſtris non eſt, quam tu tertio quoque verbo jactabas, *reunio*, non omnium Proteſtantium modo, ſed ne aliquorum quidem; quid reſtat, niſi ut tandem aliquando confiteare, vel diſſenſionum cauſſam eam non eſſe, quam tu ignarus rerum, præcipuam eſſe cauſſam putaras; teque proinde de ſpe componendæ ea ratione pacis dejectum eſſe: vel ſi gnarus tu forte fueras, ſpecie tamen *reunionis*, te aut incendere magis

(1) Febron. in Append. II. ad I. Tom. Edit. Venetæ pag. 154. & pag. 162. ſeq.

gis magiſque voluiſſe diſcordiam, novumque genus (quod non credo) ſectæ inducere curaſſe, tot conceſſis abs te rebus, quæ ab Orthodoxo viro concedendæ non viderentur; aut (quod quidem magis credo) tentaſſe, quid in Romanos poſſes, a quibus jamdiu alieniore animo fuiſſes.

V. Dices, opinor, tranſigi aliter, atque tu feceris, cum Proteſtantibus nequire: te vero, qui conciliatoris fungi volueris munere (1), id ipſis dandum exiſtimaſſe, quod & licere putaveris, & conferre ad conjungendam rurſum cum iiſdem ſocietatem poſſe videretur. Licueritne, poſt expendam. Nunc attende, qualis tu fueris ejus *reunionis* conciliator, quam tantopere tibi eſſe, affirmas, cordi. Quæro, Eccleſiæ ne Romanæ (quam *centrum* eſſe *unitatis* Catholicæ profiteris) *unire rurſum* Proteſtantes velis; an Romanam Eccleſiam Proteſtantibus? Romanæ, inquis, Eccleſiæ. Recte ſane. Non enim *unitati* Eccleſiæ Catholicæ quemquam reſtitues, quem non una *centro unitatis* conjunxeris. Quam namque eorum *unionem* fingas, qui non petant; ſed averſentur, fugiantque *unitatis* centrum? Niſi forte *unitatem* non *unitatem* velis, quod eſt repugnans, & nugatorium. Jam vero quo

Febronium, ait, neque fuiſſe recte conciliatoris functum munere: neque egiſſe ordine, ut his de rebus diſſerentem decebat.

(1) Tom. II. Febron. pag. 132.

quo demum modo Proteſtantes concilies, conjungaſque ei Eccleſiæ, cui non modo nihil des laudi, negeſque auctoritatem, ac prærogativas, quas ab Apoſtolorum temporibus in ipſa agnoverit omnium cœtuum orthodoxorum conſenſio (1); ſed perpetuam etiam infamiam inurere conere? Quam enim tentatæ uſurpationis jam uſque a ſecundo nominis Chriſtiani ſeculo (2), quam ſuperſtitionis, quam ſimoniæ ream conſtituis; quam jamdiu contra agere criminaris, atque Chriſti Servatoris inſtituta ferant; quam hæreſibus faventem ab illuſtribus Eccleſiis exiſtimari ſcribis; quam dominatum, deſpotiſmum, monarchiam orbis terrarum anhelare; quam demum artibus, fucis, moliminibus, machinationibus, dolis ſuas opes amplificare, & res quaslibet ad ſe pertrahere curaſſe; labefactaſſe genuinos canones, horumque loco ſpurios, jurique ſacro inimicos in rem Chriſtianam publicam invexiſſe; coarctaſſe, inque ſummas angu-

(1) Hac de re ſequentibus Epiſtolis diligenter agam.

(2) Febr. Tom. 1. pag. 520. ſeq. „ Ante falſas Decretales, „ inquit, Pontificia auctoritas ægre intra ſuos fines continebatur.. Eo jam ævo inventi ſunt, qui ROMANAM SEDEM „ de STUDIO AUGENDÆ poteſtatis ſuæ incuſarent „ (falſum id quidem) „ .. Talium augumentorum haud pauca ſive attentata, ſive in effectum redacta hoc ipſo Tractatu exhibemus „ ex ſeculo II. in Victore. Cap. IX. §. 7. n. 2. pag. 539. Seculo III. in Stephano Cap. VI. §. IX. &c. Pluribus aliis in locis hoc idem agit, qua de re quoque poſt videro, ut de ceteris etiam criminationibus quas in Romanam Eccleſiam, inque Pontifices Maximos idem jacere non veretur; quamquam de his plura me ſupra adnotaſſe, meminerim.

anguſtias redegiſſe auctoritatem Epiſcopis a Chriſto datam; ſponſam Chriſti lutulento coeno merſam reliquiſſe; miſcuiſſe, turbaſſe, pervertiſſe omnia, libere, tu quidem idque paſſim quaque pagina tuorum quinque voluminum prædicas; quam, inquam, Eccleſiam ſic inſectare, cum ea ne, Febroni, confidas, Proteſtantes inituros ſocietatem? Non perduces tu, mihi crede, ad unitatem eos, quos tam vehementi, atroci, plena probri oratione contra centrum incitas unitatis. Delige judices tuo arbitratu, catholicos, hæreticos, quos voles denique; præſenti pignore confirmo, eorum neminem tam æquum tibi, tamque Romanis iniquum fore, qui non ultro ſtatuat: non conciliatoris functum eſſe officio te; ſed adverſarii, Proteſtantes, ne lædere deſinant, neu ſe in fidem Eccleſiæ Catholicæ permittant, deterrentis. *Eccleſiæ*, inquam, *Catholicæ*; nam cœtus eſt uſquam orthodoxorum omnino nullus, qui in Eccleſia Catholica quemquam eſſe eorum credat, qui juncti Cathedræ Petri non ſint, hoc eſt unitatis centro, præter quod aliud ullum divinitus conſtitutum ne fingere quidem liceat. Tu vero, qui in id *centrum unitatis* divinitus conſtitutum tam acerbe invehere, dum partes agere te jactas *mediatoris*, ſeu conciliatoris, ſic habeto: *falſos, fallaceſque mediatores*

eſſe,

eſſe, Auguſtino teſte (1), *illos, qui a provectu animorum nos avocare, atque avertere moliantur, neque viam præbeant ad Deum; ſed ne via teneatur, impediunt*.

Quid? Si etiam non deſint, qui averti abs te potius ad hæreticos ſuſpicentur unitatis centrum; quam dari operam, ut hæretici ad unitatis Catholicæ centrum redeant? Ita nempe tergiverſari te, atque ſic agere videri, ajunt, ut vereantur, ne non te pudeat ſentire, quod pudeat dicere. Niſi enim ita eſſet, non caviſſes profecto, ne quid abs te in Proteſtantium dogmata dictum vehementius videretur; immo caviſſes, ne quiſquam te ipſorum laudare religionem, atque doctrinam putaret; dum eos commendans, Pontificem, ejuſque Eccleſiam Romanam conviciis onerares (2), minuſque curandam præciperes (3). Jam de Walchio, quem Lutheranis partibus ſtudere conſtat, quibus demum verbis, quam blandis, quanta laude ejus ſtudiorum, atque utinam non etiam religionis, lo-

(1) S. Auguſt. „ lib. IX. de Civit. Dei Cap. XVIII. pag. 178. Tom. VII. Oper. Edit. Antuerp. an. 1700.

(2) Vide pag. hujuſce volum. 16. ſeq.

(3) Non enim eſſe, ais „ multum fiduciæ ponendum in ſolo „ Papa, & particulari ejus Romana Eccleſia „ Ac „ de mate- „ ria fidei ſatis egimus (addis). Hic videmus „ mores minus „ laudabiles CIRCA RES SACRAS vigere in Romana Curia, „ IDQUE A SECULIS; nec TOLERARI ſolum, ſed AB „ IPSOMET PONTIFICE, cujus NOMINE, & AUCTORI- „ TATE TALIA EXERCENTUR, PROBARI &c. „

loquutus es ? „ Cum ipſe , *inquis*, EVANGE-
„ LICAM RELIGIONEM profiteatur , eamque in
„ celebri Univerſitate CUM LAUDE DOCEAT „
(1) . *Evangelicam* ne quiſquam eam *religionem* vocet , quam eſſe *antievangelicam*, ſeu repugnantem orthodoxo dogmati , atque adeo hæreticam arbitretur ? Quæ autem, te auctore , laus eſſe poterit cjus ſtudiorum , a quo errorem contra orthodoxum dogma propugnari , docerique credas ? Diſcrepare te quidem , catholicoſque ceteros multis de rebus a Proteſtantibus , adjungis , ſed quanta blandilcquentia ? Ita omnia circumſpicis , atque metire , ut ne quis eorumdem Proteſtantium cenſuram abs te ſuis erratis inuſtam conqueri poſſe videatur. Numquam illis opinionum *monſtra* &c. numquam *parergas extra ſanam doctrinam*;&c. numquam aliud quidquam earum criminationum exprobras ; quas tamen plena manu in Eccleſiam Romanam , inque Pontifices Maximos ſoles effundere . Quid autem illud eſt , quo te proripis , ut invidiam vites diviſionis ? Jungi aliquos , doces , poſſe Apoſtolicæ Petri Cathedræ , hoc eſt *unitatis centro*, tametſi nulla ſit eis aliquandiu cum eodem centro communionis ſacrorum conſociatio . Nam quod huic juncti communione non ſint , id contingere poſſe arbi-

(1) Tom. III. pag. 313.

traris, vel doctrinæ, qua ab Eccleſia Romana diſſideant, vel alterius rei cauſſa. In vitio autem non eos, ſed ipſam eſſe, quæ eoſdem (contra atque ipſa ſtatuat, creæ datque) docentes, aut ſtatuentes vel improbet, vel non audiat: quaſi vero qui ſic agant, judices ſint divinitus conſtituti controverſiarum de religione, ac moribus; neque *omnes, qui ſunt undique fideles ad Eccleſiam Romanam propter potentiorem*, vel *potiorem principalitatem* (1); ſed Eccleſiam Romanam ad tuos illos *convenire neceſſe ſit*, ac ſi his, non illi, inſtitutione Chriſti, inſit *potentior*, vel *potior principalitas*. Quam hæc longe a Patrum, Eccleſiarumque omnium (Gallicanæ in primis, cujus te dicis patrocinio, præſidioque confidere) ſententia diſtent, in his ego Epiſtolis demonſtrabo, ubi quæ iiſdem de rebus variis in locis tui Operis docuiſti, accurate deſcripſero. Nunc, quod ad inſtitutum maxime pertinet, illud attendas diligenter, velim, quam nequeant diverticula iſta tua, flexioneſque cum Conciliatoris componi munere. Quo namque modo ei tu *centro unitatis* quemquam concilies, in quod, diſputando, neges competere notionem *centri*? Quemadmodum autem non ne-

(1) Vide S.Irenæum, lib. Adverſus Hæreſes III. Cap.III. Edit. Venetæ an. 1734. pag. 175. ſeq.

neges, notionem *centri unitatis* cadere in eam Eccleſiam, a qua (perrupto vinculo, quo ipſi illigabare, communionis) fas tibi eſſe defendas, aliquamdiu, immo ſatis diu temet disjungere? Satis, inquam, diu; nam (1) a ſeculo IX. ad hæc uſque tempora doctrinas eam probare, ac ſequi audere, animadvertis, quæ contra Chriſti inſtituta ſint, centrique in ea *virtutem non manifeſtent* (2). Quod ſi nihilominus (ut alicubi certe dicis, qua de re alias) conjunctum te illi affirmes eſſe, etſi te ab ipſa disjunxeris; profecto *junctum te, non junctum centro*, idque tibi *centrum, non centrum* eſſe fabere, quod pugnans eſt. At *animo* te *junctum*, inquies, ſat ſcio, quamvis junctus ei non ſis aliquandiu exteriore conſortio ſacrorum. Provide, obſecro Febroni, tibi, ne id facere videare, quod ſeditioſi cives ſolent, qui cum arma in Patriam ferant, tum jactant, incendi ſeſe, flagrareque amore Patriæ. Quem autem animum, quem amorem, quam conjunctionem voluntatis ei profiteare, cum qua pugnes acriter, quamque vituperes, mordeas, inſectere ac ſi indigna ſit non ratione ſolum, ſed etiam centri nomine? Jam de militanti Eccle-

 ſia

(1) Hoc ſæpe dicit Febronius. Sed hac de re agam alio loco opportune, ac diligentius.
(2) Vide ſupra pag. 25. not. 1.

ſia noſter omnis eſt ſermo, quam Eccleſiam Catholici quique confitemur eſſe *viſibilem*. Ad eam vero te pertinere quis cenſeat; immo quis ad eam te ipſum minime pertinere non credat, a qua te palam ſejunctum cernat ratione ſacrorum? Sejunctum autem ab eadem te palam fore, qui demum neges, ſi ab illius tu Sedis communione conſpicue te ſegreges, ex qua in cœtus omnes Catholicorum *venerandæ communionis jura dimanant* (1); quæque habetur (ut perpetua fert per Apoſtolos, perque Patres ad nos uſque perlata traditio) ab Eccleſiis Catholicis omnibus *matricis*, *radicis*, (2), ac *centri* loco, a quo ſi avellare, areſcere *ſpiritu* te, atque interire oporteat

(1) Vide Synodi Aquilejen. Epiſtolam ad Auguſtos, apud S. Ambroſium Epiſt. xı. n. 4. pag. 811. Tom. III. opp. Edit. Pariſ. an. 1690. „ Totius orbis Romani Caput Romanam Eccle-„ ſiam, . . . ne turbari ſinat, obſecranda fuit Clementia ve-„ ſtra; inde enim 'in OMNES VENERANDÆ COMMUNIO-„ NIS JURA DIMANANT. Idem Ambroſius lib. 1. de Exceſs. Fratris ſui Satyri nu. 47. pag. 1127. laudi dat ipſi Satyro, quod „ evocarit ad ſe Epiſcopum, percontatuſque ex eo fue-„ rit, utrumnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Ro-„ mana Eccleſia conveniret? „ Addit Ambroſius: Et forte ad „ id locorum „ (quo Satyrus pervenerat,) „ in ſchiſmate re-„ gionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim ſe a noſtra tunc tem-„ poris communione diviſerat; & quamquam (Lucifer) pro fide „ exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, NON PUTAVIT „ TAMEN (Satyrus) FIDEM ESSE IN SCHISMATE. Nam „ etſi fidem erga Deum tenerent; TAMEN ERGA DEI EC-„ CLESIAM NON TENEBANT; CUJUS PATIEBANTUR „ VELUTI QUOSDAM ARTUS DIVIDI; & membra lace-„ rari. Etenim cum propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit; & „ Chriſti corpus Eccleſia ſit; non videtur ab iis exhiberi Chri-„ ſto fides, a quibus Chriſti . . . corpus diſtrahitur „.

(2) Conſule S. Cyprian. Epiſt. LIX. al. LV. ad Cornel. pag. 136. & lib. de Unit. Eccl. pag. 108. ſeqq. Edit. Oxon. an. 1682.

oporteat? Quod ſi perſtas, ac manere nihiloſecius te animo junctum centro Eccleſiaſticæ unitatis pugnes, etſi aliquamdiu, immo ſatis diu disjunctus ab ipſo ſis ratione ſacrorum; quid ages (Conciliatorem te pacis, atque unionis Proteſtantium cum Eccleſia Catholica jactitans) niſi ut Proteſtantes ſibi hoc ſummum perſuadeant, ſatis tuto ſe dici animo conjunctos Eccleſiæ Romanæ poſſe, tametſi doctrinæ cauſſa disjuncti ab ea conſpicue maneant, quamdiu ipſa in tot *monſtroſis* opinionibus (1) colendis, tuendiſque perſtet: utque ſimul conſtituant, fas eſſe ſibi, perpetuo ab eadem recedere? Quo enim pacto ei ſe conjungant, quam proſpiciant, numquam, quod ſemel probaverit (2), abjecturam; quamque probare dogmata noverint, quæ (te auctore) virtutem *centri-unitatis non manifeſtent* (3) propter pravitatem? Hoc modo ſi Proteſtantes, tuis documentis freti, Catholicos ſe fore polliceantur, ecquid demum tu conſequere, niſi, ut reſtituendæ pacis ſpecie ſchiſma inferas ſempiternum? An ſatis, dices, eſſe, ut illi ceteris Eccleſiis Catholicis adhæreant, omiſſa Romana? Qui tandem? Ceteræ ne Catholicæ Eccleſiæ a cen-

(1) Vide Febronii verba pag. 19. ſeq. hujus vol. not. 3.
(2) Confer Præfat. Febronii in Tom. 1. pag. mihi 18.
(3) Lege, quæ ſcripſimus pag. 25. hujus vol. not. 1.

tro ſe *unitatis* avellant, cui junctæ ſunt, & unde in omnes venerandæ communionis jura dimanant; ut cum Proteſtantibus, ſi modo poſſint, coeant in communionis ſocietatem? Næ tu egregius nobis eris Conciliator, qui ut incertam pacem Proteſtantium cum cœtibus Catholicis pleriſque conjungas; certam ſtudeas, eamque conſtantem, Chriſtique ſententia nixam coetuum eorumdem Catholicorum cum Eccleſia Romana conjunctionem divellere? Id vero tu quibus indiciis, quave conjectura ductus ſperes ab iiſdem Eccleſiis, quæ non religione, non dogmate, non diſciplinæ ratione ulla impediri ſe, & verbo, & re ipſa oſtendunt, quin jungi perpetuo Sedi Apoſtolicæ debeant?

Nam ſi qua re impediri ſe crederent, non committerent profecto, ut eidem Romanæ Sedi tam arcte, quam ſunt revera, nexæ, copulatæque viderentur, & eſſent. Jungi enim ei contra atque fas ipſæ ſibi eſſe arbitrentur, nemo (niſi injurius cœtibus univerſis Catholicorum) dicet. Non enim dicet, niſi cœtus eoſdem non ſinceritate, non fide, non conſcientia agere; ſed ſimulatione, ſed prævaricatione, ſed perfidia, ac ſcelere proditæ veritatis per ſummam injuriam judicet. Quod ſi ſunt aliquæ Eccleſiarum, & hæ qui-

quidem magnæ, ac nobiles, quæ de articulis quibuſdam doctrinæ ſecus atque nos ſentiant; tamen ita inſtitutæ, comparatæque ſunt, ut ſententias de articulis iiſdem ſuas dogmatum fidei loco non habeant; neve conſtanti majorum, perpetuaque traditione confirmari putent; ſed in privatis ſuis opinionibus numerari oportere confiteantur. Id vero Jacobi Benigni Boſſuetii Meldenſium olim Antiſtitis adverſus hæreticos diſputantis teſtimonio ſupra (1) demonſtratum eſt; quem tu hominem de ſummo, quem hoc præſertim in genere apud ſuos cives occupat, exiſtimationis gradu, etiamſi conere, numquam dejeceris. Contra, illæ ipſæ Eccleſiæ, ita ut Catholicæ reliquæ, Sedem Apoſtolicam inſtitutione, juſſuque Chriſti centrum unitatis eſſe, cum quo perpetuo ſervanda ſit communionis ſacrorum conſociatio, fide divina tenendum, atque confitendum, docent. Collige rurſum Febroni, te, ac ſerio tecum conſidera, prudentem ne, ac ſequeſtrum pacis ſe præbeat is, qui exiſtimet, extorqueri ab Eccleſiis iiſdem poſſe, ut conjunctioni cum Apoſtolica Petri Cathedra, unitatique, quam certiſſimo dogmate nixam credant, præferant opiniones privatas ſuas; neque id modo exiſtimet, ſed horte-

 tur

(1) Pag. hujus Volum. 33. in not.

tur etiam ipſas, ut privatis illis opinionibus geri, adminiſtrarique rem Chriſtianam faciant; ac ſi Pontifex renuat, vim ei inferri curent; ſi perſtet, unitatem inſtitutione Chriſti conſiſtentem, ſcindant; propterea quod hanc planiorem tu eſſe cenſeas Proteſtantium Catholicæ Eccleſiæ conciliandorum viam; etſi iſtà *conciliatio*, optari quidem, quam voles cupide, poſſit; ſperari autem, mortalis cujuſquam, opera, ut plane proſpicio, non poſſit. Patere Febroni, ut bona tua venia, aperte dicam, quod ſentio. Equidem metuo, ne pleriſque omnibus, non prudentis id certe, neque ſtudioſi pacis, conciliatoris vero multo minus; ſed perturbatoris videatur eſſe, novas diviſiones in Chriſtianam rempublicam inducere molientis. Jam a Proteſtantibus quid expectes, qui *reunionem*, quam tantopere inculcas, non modo non cupiant, neque indicium dent illius amplectendæ ullum; ſed eam plane ſe etiam averſari vociferentur, niſi injecta deteſtatione plurium dogmatum orthodoxorum, qua non Proteſtantes Catholici; ſed Catholici Proteſtantes fiant? Neges ne? Sed qua demum fide, cum ex Valchii, ex Bardtii, ex aliorum Proteſtantium in tuum opus animadverſionibus intellexeris, quam illi longe ab ea, etiam *reunione*, quam tanta in ipſos facil-

cilitate, atque indulgentia proponis, diſtent? Qua de re quidem alias. Verumtamen, fac non tam diſtent. Quid? Curanda ne tanto Eccleſiæ Catholicæ damno iſta *reunio* eſt, ut tollendæ veteris cauſſa, nova ſit conflanda diviſio? Profecto niſi malo bonum curare velle id eſt; quid ſit, ne ſuſpicari quidem poſſumus. Diviſionem enim Eccleſiarum ingens eſſe malum, quis dubitet, niſi qui aut Patres, Traditionem, Scripturas (1) pendat omnino nihili, aut in ſumma

(1) S. Auguſtinus Libro II. Contra Epiſtolam Parmeniani cap. XI. pag. 28. Tom. IX. Edit. opp. Antuerp. an. 1700. poſt ubi Scripturarum teſtimoniis egit, tum ita ſcribit: „ Hæc „ de Scripturis Sanctis documenta proferimus, ut appareat fa„ cile NON ESSE QUIDQUAM GRAVIUS SACRILEGIO „ SCHISMATIS (ſchiſma autem diviſio eſt) QUIA PRÆCI„ DENDÆ UNITATIS NULLA EST JUSTA NECESSI„ TAS „. Et lib. III. cap. V. n. 28. pag. 50. „ Inconcuſſum, „ firmumque teneamus, nullos bonos ab ea ſe poſſe dividere, „ id eſt nullos bonos, etiamſi cognitos ſibi malos patiantur, „ ubicumque verſentur, propter eos ſe a longe poſitis, & incogni„ tis bonis temerario ſchiſmatis ſacrilegio ſeparare ... non hoc „ potuiſſe facere, niſi aut SUPERBIÆ TUMORE FURIOSOS, „ AUT INVIDENTIÆ LIVORE VESANOS, aut ſeculari „ commoditate corruptos, aut carnali timore perverſos. Qui„ bus omnibus cauſſis efficitur, ut vel boni FALSIS CRIMI„ NIBUS INFAMENTUR; vel TEMERE DE BONIS FAL„ SA CREDANTUR, VEL ETIAM MALI, QUI PRO U„ NITATIS VINCULO TOLERATI NIHIL OBSUNT BO„ NIS, DISRUPTA BONORUM PACE PERVERSISSIME „ FUGIANTUR. „ Et lib. I. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. XI. n. 16. pag. 59. „ Audimus Johannem dicentem, qui „ odit fratrem ſuum in tenebris eſt uſque adhuc. NULLI AU„ TEM SCHISMATA FACERENT, SI FRATERNO ODIO „ NON EXCÆCARENTUR... ANNON EST IN SCHISMA„ TE ODIUM FRATERNUM? QUIS HOC DIXERIT, „ CUM ET ORIGO, & pertinacia ſchiſmatis NULLA SIT „ ALIA, NISI ODIUM FRATRIS? Vide etiam librum III. contra Creſconium cap. XXXV. n. 39. pag. 309. & librum de Unitate Eccleſiæ contra Donatiſtas cap. XI. n. 28. pag. 241. quo loco inquit: „ Nec Catholicis Epiſcopis conſentiendum eſt, ſicu„ bi forte falluntur, ut contra Canonicas Dei Scripturas ali-

„ quid

ma rerum Chriſtianarum ignoratione verſetur? A qua vero Sede, quam ob cauſſam reliquas disjungi fas eſſe interdum, doces? A Romana ſcilicet, quæ (ut traditione divina, quod ſæpe animadverti, conſtat) centrum unitatis Catholicæ a Chriſto eſt conſtituta: neque ab Apoſtolica Sede ſolum, ſed ab Eccleſiis etiam ſane multis, quæ certe quidvis malent perpeti, quam ut ab ea divelli ſe umquam ferant. Te utar judice, Febroni. Tu, cui tam eſt, ut ſcribis, tranquillitas San-

---

,, quid ſentiant. Sed SI CVSTODITO UNITATIS, & CARI-
,, TATIS VINCULO in hoc incidunt, fiet in eis quod Apoſto-
,, lus ait: & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque Deus vobis reve-
,, labit. Jam vero iſtæ divinæ voces de univerſa Eccleſia ita
,, manifeſtæ ſunt, ut contra eas, NISI HÆRETICI ANI-
,, MOSA PERVERSITATE, & CÆCO FURORE LATRARE
,, NON POSSINT. Confer præterea Epiſtolam LIII. ad Generoſum n. 2. & 3. pag. 91. Tom. II. quo loco agitur adverſus Donatiſtas de ſucceſsione Epiſcoporum Romanæ Sedis: & Pſalmum contra Donatiſtas Tom. VIII. pag. 4. ſeq. ubi Sedes Apoſtolica, ſucceſsioque Pontificum radix, & petra appellatur, a qua ſe diſcindere liceat omnino nemini. Nam ſic habet: ,, Sci-
,, tis catholica quid ſit, & quid ſit præciſum a vite. Si qui ſunt
,, inter vos cauti, veniant, vivant in radice. Antequam nimis are-
,, ſcant, jam liberentur ab igne.. Quid illi prodeſt forma, ſi non
,, vivit in radice? Venite fratres, ſi vultis, inſeramini in vite.
,, Dolor eſt, cum vos videmus, præciſos ita jacere. Numerate
,, Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo Patrum,
,, quis cui ſucceſsit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt
,, ſuperbæ inferorum portæ ,,. Quid? Ab radice ſe quiſquam licite disjungat, petramque impune deſerat? At animo, inquis, junctus ero, non externa communione. Immo contra faciendum Auguſtinus monet, ſi bonus eſſes, atque in malos ageres. Lib. II. contra Epiſtolam Parmeniani cap. XVIII. pag. 34. ,, Se-
,, parantur interim corde, (ſeu deteſtatione malefactorum),
,, ne forte cum id FACERE PER SEDITIONEM SCHISMA-
,, TIS VOLUNT, PRIUS A BONIS SPIRITUALITER,
,, QUAM A MALIS CORPORALITER SEPARENTUR ,,. Quo item ſpectat quod ſcribit ibid. Cap. VIII. pag. 22. At Auguſtino, inquies aſſentior Vol. 1. cap. VIII. §. VII. n. 13. pag. 548. atque confirmo ,, ſcindendæ unionis nullam dari juſtam ex-
,, cuſationem ,,. Id vero ſi fatere, cur reipſa diviſionem inducere conare?

Sanctæ Matris Eccleſiæ publica cordi, tu, inquam, ſtatuito, digna ne ſit tua iſta docendi ratio homine, qui fungi ſe glorietur mediatoris, ſequeſtrique inter Chriſtianos pacis munere? Quid enim? Pacem ne ab eo curari dices; qui radios a centro, ab radice ramos, a *viſibili capite* (qualem eſſe Romanæ Eccleſiæ Antiſtitem ſæpe, etſi tecum luctans fateris) membra divellere conetur; idque ut conſequi poſſit (vitiorum Romanæ Curiæ, redituſque Proteſtantium ad Catholica ſacra obtentu) licere prædicet? Id vero tu, ſi talis haberi, qualem te profitere, velis, numquam dices. De cauſſa nihil attinet diſputare. Nullam enim eſſe & libri eorum, quos præſidio tibi ſperabas fore, prorſus evincunt; & omnium cœtuum catholicorum cum eadem Romana Sede reipſa demonſtrat conjunctio. Quæ vero hactenus cauſſa non fuit, ea ut deinceps diviſionis ſit cauſſa, cui tandem perſuadebis, niſi ei qui male ſit in Eccleſiam animatus; nihilque optet magis, quam perturbationem pacis, diviſionemque reliquorum cœtuum Chriſtianorum ab Eccleſia principe?

At enim non perpetuo, inquies; ſed ad tempus Eccleſias reliquas a Romana, quoad hæc reſipuerit, dividi vellem (1). Quaſi vero

(1) Vide, quæ ſcribit Febronius T. I. Cap. VI. §. III. n. 6. pag. 301.

vero ulla ſit fere facta diviſio, quam non *ad tempus*, ſpecie alicujus boni, ejus auctores ab ſe factam defenderent. Mihi certe non ſit veriſimile, Luciferum Calaritanum, qui ſchiſma, zeli domus Dei (ut ſibi falſo perſuaſerat) ratione induxiſſet, diviſionem inducere voluiſſe perennem. Qui enim perennem voluiſſet eam, cujus non ignorabat eſſe temporariam cauſſam (1)? Nec deſunt, qui ad unitatem ipſum tandem revertiſſe ferant (2). Sed Patres (qui, ſi revertiſſet, amplexi fuiſſent reſipiſcentem) ita hominem ob pacem turbatam, inlatamque diviſionem ſunt averſati, ut non modo accuſarent, ſed etiam exſecrarentur (3). Nam diſcidium ipſum per ſe in vitio eſſe, majores noſtri judicaverunt

pag. 301. & multo clarius Cap. IX. §. IV. n. 3. pag. 573. & §. V. n. 1. p. 577. Ac l. c. §. IV. hoc proponit: „ Annon, poſtquam molliora exhauſta ſunt, remedium TEMPORARIÆ SUBTRACTIONIS,, (ſubſtractionis vocabulo diviſionem intelligit, ut ex textu conſtat) „ quod alias in communibus Eccleſiæ neceſsitatibus „ cum fructu,, (falſum id quidem),, uſurpatum eſt, etiam ad tollenda hæc mala, utiliter adhiberi queat „ ? Sed hac de re alibi copioſe, accuratius, atque opportunius diſſeram.

(1) Cauſſa indicatur a S. Auguſtino Epiſt. CLXXXV. al. L. n. 7. pag. 503. Tom. II. Edit. Antuerp. an. 1700. Eccleſia, inquit „ multitudinibus per ſchiſmata, & hæreſes pereuntibus ſubvenire conſuevit. Hoc diſplicuit Lucifero, quia factum eſt in eis ſuſcipiendis, atque ſanandis, qui veneno perierant Ariano; & CUI DISPLICUIT, IN TENEBRAS CECIDIT SCHISMATIS, AMISSO LUMINE CARITATIS. „ Paria tamen ſchiſmata probat Febronius Tom. III. pag. 35. ſeq.

(2) Confer Tillemontium Tom. VII. Monum. Hiſt. Eccl. in vita Luciferi Artic. VI.

(3) Vide locum S. Ambroſii, quem pag. 52. hujus vol. not. 1. deſcripſimus.

runt (1); quod non eximatur e numero graviſſimorum ſcelerum brevitate temporis, etſi pernicioſius ſæviat diuturnitate. Quare tu, qui aliarum Eccleſiarum ſi minus omnes, at plures ſaltem diſcindi a Romana ad tempus velles, idque integrum ipſis eſſe pronuncias, non ſecus agere pleriſque videbere, atque ageret is, qui perpetuo, exempli gratia, latrocinari nefas; ad tempus fas eſſe ſtatueret: cum, judicio Patrum non minus, immo plus multo ſit in eo genere diviſionis, quam ſit in latrocinio ſceleris.

Quid autem iſtud eſt ad tempus? Annon intelligis, ſi cauſſa diſcidii perpetua ſit, perpetuum item eſſe diſcidium oportere? Age vero, ecqua in primis, te judice, erit ejus diſcidii cauſſa? Sententia, inquies, Romanorum de articulis aliquot non diſciplinæ modo; ſed etiam inſtitutorum, atque doctrinæ. Quid? Sperare ne te, dices, fore, ut Romani iiſdem de articulis mutent aliquando ſententiam? Non dices profecto, niſi velis, ut magna & tecum

(1) Confer Auguſtini ſupra deſcripta loca. Vide etiam proxime indicatum Ambroſii teſtimonium. Mitto nunc aliorum perplura, quæ poſt adducam. Interea conſule, quæ idem Auguſtinus de ſervata pace a Cypriano ſcribit, deque graviſsimo ſcelere, quod Cyprianus idem perpetraſſet, ſi pacem violaſſet, ſeſeque a Pontificis Stephani &c. communione ſeparaſſet. Lib. I. de Baptiſmo contra Donatiſtas n. 28. pag. 63. Tom. IX. & lib. II. n. 6. pag. 67. & lib. III. n. 26. pag. 80. & lib. IV. n. 12. pag. 86. ſeq. & lib. V. num. 36. p. 106.

cum ſit, & cum re ipſa luctatio. De re, poſt videro; quamquam perſpicue palam eſt, quæ ſit, fueritque ſemper in re præſertim doctrinæ Eccleſiæ Romanæ firmitas, atque conſtantia. De te non eſt opus multis ut agam. Nam etſi exprobrans; hoc tamen, quod ſatis eſt, quodque veteris adagii jactas nomine, conceſſiſti: *citius clavam Herculi abſtuleris, quam Romanis ſua pratenſa jura* (1). Quod ſi de reliquis, multo certe magis de iis juribus intellexeris, quorum ſit cum re doctrinæ arctiſſima colligatio. Non ergo ſperandum (te etiam non negante) erit, ut ſententiam Romani mutent. Perpetuam igitur, metuas neceſſe eſt, fore diſcidii, quod machinatus es, cauſſam. Itaque non temporaria, ut videris velle; ſed perpetua revera eſſet, ſi inferretur, quam certe aliquando inferendam proponis, diviſio.

At inſignes, doctrina viros auctores te ſequi mones. Ego vero, niſi qui Scripturæ, Patrumve teſtimoniis ſententiam mihi nervoſe, efficienterque probarit ſuam, auctorem hoc in genere omni ſequar prorſus neminem. Quotus autem quiſque Scriptorum, quorum patrocinio gloriare, fuit, qui Sacrorum Bibliorum, Patrumve

(1) In Præf. ad 1. Tomum.

tueri ſe auctoritate poſſet; aut qui, contra potius, Bibliorum Sacrorum, Patrumve auctoritate refelli facile non poſſet? Nullus ſane, quemadmodum alio loco ſic efficiam, ut omnem tibi tergiverſandi intercludam viam. Quos tu porro Doctores, non veteres, ſed plane novos duces ſequeris? Scilicet eos, qui fere omnes non idem plane atque tu (quod item alibi opportunius demonſtrabo), quique non pacis, ſed ſchiſmatum, diſſenſioniſve tempore in Romanos Pontifices concitati ſcripſiſſent. Quid? Prudens ne quiſquam ab iratis adverſariis teſtimonium petat, qui præſertim ſecus etiam atque ipſe ſuſpicetur, ac velit, ſcripſerint? Cur non audis Boſſuetium pacis tempore pro catholica veritate (ducibus non S. Bernardo ſolum, ſed Cardinali etiam Alliacenſi) adverſus Proteſtantes pugnantem? Quum enim ipſi Proteſtantes (1) „ ſanam doctrinam ſubſiſtere „ ne-

(1) Boſſuet lib. I. Hiſtor. Variation. Proteſt. n. IV. pag. 5. Tom. II. Opp. Edit. Argentin an. 1733. Sic habet: „ Luther. .. „ écrivoit a Melancthon, : que la bonne doctrine ne pouvoit „ ſubſiſter tant que l' autorité du Pape ſeroit conſervée „ Hoc idem fere Febronius ſtatuit. Eſt enim ex ejus ſententiis plane conſequens, ſanam doctrinam de Regimine in primis Eccleſiæ, deque Canonum obſervatione &c. non poſſe conſiſtere, quamdiu Pontificis ea, quam in ipſo Eccleſia Romana agnoſcit, maneat auctoritas: Itaque „ negari ei obedientiam „ poſſe, ac licere, hoc eſt diſcindi ab eo 3 nam huc tandem „ ſubtractio illa obedientiæ „ quam jactat revolvitur, ut ex T. I. Cap. IX. §. IV. num. 3. & 4. pag. 572. ſeq. exque pluribus aliis ejus locis conſtat, quæ poſt afferam. Interea confer, quæ idem

„ nequire , *dicerent*, uſquedum Pontificis „ conſervata eſſet auctoritas „ tum Boſſuetius probans Alliacenſis dictum ; contra , „ *inquit* , is Cardinalis cenſebat: *Dum* „ *manet ſchiſma* ; *quoniam membra ſejun*- „ *gentur a ſuo capite* ; *carere ipſa œco*- „ *nomo Apoſtolico* , *ac directore* „ . Propterea que „ dum Papa non ſit, quem to- „ ta agnoſcat Eccleſia ne ſperandum qui- „ dem eſſe , ut recte inſtitui reformatio (*di*- „ *ſciplinæ*) poſſit „ . *Diſciplinæ* , inquam . Nam dogmatis , ſeu doctrinæ *reformationem* expectari , aut jure peti poſſe , Boſſuetius ani-

idem ſcribit loco proxime indicato , & cap. eod. §.IX. n.6. pag. 614. ſeq. Adjungit mox Boſſuetius: „ au contraire (le Cardinal „ Pierre d'Ailly) eſtimoit que durant le ſchiſme les membres „ de l' Egliſe etant ſéparés de leur chef, & n' y aiant point d' „ œconome & de directeur Apoſtolique, c'eſt -a-dire n' y aiant „ point de Pape que toute l' Egliſe reconnût, il ne falloit pas „ eſpérer que la réformation ſe peut bien faire „ . Quod ſi dum manet ſchiſma , Apoſtolico œconomo , atque directore Eccleſiæ membra earent, quo tandem modo non carebunt, dum maneat Febronio probata diviſio ? Pergit Boſſuetius : „ Ainſi l' un „ (Luther) faiſoit dependre la réformation de la deſtruction de „ la Papauté „ (ut Febronius ab deſtructione auctoritatis, quam in Pontifice agnoſcit Roma „ : & l' autre du parfait retabliſſe- „ ment de cette autorite Sainte que Jeſus-Chriſt avoit etablie „ pour entretenir l' unité parmi ſes membres , ET TENIR „ TOUT DANS LE DEVOIR - Il avoit done de deux ſortes „ d' eſprits, qui demandoient la reformation : les uns vraiment „ paçifiques, & vrais enfans de l'Egliſe , en deploroient les maux „ ſans aigreur, en propoſoient avec reſpect la reformation , „ dont auſsi ils tolleroient humblement le delei ; & LOIN DE „ LA VOULOIR PROCURER PAR LA RUPTURÆ, ils re- „ gardoient au contraire la rupture comme le comble de tous les „ maux : au milieu des abus ils admiroient la divine providence „ qui ſavoit, ſelon ſes promeſſes, conſerver la foi de l' Egliſe : & „ ſi on ſembloit leur refuſer la reformation des moeurs ; ſans s' „ aigrir , & ſans s'emporter , ils s'eſtimoient aſſez heureux de „ çe que rien ne les empecoit de la faire parfaitement en eux-mê- „ mes . C' etoit - la les forts de l'Egliſe, dont nulle tentation ne „ peuvoit ebranler la foi , ne les arracher de l' unité „ .

animadverterat, omnino nullam. Pergit, idem ſcribere: „ Ita alter horum nempe
„ (*Lutherus*) a Pontificatus everſione; al-
„ ter (ſcilicet *Alliacenſis*) a perfecta ſanctæ
„ hujus auctoritatis ſtabilitate, ſeu firmitate
„ reformationem pendere judicavit: quam
„ (auctoritatem) Jeſus Chriſtus, cauſſa
„ confirmandæ inter membra unitatis, om-
„ niumque in officio continendorum, conſti-
„ tuit. Genera igitur erant hominum *re-*
„ *formationem* petentium omnino duo:
„ unum eorum, qui cum pacifici, verique
„ Eccleſiæ eſſent filii, deplorantes mala
„ ſine acerbitate, proponebant ſane reve-
„ renter *reformationem*, cujus dilationem
„ demiſſo animo tolerabant; tamque lon-
„ ge aberant, ut eam fractione pacis com-
„ parandam vellent; ut contra, DISCI-
„ DIUM VELUTI CUMULUM MALORUM OMNIUM
„ CONSIDERARENT. Admirabantur provi-
„ dentiam Dei, quæ novit conſervare,
„ uti promiſerat, in mediis abuſionibus Ec-
„ cleſiæ ſuæ fidem. Quod ſi renui ſibi vide-
„ bant, quam expeterent, communem *refor-*
„ *mationem*, non acerbe ferebant, neve im-
„ petu ſe iræ impelli patiebantur; hoc ſe
„ ſatis felices rati, quod nihil eſſet impe-
„ dimento, quin perfecte ipſi ſe ad virtu-
„ tis, ſanctioriſque diſciplinæ normam com-
„ ponerent. Hi fortes erant Eccleſiæ, quo-

„ rum concutere fidem, quoſque ab unita-
„ te ſejungere, nulla tentatio potuit „. Mane, Febroni, revoca animum ad eorum memoriam, quæ ſcripſiſti; circumſpice omnia; conſidera etiam, atque etiam; tum judex eſto ipſe tui, tecumque ſtatue, curaris ne, ut in his tu *fortibus* Eccleſiæ, pacis, unitatiſque ſtudioſis numerarere. Cuperem equidem. Sed ignoſce, obſecro: dolens dico: multa ſunt, quæ conturbent, ut contra feciſſe videare. Meminit deinceps Boſſuetius *Pſeudo-Reformatorum* (1), qui furoris, acerbitatiſque pleni, atque abuſionibus permoti, quas vigere in Eccleſia, præcipue autem in hujus miniſtris cernerent; ratique, inter eoſdem .. abuſus, quod promiſſum divinitus erat, conſiſtere, non poſſet, .. inflati ſuperbia, indeque debilitati, ceſſere tentationi, quæ ipſos induxit, ut odio haberent Cathedram in eorum odium, qui præſiderent; & perinde ac ſi hominum ma-

(1) Ibid. „ Mais il y avoit outre cela des eſprits ſuperbes
„ pleins de chagrin & d' aigreur, qui frappés des deſordres qu'
„ il voioient regner dans l' Egliſe & principalement parmi ſes
„ miniſtres, ne croyoient pas que les promeſſes de ſon eternel-
„ le durée puſſent ſubſiſter parmi ces abus: au lieu que le fils
„ de Dieu avoit enſeigné a reſpecter la Chaire de Moiſe, mal-
„ gré les mauvaiſes oeuvres des Docteurs & des Phariſiens
„ aſsis deſſus; ceux-ci devenus ſuperbes, & par la devenus
„ foibles, ſuccomboient a la tentation qu'y porte a haïr la chai-
„ re en haine de ceux, qui y preſident; & comme ſi la mali-
„ ce des hommes pouvoit aneantir l' oeuvre de Dieu, l' aver-
„ ſion qu' ils avoient concûe pour les Docteurs, leur faiſoient
„ haïr tout enſemble & la doctrine qu' ils enſeignoient, &
„ l' autorité qu' ils avoient reçue de Dieu pour enſeigner „.

malitia opus Dei in nihilum poſſet redigere; odium, quo in doctores flagrabant, ita in omnia ſimul extenderunt, ut Doctorum eorumdem & doctrinam, quam proponebant; & auctoritatem, quam divinitus ad docendum acceperant, averſarentur. Hæc te meditari, Febroni, vellem, dijudicareque, digna ne eſſe poſſent iis, qui munus ab ſe fuiſſe ſuſceptum conciliatorum pacis, chriſtianæque animorum conjunctionis contenderent? Animadvertit præterea Boſſuetius (1), eos ipſos, qui reſtituendæ veteris diſciplinæ ſpecie novum doctrinæ genus invehere conſtituerant; ſtudioſe, quæ a Scriptoribus Eccleſiaſticis contra abuſus, & vitia non populi modo, ſed etiam Cleri dicta fuerant, collegiſſe; eoque id conſilio feciſſe, ut ſacrorum Antiſtitum, Romanique præſertim Pontificis auctoritatem everterent; atque hunc ſane fuiſſe ſcopum, quo nova reformatio, Luthero duce, & architecto, tendebat. Cognoſce nunc, mi Febroni, partem ne horum, an omnia tentaris,

 ver-

(1) Ibid. §. 1I. pag. 4. „ Pour autoriſer cette reformation „ pretendue on a ramaſſé avec ſoin ce que les auteurs Eccleſia„ ſtiques on dit contre les deſordres & du Peuple, & du Cler„ gé meme. Mais c' eſt une illuſion manifeſte, puiſque de tant „ de paſſages qu' on allégue, il n'y en a pas un ſeul, où ces Do„ cteurs aient ſeulement ſongé a changer la foi de l'Egliſe a cor„ riger ſon culte . . a renverſer l' autorité de ſes Prelats &c. „ principalement celle du Pape, QUI ETOIT LE BUT OU „ TENDOIT TOUTE CETTE NOUVELLE REFORMA„ TION, DONT LUTHER étoit l' Architecte „.

verbo quidem ut *abſolutam*, quod ſcribis, *Monarchiam*; re autem vera (quod poſt liquebit) ut omnem pene Pontificis Maximi auctoritatem tolleres? Alterutrum enim concedas, neceſſe eſt. Nam ſi opus tuum animo ſoluto, atque quieto relegeris, agereque fide bona, uti ſane confido, velis, vix (quin fortaſſe etiam ne vix quidem) horum te quidquam prætermiſiſſe fatebere. Id vero alterutrum, quo tu modo ſperes, fuiſſe te Boſſuetio probaturum, ſi ipſum pacis tempore contra Proteſtantes pro Eccleſiæ Catholicæ unitate ſcribentem, (uti debebas) conſuluiſſes, a quo plane perſpicis, homines, qui tale quidpiam tentaſſent, eorum haberi loco, qui *furoris*, *acerbitatis*, atque etiam *ſuperbiæ pleni* eſſent, odiſſentque *Cathedram in eorum odium, qui Cathedræ præſiderent*?

At eſſe tibi in promptu exempla, dicis, multorum, quibus licuit olim ſeſe a Pontificum Romanorum communione ſejungere (1). Cujuſmodi iſta ſint, non ignoro. Atque fuiſſe quidem aliquos, qui ſe a Romana Eccleſia disjunxiſſent, aſſentior; his autem licuiſſe, ut ſe disjungerent, id vero vehementer nego. Ecquis enim Catholicus fas Afris, Illyriiſque fuiſſe putet,

(1) Confer Febron. Vol. I. pag. 589. ſeq. & vol. III. pag. 34. ſeqq.

a communione ſe Apoſtolicæ Sedis abſcindere, damnatorum a Vigilio trium Capitulorum cauſſa, quæ item Capitula Synodus Oecumenica quinta damnaverit? Quo te rapi pateris, Febroni? Conſilium ne diviſionis a gentibus illis inconſideratiſſima temeritate inſtructum, atque ſuſceptum, quod Majores noſtri (Romanæ Eccleſiæ, ac Synodo quintæ Oecumenicæ aſſenſi) averſati ſunt, quod Afri ipſi poſt paulo abjecerunt, quodque deinceps in Iſtrienſibus, aliiſque paucis ſchiſmatis nomine, omnis eſt deteſtata poſteritas; id ne tu (novo captandæ libertatis, paciſque conciliandæ genere, quod ne fando quidem umquam eſt auditum) licuiſſe, tam fidenter dicere non verere? Quale tandem, rogo, iſtud eſt pacis, atque libertatis genus, quod conſequi, niſi vi, diſſenſione, diſcidioque non poſſis? Verum de hoc exempliſque ceteris, quibus utere, fuſius equidem agam, ſed tempori. Interea conſuli Natalem Alexandrum (1), & Noriſium (2) volo. Nam quod maxime nunc ad rem attinet, illud plane eſt, ut ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, pateat, talem eſſe perſeverare

 te,

(1) Hiſt. Eccl. Sec. VI. Cap. III. Art. I. §. I. ſeq. & Diſſert. IV. Prop. I. et §. I. ſeq.
(2) Diſſert. de Synod. V. Cap. IX. ſeqq.

te, qualem, ut vidimus, præbere te ipſum cœperas, conciliatorem.

Ac tuam, Febroni, ut ſæpe alias, ita nunc libens appello fidem. Age, oro te, ſine fuco, & fallacia, aperte, candide, germano more. Eloquere, componendæ ne, an potius diſturbandæ pacis Eccleſiaſticæ cauſſas nectere, tuo judicio, perſtet is, qui diſcidium ſuggerat voce temporarium, re autem vera perenne; atque ad id facinus (ſiquidem opportunum aliquando exiſtimetur molimini, & fini ſuo) mortales inſtigaturus, ſcrutetur, colligat diligenter, confertimque in ſuum opus inferre pergat periochas omnes, verba, ſyllabas etiam quorumvis hominum doctorum, indoctorum, æquorum, iniquorum, amicorum, hoſtium &c. quibus ne ſuſpicantibus quidem aliquid inde oriturum mali, aut zelo minus prudenti incenſis, aut ſpecie reſtituendæ veteris diſciplinæ permotis, aut ira, offenſione, commotione animi quapiam, vel malevolentia, odiove incitatis quidquam excidiſſet, quod vel ipſum per ſe, vel raptum in pejorem partem, ciere turbas, conducereque ad diviſionem conflandam poſſe videatur? Non ignoras tu quidem, eum, qui dictis, exempliſque majorum (ſive falſa ſint, ſive contra) diligentiſſime conquiſitis, fidenterque propoſitis,

con-

concitare optimates, ac plebem in caput, moderatoreſve rei civilis publicæ conetur, cenſeri non tranquillitatis publicæ curatorem; ſed ſeditioſorum civium, hoſtiumque patriæ numero oportere. Tale quidpiam molitum eſſe in Eccleſiam te; reque vera Theologos, Epiſcopos, Reges, (ad quos omnes tua eſt prior abs te ipſo data Præfatio) cœtus denique orthodoxos omnes in centrum catholicæ unitatis Romanam Cathedram, inque eos qui ipſi adhærerent, incendere curaſſe; id inquam feciſſe te, qua confidentia, quæſo, inficiere, quum (uti jam indicavi, utque poſt multis, planeque efficiam) non modo dicta veterum, ſed exempla etiam tuo iſto opere comprehenderis, quæ tamen tibi eſſe præſidio nequeant, quod pars, etſi clarorum virorum ſit, ad rem nihilominus tuam non conferat; pars edita fuerit iniquitate, ac ſcelere ſchiſmaticorum? Quid ſupereſt igitur, niſi uti vel deteſtere, ac mutes factum; vel, ut (ſi perſtes, quod certe non patiar) plerique omnes apte in te, ut in Eccleſiæ turbatorem, cadere arbitrentur, quod apud Ciceronem *in Lucullo* Catulus contorſit in turbatores philoſophiæ. (1) Atque is: *mihi*, inquit, *videmini.. facere idem, quod* SEDITIOSI CIVES *ſolent, cum ali-*

(1) Cap. V. pag. 11. ſeq. Tom. II. Opp. Edit. Genev. an. 1743.

aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuiſſe populares, ut eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. Repetunt jam a Publio Valerio, qui exactis Regibus primo anno Conſul fuit: commemorant reliquos, qui leges populares de provocationibus tulerint, cum Conſules eſſent: tum ad hos notiores C. Flaminium, qui legem agrariam aliquot annis ante ſecundum punicum bellum tribunus plebis tulerit, invito Senatu, & poſtea bis Conſul factus ſit. Lucium Caſſium, Q. Pompejum illi quidem, etiam P. Africanum referre in eumdem numerum ſolent. Duos vero ſapientiſſimos, & clariſſimos Fratres P. Craſſum, & P. Scævolam, ajunt, Tiberio Gracchho auctores legum fuiſſe, alterum quidem, ut videmus, palam; alterum, ut ſuſpicamur, obſcurius. Addunt etiam C. Marium, & de hoc quidem nihil mentiuntur. Horum nominibus tot virorum, atque tantorum expoſitis, eorum ſe inſtitutum ſequi dicunt. Similiter vos, cum perturbare, ut illi rempublicam, ſic philoſophiam (ego vero *Eccleſiam* dicam,) *velitis, Empedoclem* (ſed ego *Polycratem, Cyprianum, Meletium, Flavianum, Bernardum, Cuſanum, Gerſonem &c.* commemorabo) *profertis &c.*

Vidi, quam parum feliciter officio ſis functus conciliatoris: reſtat, ut videam, fuerisne in methodo, quam tibi præſtitueras,

ras, ſervanda felicior. Jam hoc tibi de doctrina propoſitum, ſcribis eſſe, nihil ut ſtatuas, aut conſectere, quod non Scripturarum auctoritate, Traditioneque (1) Majorum ſtabile, ratum, fixumque ſit. Sed etſi re non expleveris, quod verbo te facturum profitere, perinde tamen ac ſi explevisſes, provocas (2) confidenter ad Vincentii Lirinenſis veteris, graviſſimique Scriptoris inſignem de Traditione locum. Verum qui ita proponit ſibi, atque ita provocat, is ſcilicet, ſi ſuſceptæ cauſſæ confidat, & conſtans (ut ſapientem decet) in propoſito maneat, ordineque (uti par eſt) velit agere; non unius, alteriuſve ſcri-

---

(1) In Præf. ad 1. Tomum ſic Febronius ad Pontificem Max. Clementem XIII. ſcribit, qua moderatione animi, quaque reverentia ipſe viderit, ſed certe non vere. „ Quid reſpon-„ debimus tu & ego brevi ante tribunal ejus, quod omni poli-„ tica conſideratione ſuperius eſt, comparituri, ſi ſtationem „ noſtram deſeruerimus: ego, cui EX PATRUM DICTIS, „ ET CONCILIORUM ACTIS loquendi, qualecumque ta-„ lentum datum eſt, tacendo; tu, in cujus manibus ſacra aucto-„ ritas poſita eſt, non operando conformiter TRADITIONI „ AD NOS PER EOSDEM PATRES, ET SYNODOS FI-„ DELITER TRANSMISSÆ &c? „ Paulo ante dixerat: „ Ju-„ dica me (ſic te conjuro Pater Sancte) me, inquam, & hanc „ cauſſam noſtram, ſeu potius Eccleſiæ . . in verbo S. Stephani „ Papæ, & Martyris: NIHIL INNOVETUR, NISI QUOD „ TRADITUM EST, ET VIDE, SI TOTO HOC TRACTA-„ TU, VERAS, AN APOCRYPHAS TRADITIONES SE-„ QUUTUS SUM. Confer NOVA, AC VETERA, & appen-„ de animo non præoccupato quæ de juſto, æquo, & bono ſtatue-„ ram „ Confer quæ etiam idem de ſe, ſuiſque ſententiis, quæ ad regimen Eccleſiæ ſpectant, traditione, ut ſibi blanditur, firmatis docet Tom. 1. cap. 1. §. 1. num. 2. pag. 3. ſeq. Edit. Bullon. an. 1763. Mitto cetera ejus hac de re dicta; ne longior ſim, quam oporteat.

(2) Febron. Tom. 1. cap. 1. §. 1. n. 2. & 3. pag. 3. ſeq. aliiſque in locis.

ſcriptoris ſolum , hujuſque non tam anti-
qui auctoritate nitatur , oportet ; ſed altius
repetat , neceſſe eſt ; productiſque illuſtri-
bus monumentis oſtendat , quid a Chriſto
de re , quæ in quæſtione verſetur , Apoſto-
li ; ab Apoſtolis Majores quique noſtri ; a
Majoribus cœtus Catholicorum univ erſe ac-
ceperint , perſeveranterque ad illud uſque
tempus ſervarint , quo primum eadem de
re ſit exorta contentio , ut hinc deſcendi
ad poſteriorem ætatem , pernoſcique poſſit ,
quæ pars contendentium doctrinæ divini-
tus traditæ inſiſtat , quæ refragetur . Quo
magis colendus tibi is ordo fuit , cum non
Synodi modo , ac Patres , ſed ille etiam
ipſe Lirinenſis (1) , cujus teſtimonio ute-
ris ;

---

(1) Vincentius Lirin. Commonitor. Cap. XXXVIII. „ Sed
„ dicet aliquis ; ſi divinis eloquiis , ſententiis , promiſsionibus
„ & diabolus , & diſcipuli ejus utuntur , quorum alii ſunt pſe-
„ udo-Apoſtoli , alii pſeudo - Prophetæ , & pſeudo- Magiſtri , &
„ omnes ex toto hæretici , quid facient Catholici homines , &
„ Matris Eccleſiæ filii ? Quomodo in Scripturis ſanctis verita-
„ tem a falſitate diſcernent ? Hoc ſcilicet facere magnopere
„ curabunt , quod in principio Commonitorii iſtius SANCTOS
„ ET DOCTOS VIROS nobis tradidiſſe ſcripſimus , ut divi-
„ num canonem , ſecundum uuiverſalis Eccleſiæ traditiones , &
„ juxta CATHOLICI DOGMATIS REGULAS interpretentur.
„ In qua item Catholica , & Apoſtolica Eccleſia ſequantur ne-
„ ceſſe eſt UNIVERSITATEM , ANTIQUITATEM , CON-
„ SENSIONEM : & ſi quando PARS CONTRA UNIVERSI-
„ TATEM, NOVITAS CONTRA VETUSTATEM , UNIUS ,
„ VEL PAUCORUM ERRANTIUM DISSENSIO CONTRA
„ OMNIUM , VEL CERTE MULTO PLURIUM CATHOLI-
„ CORUM CONSENSIONEM REBELLAVERIT , PRÆFE-
„ RANT PARTIS CORRUPTIONI UNIVERSITATIS IN-
„ TEGRITATEM , in qua eadem univerſitate , novitatis profa-
„ nitati ANTIQUITATIS RELIGIONEM , itemque in IPSA
„ VETVSTATE unius, ſive PAUCISSIMORUM temeritati pri-

„ mum

ris; & recentiore memoria Launoyus (1), quem tanti abs te pendi video, in pari genere controverſiarum, & coluerint ipſi, & aliis colendum præſcripſerint. At contra abs te perpetuo fieri, nemo eſt, quin, tua legens, plane intelligat. Etenim ne tum quidem, cum tibi convenit cum Gallis, ad Patrum conſenſionem confugis, niſi perraro; qua vero diligentia, ſuis locis opportune expendero. Quid? Si interdum, quod ipſos tibi palam adverſari intelligas, minus eſſe audiendos putes, ac ſi de auctoritate Romani Pontificis differentes, mul-

---

„ mum OMNIUM GENERALIA, ſi QUA SUNT, UNIVER„ SALIS CONCILII DECRETA PRÆPONANT: tunc dein„ de, ſi id minus eſt, ſequantur quod proximum eſt, MULTO„ RUM, ATQUE MAGNORUM CONSENTIENTES SIBI „ SENTENTIAS MAGISTRORUM. Quibus, adjuvante „ Domino, FIDELITER, SOBRIE, SOLLICITE OBSER„ VATIS, non magna difficultate noxios quoſque exurgentium „ hæreticorum deprehendemus errores. „ Confer, quæ ſequuntur. Vide etiam cap. VIII. ſeqq.

(1) Johan. Launoyus Præſcript. de Concept. I. Tom. I. Opp. Edit. Colon. Allobrog. an. 1731. pag. 10. ſeq. „ Quæſtio quælibet ad Chriſtianam Religionem pertinens explicanda, & „ ſolvenda eſt ex Scriptura ſacra, & Traditione Eccleſiæ Ca„ tholicæ, quæ Traditio conſtat Sanctorum Patrum verbis, & „ Conciliorum per ſuccedentia ſibi ſecula AD ILLUD TEM„ PUS USQUE, cum definitio fertur, AUT FERRI DEBET, „ & Præſcript. III. pag. 11. Ne detur errori locus, neceſſaria „ eſt præſcriptio ſuperior, cujus neceſſitas ducitur ea via, ac „ ratione, quam iniit Concilium Florentinum in definiendis „ quæſtionibus illis, quæ Eccleſiam Græcam, ac Latinam in „ varias partes diſtrahebant. In eo Concilio ſtatutum eſt, Scri„ ptorum auctoritatem reſpuendam, qui a Nicolai I. Romani „ Epiſcopi, ac Photii Conſtantinopolitani Patriarchæ tempo„ ribus floruerant. Ea enim ætate ſchiſma ortum eſt. Ita re„ linquendi ſunt Scriptores illi, qui a ſeculo XIII. (immo XIV.) „ vixere, quo tempore „ orta controverſia eſt, de qua Launoyus ibid. loquitur.

multo ſint longius (1) progreſſi, quam pati veritas poſſe videatur? Qua de re (modo ne latius proferre Romani Primatus fines, quos tuo arbitratu conſtitueris, cogare) non æque curas, ſi tecum ipſe pugnans, a Lirinenſi (2), cui plurimum alias

(1) Confer, quæ DE AMPULLATIS PATRUM ELOCUTIONIBUS Febronius diſputat Tom. I. §. VIII. pag. 157. ſeqq. Multo eſt intolerabilius, quod idem dicit pag. 295. Tom. II. aſſenſus Græcis, quos exitus oſtendit, quam male in Catholicam Eccleſiam, inque Sedem Apoſtolicam in primis animati eſſent; quorumque HISTORIAM UNIONIS NON VERÆ deſcribit ipſorum ſymmyſta Syropulus. Eſt id autem Febronianum dictum hujuſmodi: „ Facilius fuit tum ipſis Pontificibus „ de ſupremo ſuo munere, TUM SANCTIS PATRIBUS, & Tra„ ctatoribus Eccleſiaſticis de eodem (munere) ſcribere cum „ quadam ABUNDANTIA, & EXCESSU. At RECTE DI„ XERUNT GRÆCI in Concilio Florentino, NON EX HO„ RUM DICTIS, AC SCRIPTIS, ſed e Canonibus Concilio„ rum fines auctoritatis Papalis metiendos eſſe „. Quaſi vero Concilia a Patribus non acceperint; omniaque Conciliis contineantur, & hæc plerumque non deſint, adeo ut, quod animadvertit l. c. Lirinenſis, confugiendum non ſit „ ad multorum, „ atque magnorum conſentientes ſibi ſententias magiſtrorum „.

(2) Vincentius Lirinenſis ibid. cap. XXXIX. ſeq. „ Cum „ primum mali cujuſque erroris putredo erumpere cœperit, . . „ ſtatim interpretando canoni MAJORUM SENTENTIÆ CON„ GREGANDÆ SUNT, QUIBUS ILLUD, QUODCUMQUE „ EXURGET, NOVITIUM, IDEOQUE PROFANUM, ET „ ABSQUE ULLA AMBAGE PRODATUR, ET SINE UL„ LA RETRACTATIONE DAMNETUR. Sed eorum dum„ taxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide, & com„ munione Catholica ſancte, ſapienter, conſtanter viventes, „ docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel „ occidi pro Chriſto feliciter meruerunt. Quibus tamen hac „ lege credendum eſt, ut quidquid vel omnes, vel plures uno, „ eodemque ſenſu manifeſte, frequenter, perſeveranter, ve„ lut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum conſilio, acci„ piendo, tenendo, tradendo firmaverint, id PRO INDUBI„ TATO, CERTO, RATOQUE HABEATUR: quidquid ve„ ro, quamvis ille Sanctus, & Doctus, quamvis Epiſcopus, „ quamvis Confeſſor, & Martyr præter omnes, aut etiam con„ tra omnes ſenſerit, id inter proprias, & privatas opiniuncu„ las a communis, & publicæ, ac generalis ſententiæ auctori„ tate ſecretum ſit; ne cum ſummo æternæ ſalutis periculo, ju„ xta ſacrilegam hæreticorum, & ſchiſmaticorum conſuetudi„ nem

alias tribuis; atque a Boſſuetio (1), quem perpetuo ſequi te gloriare, diſſideas. Quin etiam ſi quando veterum Eccleſiæ Doctorum patrocinio aut confidis, aut ſimulas fidere; non ſeriem cujuſque ſeculi continuam affers teſtimoniorum, ex qua perſpici poſſit, quid eorum poſtulet de re, quæ in diſceptationem vocetur, conſenſio; ſed, ut deinceps oſtendam, *apophâſmata*, ſeu *enunciata* ipſorum aliqua expiſcaré, in quibus de re eadem ſint loquuti obſcurius; ut auctoritate illorum texiſſe te, ac non *primus*, *neque ſolus* novi quidpiam commoviſſe, exiſtimere. Quo quidem ſive inſtituti, ſive incogitantiæ genere,

---

„ nem univerſalis dogmatis antiqua veritate dimiſſa, unius hominis novitium ſectemur errorem. Quorum Beatorum Patrum ſanctum, catholicumque conſenſum, ne quis ſibi temere contemnendum forte arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apoſtolus: & quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos.. tertio Doctores, qui Tractatores nunc appellantur.. HOS ERGO IN ECCLESIA DEI divinitus per tempora, & loca DISPENSATOS, QUISQUIS IN SENSU CATHOLICI DOGMATIS UNUM ALIQUID IN CHRISTO SENTIENTES CONTEMPSERIT, NON HOMINEM CONTEMNIT, SED DEUM, a quorum veridica unitate ne quis diſcrepet, impenſius obteſtatur idem Apoſtolus „ &c.

(1) Boſſuet Expoſit. de la Doctr. de l'Egliſe §. XXI. Tom. 1. opp. Edit. Argentin. ſeu Venetæ an. 1736. pag. 114. „ Le Fils de Dieu ayant voulu que ſon Egliſe fût une, & ſolidement bâtie ſur l'unité, a établi & inſtitué la primauté de Saint Pierre pour l'entretenir & la cimenter. C'eſt pourquoi nous reconnoiſſons cette même Primauté dans les ſucceſſeurs du Prince des Apôtres, auxquels on doit pour cette raiſon la SOMMISSION, & L'OBEISSANCE que les Saints Conciles, ET LES SAINTS PERES ONT TOUJOURS ENSEIGNEE A' TOUS LES FIDELLES, „

re, vide, rogo, ne longe a certiſſima regula Lirinenſis (1) deflexeris.

Age vero, demtis Paragraphis illis operis univerſi tui non paucis quidem certe, in quibus aut duorum, trium, paulove plurium Patrum ad ſummum, nonnulla deſcribis, vel attingis loca; aut (quod quidem fit abs te rarius) ſeriem quamdam accuratiorem, copioſioremque teſtimoniorum nectere conare; demptis, inquam, iis Paragraphis, in ceteris item multis quæ tandem, (tum etiam, cum ab Gallis non diſſides) continenter eſt confirmandorum tuorum dogmatum ratio? Gerſones nobis, Cuſanos, Magorenſes, Almainos, Majores, horumque ſimiles alios nominas, quorum aliqui ſchiſmatis tempore, reliqui poſt reſtitutam pacem, omnes poſt ortas controverſias vixere, ad eamque ſive ſcholam, ſive factionem tamquam ad ſaxum adhæſere, ad quam vel caſu quodam, vel præjudicata opinio-

(1) Vincentius Lirin. Commonitor. Cap. XI. eorum detestatur „ fraudulentiam, qui . . captant plerumque veteris cu„ juſpiam viri ſcripta paulo involutius edita, quæ pro ipſa ſui „ obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, ut illud neſcio quid, „ quodcumque proferunt, neque, primi, neque ſoli ſentire vi„ deantur. Quorum (inquit) ego nequitiam duplici odio di„ gnam judico, vel eo quod venenum propinare aliis non perti„ meſcunt; vel eo etiam, quod ſancti cujuſque viri memoriam, „ tamquam ſopitos jam cineres profana manu ventilant, & quæ „ ſilentio ſepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant, ſe„ quentes omnino veſtigia auctoris ſui Cham, qui nuditatem „ venerandi Noe non modo operire neglexit; verum quoque „ irridendam ceteris enunciavit „.

opinione quaſi tempeſtate delati eſſent. His vero auctoritatem conciliaturus, ecquid non tribuiſti laudum, cum tamen ceteros, qui adverſis partibus ſtuduiſſent, etſi omnium conſenſione doctiſſimos, non modo non laudares, ſed etiam interdum deprimeres? *Graviſſimos* illos quidem tuos, ſapientiſſimos (1), inclitos (2), doctiſſimos (3), clariſſimos (4), auctores *probatiſſimorum operum* (5) appellas; quum contra Alvarum Pelagium pium certe, atque, ut ea ætas ferebat, eruditum Antiſtitem, alioſque qui nobiſcum ſentirent, ſingulari ceteroquin exiſtimatione doctrinæ, peritia Chriſtianæ antiquitatis, ac virtute excellentes viros ceu *ſummos adulatores Papæ juxta combibitas falſas Decretales* (6); leves adeo, ut multa magnifice pollicerentur, nihil explerent (7); *aridos*; *ſtatores* inanis *ſyſtematis* (8) inſectere; tumque ſolum ipſos dignere vocabulo *doctiſſimorum*, cum aliquid ſtatuunt, quod ſperes tibi ſubſidio futurum. Quamquam quod illos tu ornes laudibus; hos aut negligas, aut vituperes, non

---

(1) Tom. 1. pag. 173. aliiſque permultis in locis, quos ne indicare quidem vacat.
(2) Tom. 1. pag. 322.
(3) Tom. 1. pag. 217. 605. &c. &c.
(4) Tom. 1. pag. 327. &c. &c.
(5) Tom. 1. in Præf.
(6) Tom. 1. pag. 397.
(7) Tom. 1. pag. 218. &c. &c.
(8) Ibid.

non laboro . Nam certo ſcio , prudentem quemque , ac recte utentem ratione ſua , non quos tu commendes probaturum ; ſed quos , legendo , inveſtigando , experiundo , vera dicere , atque conſona doctrinis Patrum compererit. Quid enim rogo . Dignum ne quiſquam putet , homine ſoluto , ac libero , qui nulla ejuſmodi affectione , ſtudio , impetu feratur , ut antequam judicare poſſit , certa quædam ipſi ſit tuenda ſententia ; dignum ne , inquam , iſtiuſmodi homine libero , ac ſoluto putet , una eorum Doctorum auctoritate quæſtiones dirimendas credere , qui poſt natas eaſdem quæſtiones vixerint , quique partium ſtudio aut fuerint revera , aut fuiſſe incitati , abreptique exiſtimentur ? Quid tu ageres , ſi SS. Thomam Aquinatem , Bonaventuram , Raymundum Peñafortium , Alvarum Pelagium &c. qui ante ; vel Turrecrematam , S. Antoninum , Auguſtinum Triumphum , Jacobatium , Cajetanum , Corteſium , Canum , ſexcentoſque alios , qui poſt ſchiſma , exortaſque de poteſtate Romani Pontificis altercationes claruerunt , ſuſceperuntque prærogativarum , ac privilegiorum Apoſtolicæ Sedis defenſionem , tibi opponerem ; horumque teſtimoniis , pugnarem , quidquid hoc de genere eſt litium expediri , decidi , finiri denique oportere ?

An.

Annon reſpuendam eorum auctoritatem diceres, quod aut Scholaſticorum ſtudiis implicati; aut decepti Iſidorianis mercibus; aut præjudicatis opinionibus ducti partes ſequuti ſint Romanorum: quare provocandum ad Patres, atque Doctores eſſe, qui ante nonum ſeculum floruerunt? Quæ tibi igitur cauſſa obſtitit, quin cogitaris fore, ut Gerſones, Cuſanos, Zabarellas, Magorenſes, Toſtatos, Almainos, Majores, horumque ſimiles jactanti tibi, tale nos quidpiam regereremus? Ac multo quidem æquius; cum neque Zabarellæ, Cuſani, Gerſonis, ſi qua fuit, in ſcribendo temperantia, eruditio, virtus conferenda ſit cum moderatione, doctrina, ſanctitate Raymundi, Bonaventuræ, Thomæ; neque Almaini calumnia cum Turrecrematæ, Cani, Corteſii verecundia. Quid enim? Scholaſticæ ne diſciplinæ ſtudiis deditos fuiſſe Gerſones, Almainos, Majores neges, quibus, conſtat, neminem fere fuiſſe *Scholaſticiorem*? Quam vero fuiſſe hos cenſes a præjudicatis opinionibus liberos, quas tanto impetu, concitationeque animi ſuſtinere conati ſint, ut non diſputare interdum, ſed furere videantur? De mercibus Iſidorianis mox agam. Expedi modo, cur ab his ipſis Scriptoribus patronis tuis interdum diſſideas? Nam video quædam ab iiſdem con-

 ſtitu-

ſtitui ita prorſus, ut communis noſtra fert ratio, quæ tamen tibi minime probentur. Nihil dices, niſi Iſidorianas tibi Epiſtolas (extremo octavo, vel nono ſeculo, veterum, Sanctorumque Romanæ Eccleſiæ Pontificum nominibus falſo inſcriptas, atque editas) non placere; quibus Epiſtolarum monſtris territi illi ipſi patroni tui aliquando fuerint; propterea quod plerique tum adhuc monſtrorum eorumdem trepidarent metu. Idem de Bernardo Sanctiſſimo Clarevallenſi Abbate expoſtulas, ne ſine ratione ab eo ſæpe deſciviſſe videare. Sed quotum quemque tam eſſe inconſiderantem, atque inconſultum cenſes, ut induci ſeſe ad credendum patiatur, ſpectris Iſidorianarum terreri potuiſſe eos qui invecti vehementer in tot capita doctrinæ fuerint, quæ iiſdem Epiſtolis continerentur? Ac ne in cogitationem quidem cadit, ut qui vim cujuſquam in rebus aliquot unice metuat; is vim eamdem in reliquis non pertimeſcat. Non ergo Iſidorianarum inanis auctoritas, ut ipſe putas, ſed longe alia fuit cauſſa, cur Cuſanus, Gerſon, alii ſententiis quibuſdam tuis faverint, quibuſdam non item. Atque ut quibuſdam faverent, fecit gentium aliquarum, ſchiſmatis tempore in primis, adverſus Doctorum ſuperioris ætatis (1) communem perſuaſio-
nem

(1) Fatetur hoc Gerſonius in ſuo Tractatu de Poteſtate Eccleſiaſti-

nem commotio. Cur autem quibuſdam non faverint; niſi tam patens Eccleſiæ doctrina, tantaque unanimitas, conſpiratioque fuit, ut religioni ipſis eſſet ab ea vel latum, ut ajunt, unguem recedere; quæ fuerit cauſſa, fingere poteris fortaſſe, affirmare certe non poteris. Quid igitur? Adduci ne quemquam bene inſtitutum, ac pruden-

ſiaſtica Conſider. XII. Tom. II. Opp. pag. 247. Edit. Antuerp. an. 1706. quo loco de Papæ definiendi controverſias fidei &c. poteſtate ſcribit hoc modo: „ Fallor, ſi non ANTE CELEBRATIONEM HUJUS SACROSANCTÆ CONSTANTIENSIS Synodi „ ſic OCCUPAVERAT MENTES PLURIMORUM litteralium „ magis, quam litteratorum ISTA TRADITIO, ut oppoſitorum „ dogmatizator FUISSET DE HÆRETICA PRAVITATE vel „ NOTATUS, VEL DAMNATUS. Hujus rei ſignum accipe: „ quia poſt declarationem ex Theologiæ principiis luce clariorem, & quod urgentius eſt, poſt determinationem, & practicationem ejuſdem Sanctæ Synodi, inveniuntur, qui talia PALAM ASSERERE non paveant. Tam RADICATUM, & ut „ cancer ſerpens; tam medullitus imbibitum fuit hoc PRISCÆ „ adulationis virus „. Ita ille ſuperiores Chriſtianos orthodoxos omnes „ litterales, non litteratos „ probro vocat, ut eorum elevet, eludatque auctoritatem. Fuit hæc in Novatorum levitate perverſitas, ut tardos, imperitoſque vocarent Catholicos, eorumque dogmata popularia eſſe dicerent, quo uni ipſi ſapere, veritatemque ſectari viderentur. Confer S. Auguſtinum lib. I. de Peccator. Meritis, & Remiſs. cap. IX. n. 10. pag. 5. Tom. X. Opp. Edit. Antuerp. an. 1700. & lib. II. Oper. Imperf. contra Julian. n. I. pag. 715. & n. III. & IV. pag. 717. & n. XXXVI. p. 725. & lib. VI. num. III. pag. 950. &c. Interea manet, Gerſonio confitente, Majorum, multitudiniſque Chriſtianæ firma, conſenſio; quam ex locis indicatis, quanti Auguſtinus fecerit, quiſque intelliget. Quid? Si PRISCAM eamdem doctrinam agnoſcat Gerſonius? Quod ſi adulationem appellat, fuit id quoque perfugium Romane Sedis inimicorum. Pergit tamen doctrinam eamdem, etiam poſt Synodi Conſtantienſis (tunc illegitimæ) decreta, fuiſſe tam penitus in animis hominum radicatam dicere, ut contraria erroris ab iiſdem condemnaretur. Tantum ineſt virtutis traditioni, ut ne vi quidem ex mentibus orthodoxorum evelli potuerit. Sed hac de re tum copioſius agam, cum Launoii, aliorumque loca, quibus Febronius T. II. pag. 216. confidit, expendendi occaſio ſeſe obtulerit opportunior.

dentem arbitrare poſſe, ut probet, quæ Cuſanus, Gerſon &c. contra Majorum communem ſententiam ſcripſere; improbet vero, quæ ex iiſdem, ut confiterentur, extorſerit conſtans, atque conſpicua Veterum doctrina, ſummaque Eccleſiæ orthodoxæ conſenſio?

Quid? Si multa eorum video tacitum præteriſſe te, quæ iidem Cuſanus, Gerſon &c. ſecus, atque tu ſtatuas, docuere? Verum etſi non mala id fide contigerit, ſed incogitantia fortaſſe tua; cave tamen, ne qui ſint, qui, quod oſcitans feceris, feciſſe te judicent ſtudioſe, eoque conſilio, ut ne qua re gravi ii viderentur repugnare tibi, quorum te præſidiis egregie munitum duceres. Fac tamen nihil nobis favens Gerſon, Cuſanus &c. docuerint; (falſum id quidem, ſed fac habeatur verum) eos ne ego orthodoxus morer, qui neglecta ſæpe dijudicandæ orthodoxæ veritatis nota, non id afferant, quod Sacrorum Bibliorum ſit, Patrumque auctoritate firmatum; immo id afferant interdum, quod aperte cum Sacris Bibliis, cum Traditione Majorum, cumque communi ſenſu Eccleſiæ catholicæ univerſæ pugnet?

Scriptoribus fidit Febronius non minus regibus, quam Eccleſiæ inimicis; ipſoſque jamdiu ab Ec-

VI. Nam (ut cetera prætermittam, de quibus erit deinceps opportunior diſſerendi locus) illa ne opinionum monſtra, quæ ipſi infeſta, atque inimica non minus Re-

cleſia Romana damnatos auctores interdum ſequitur.

Regibus, quam Eccleſiæ, aluerunt, vi ne Scripturæ, Patrumve conſiſtere; an non plane Scripturæ, Patrumque auctoritate repelli, exterminarique cenſes? Jam de Regibus, quid Gerſonius ſibi velit, cujus tamen tu *probatiſſima* vocas *opera*, paucis accipe: „ Error eſt, *inquit*, dicere, terre-
„ num Principem in nullo ſuis ſubditis,
„ dominio durante, obligari. Quin ſecun-
„ dum jus Divinum, & naturalem æquita-
„ tem, & verum dominii finem, quemad-
„ modum ſubditi debent fidem, ſubſidium,
„ & ſervitium Domino; ſic etiam Domi-
„ nus ſubditis ſuis fidem debet, & pro-
„ tectionem; & ſi eos manifeſte, & cum
„ obſtinatione in injuria, & de facto pro-
„ ſequatur Princeps, TUNC REGULA HÆC
„ NATURALIS: VIM VI REPELLERE LICET: LO-
„ CUM HABET; ET ID SENECÆ IN TRAGEDIIS:
„ NULLA DEO GRATIOR VICTIMA, QUAM TY-
„ RANNUS.„ (1). De Almaino vero quid dicam? qui (2) ab ſocietate, ſeu a republica

(1) Gerſon. In Decem Conſiderationibus Principibus & Dominis utilib. &c. Conſiderat VII. pag.624. Edit. ejuſd. Tom.IV.

(2) Almainus lib. de Auctorit. Eccl. Quæſt. in Veſperis habita fol.63. Tom.II. Opp. Moralium Edit. Claud. Chevallon, Ægidii de Gourmont. „ Non poteſt renunciare communitas
„ poteſtati, quam habet ſuper ſuum Principem ab ea conſtitu-
„ tum, qua ſcilicet poteſtate eum, ſi non in ædificationem, ſed
„ deſtructionem regat, DEPONERE poteſt, cum talis poteſtas ſit
„ naturalis, & iſtius ſententiæ eſt Gloſſa XXIII. q. III. cap.
„ Oſtendit, ubi dicit: Populus habet juriſdictionem, licet di-
„ cat

blica non modo deponi poſſe Regem minus recte ſuo munere fungentem docet; ſed etiam puniri ſic oportere, ut par noxæ pœna ſit? Nam ſocietatem ſpoliare ſeſe poteſtate, qua in SUUM PRINCIPEM pollet, non poſſe; ulciſci autem contra, quod improbe factum a Principe ipſo fuerit, jure poſſe. Quare natura Monarchiam *pure regalem*, nullo caſu admittendam eſſe, qua unus omnibus

---

,, cat lex, quod eam tranſtulit in Imperatorem. Nam ſi civi-
,, tas, vel populus non haberet juriſdictionem, quare punire-
,, tur propter delictum judicis? XXIII. quæſtione II. cap.
,, Dominus, ubi dicit: ſic genus, & civitas petenda eſt, quæ vel
,, VINDICARE neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel
,, reddere, quod per injurias ablatum. Non enim punienda foret
,, civitas, niſi juriſdictionem haberet ad COMPELLENDUM.
,, Et iterum ſequitur, quod non eſt DABILIS in quocumque ca-
,, ſu naturaliter Monarchia PURE REGALIS, capiendo Monar-
,, chiam pure Regalem, prout viſus eſt capere quidam iſtis die-
,, bus, quando unicus præeſt, & nullis ſubeſt,,. Sic ille de Rege.
Et de ſuprema Poteſtate Laica quæſt. III. fol. XXXVIII. Propo-
ſit. II. ,, Licet damnato injuſte iſto modo IMPETERE PRINCI-
,, PEM, ET REBELLARE, ſi poſsit, ita quod poſſet vincere vi
,, ſua. Patet unicuique vim vi repellere licet; & hoc quando in-
,, fertur vis injuſte; ſed in illo caſu infertur vis injuſte; ergo in
,, illo caſu licet vim vi repellere, & OCCIDERE CUM MO-
,, DERAMINE INCULPATÆ TUTELÆ: & hoc expreſſæ ha-
,, betur Eccleſiaſtici Capite XXIV. Erue eos, qui ducuntur ad
,, mortem, & ad interitum, & liberare non ceſſes: & loquitur de
,, illis, qui ducuntur injuſte ad interitum: & arguitur ſic: qui-
,, libet tenetur ſe magis diligere, & liberare, quam quemcum-
,, que proximum: ſed ſic eſt, quod quando proximus injuſte
,, ducitur ad mortem, quilibet tenetur liberare, ſi poſsit,
,, etiam per violentiam. Ergo a fortiori, ſi poſsit ipſe, illam vim
,, repellere debet, IMMO AD HOC TENETUR. Et ibid.
,, Cap. VII. pag. 42. ,, Regulariter ille principatus Regalis in
,, caſu non eſſet optimus, immo MUTANDUS in Ariſtocraticum,
,, vel Democraticum. Patet, in caſu, quo PRINCIPANS ES-
,, SET TYRANNUS, vel quando plures aſpirarent ad principan-
,, dum . . . Puta quod unus principetur, caſualiter poteſt eſſe
,, falſa (propoſitio) puta ſi ille unicus ad tyranizandum aſpi-
,, raret, & declinaret, tunc optimus principatus, non eſſet ſim-
,, pliciter omnium optimus, immo multis eſſet nocivus &c. ,,

nibus præſit; ſubſit nemini. Rurſum, injuſte damnato licere *impetere Principem*, *&* *rebellare ſi poſſit*, *ita quod poſſit vincere vi ſua*. Perſpicuum enim eſſe, *vim vi repellere licere*. Poſtremo, mutandum principatum in Ariſtocraticum, Democraticumve ſtatuit, ſi modo is, qui Principatum obtinet, regat, modereturque rempublicam contra atque recta ratio gubernandi ferat, declinareque in tyrannidem videatur.

Neque his mitiores Johannes Major, (1) & Carolus Molinæus (2) fuerunt, quos tu duces, atque magiſtros ſequi conſueſti. At horum, inquis, ſanguinariis doctrinis, vel quæ concitare populos ad ſeditionem poſſint, nullo modo prorſus aſſentior. Ita ne vero? Cur ergo *probatiſſima* opera eorum vocas, quos noveris in tam ſævas, tamque crudeles ſententias incidiſſe; contra vero Romanam Eccleſiam, etſi has reprobet, tamen, quaſi monſtris opinionum delectetur, adeo inſectare, ut nihil *in ea fiduciæ ponendum* doceas? Quid? An *ſanguinaria* illa portenta dogmatum reprobata eſſe ab Sede Apoſtolica, Romanaque proinde Eccleſia neges, ut fidenter (conflandæ invidiæ

 cauſ-

(1) Johan. Major. in Evangel. Matthæi pag. LXII. verſa Edit. an. 1518.

(2) De Monarchia Francor. pag. 603. T. IV. Edit. an. 1612.

cauſſa) negavit is , (1) quem tu laudas plerumque, & quo auctore perſæpe utere? Miror equidem , vos qui circumſpexiſſe omnia gloriamini , non vidiſſe, quod in Bullario Romano ſit , omnibuſque propterea ante oculos verſetur . Inſpice , quæſo te , in *Bullarii* ejuſdem Tomum V. Part IV. pag. 170. Editionis Romanæ an. 1754. Cognoſces ſic fuiſſe a Paulo V. Pontifice Maximo 24. Januarii an. 1615. conſtitutum: „
„ Cura Dominici Gregis per abundantiam
„ divinæ gratiæ humilitati noſtræ commiſ-
„ ſa inquirere nos ſemper, & his præci-
„ pue calamitoſis , temporibus invigilare
„ cogit , ut paſtorali ſollicitudine diaboli-
„ cæ verſutiæ conatus deſtruantur ; & ii
„ maxime, quibus ſub ipſo boni, ſeu lici-
„ ti operis titulo incautos fallit; vel eos,
„ qui ſunt intrinſecus lupi rapaces, ovium
„ veſtimentis prætexit, SALUTEMQUE PRINCI-
„ PUM , unde publica tranquillitas pendet
„ in diſcrimen vocare molitur. Adverſus,
„ quam rerum perniciem, etſi Eccleſiaſti-
„ cis Decretis ſatis proviſum eſt ; tamen
„ quoniam temporum conditio, & rei gra-
„ vi-

(1) Recens auctor opuſculi inſcripti: Dottrina della Chieſa intorno alla Suprema autorità de'Re. Edit. Venetæ an. 1768. Epiſt. Dedicator. pag. 2. „ Il Decreto , inquit , del Santo Concilio „ di Coſtanza , col quale viene tal dottrina (del Tirannicidio) „ come eretica condannata , NON E' STATO CONFERMATO „ NE' DA MARTINO V. NE' DA EUGENIO IV. NE' DA „ VERUN ALTRO ROMANO PONTEFICE „ .

„ vitas poſtulant, noſtraque in Catholicos „ Principes paterna caritas requirit, ut „ quorum ſalutem ſinceris deſideramus af- „ fectibus, & a Domino inceſſanter ex- „ poſcimus, eorum ſecuritatis, quantum „ in domino poſſumus, conſulamus, am- „ plius providendum duximus. Itaque „ ut eorum nefarium, & execrandum ſce- „ lus, qui impias manus Principum Per- „ ſonis admovere, aut contra eorum ſalu- „ tem quomodolibet attentare diabolica „ præſumtione non verentur, ab Eccleſia „ Catholica, quantum ex alto conceditur, „ ablegetur; & omnis aditus fraudibus, „ & veſanis erroribus præcludatur, Con- „ cilii Conſtantienſis declarationem, decre- „ tum, ac definitionem circa doctrinam de „ nece tyranni editam tenoris hujuſmodi: „ *Præcipua ſollicitudine volens hæc ſacroſan-* „ *cta Synodus ad extirpationem errorum, &* „ *hæreſum in diverſis mundi partibus invale-* „ *ſcentium providere, ſicut tenetur, & ad* „ *hoc collecta eſt; nuper accepit quod nonnul-* „ *læ aſſertiones erroneæ in fide, & bonis mo-* „ *ribus, ac multipliciter ſcandaloſæ, totiuſ-* „ *que reipublicæ ſtatum, & ordinem ſubver-* „ *tere molientes dogmatizatæ ſunt; inter quas* „ *hæc aſſertio delata eſt*: quilibet tyrannus „ poteſt, & debet licite, & meritorie oc- „ cidi per quemcunque vaſſallum ſuum,

„ vel

„ vel ſubditum, etiam per clancularias in-
„ ſidias, & ſubtiles blanditias, vel adula-
„ tiones, non obſtante quocumque præſtito
„ juramento, ſeu confœderatione factis cum
„ eo, non expectata ſententia, vel mandato
„ Judicis cujuſcumqne. *Adverſus hunc errorem*
„ *ſatagens hæc Sancta Synodus inſurgere, &*
„ *ipſum funditus tollere, præhabita delibera-*
„ *tione matura, declarat, decernit, & definit,*
„ *hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide,*
„ *& in moribus, ipſamque tamquam hæreti-*
„ *cam, ſcandaloſam, & ad fraudes, dece-*
„ *ptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias*
„ *dantem, reprobat & condemnat. Declarat*
„ *inſuper decernit, & definit, quod pertina-*
„ *citer doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſe-*
„ *rentes ſunt hæretici, & tamquam tales*
„ *juxta canonicas ſanctiones puniendi*: Nos
„ matura deliberatione præhabita, hac
„ noſtra perpetua Conſtitutione Apoſtoli-
„ ca auctoritate innovamus, & quatenus
„ opus ſit, approbamus, & confirmamus. Si
„ quis autem diabolico auſu contrarium
„ attentare præſumpſerit, eo ipſo anathe-
„ mate innodatus exiſtat. Volumus autem
„ ut hæc noſtra Conſtitutio ad valvas Ba-
„ ſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie
„ Campi Floræ Urbis affixa, ita omnes af-
„ ficiat, ac ſi unicuique perſonaliter inti-
„ mata fuiſſet. Datum Romæ apud San-
„ ctam

„ ctam Mariam Majorem ſub annulo Piſca-
„ toris die 24. Januarii 1615. Pontificatus no-
„ ſtri anno X. „ Quid ais? Satis ne id eſt?

Sunt vero mihi alia generis ejuſdem in promtu, quæ lubens mitto, ne tibi ſim prolixitate moleſtior. Quin etiam, niſi me coegiſſetis, hoc quoque ipſum, quo uno contentus ero, brevitatis gratia vel præteriiſſem omnino, vel certe non integrum attuliſſem. Atque ex hoc ſcilicet uno, quo nihil, ut cernis, expeti poteſt apertius, plane intelliges, quid, quam ob cauſſam, contra quos Decreta Sedis Apoſtolicæ, doctrinæque Romanorum ferant. Et hos tamen (quod ante vidimus) injuria, idque ſæpe, laceſſere non verere, quos etiam *Curialiſtas* vocas probri nomine; cum ſeditioſorum, ſanguinariorumque dogmatum patronos ſummis laudibus efferas in cælum. Scio non eo irruiſſe in Romanos, dicturum te, quo iidem ſalva, tuta, pacata Regna; Regumque prætioſæ vitæ, atque incolumitati proſpectum velint; neque ipſum te Gerſones, Almainos &c. laudibus eo cumulaſſe, quo contra ſenſerint. Verumtamen ſi qui tibi vituperandi, exagitandique umquam fuere; non ii fuerint neceſſe eſt, qui deteſtarentur; ſed ii quidem certe, qui pernicioſa, atque immania opinionum monſtra in hominum ſocietatem inducere conati

ti eſſent. At longe te ſecus feciſſe, perſpicue palam eſt. Curandum vero eſt, omnique ſtudio providendum tibi, ne quis iſto maxime capite hos abs Te poſtremos laudatos putet. Nam etſi iſtud quidquid eſt *ſanguinarii* averſari te ſcribis; ſic tamen agis quandoque, vt ea probes, quibus ſeditiones concitari, crearique Regnis, ac Regibus pericula poſſe videantur. Cognoſce tua ne omnis hæc ſit oratio: *Poteſtas Principis, ſeu forma, ac ſtatus Regnorum mundi . . . tamquam ab arbitrio populorum dependens, mutari, luxari, adſtringi, atque ita multis modis a ſua originaria inſtitutione, & prima ſanctione pragmatica diſcedere poteſt.* Si oculos in voluminis ſecundi tui paginam 553. conjeceris, iſtam ſententiam agnoſces profecto tuam. Ad arbitrium autem populorum jus, & auctoritatem Regum, Regnorumve formam, atque ſtatum conferre, ecquid rogo eſt, niſi rerum ſummam iis permittere in poteſtatem, qui inconſtantia, volubilitateque ſua, ſic plane ſeditioſorum civium (qui interdum non deſunt) aſtu, doliſque incendi, atque commoveri poſſint, ut grave ſibi, ac durum imperium cauſſati, ratique, aut immutato Rege, aut ſublato Regno, novaque gerendæ reipublicæ ratione inlata, feliciores ſeſe, beatioreſque fore; turbas cieant, rebellent, ac ipſum etiam

in

in Regem jus perſequentem ſuum, perduelliumque impetum frangere conantem ut in hoſtem publicum invadant, eaque exempla edant immanitatis, quæ dudum Majores noſtri a populis tua iſta opinione ductis, incitatiſque edita luxere?

Confer veterum, novorumque Scriptorum libros. Fatebere, mihi crede, rebus iis, quæ populorum arbitrio conſiſtant, vix quidquam eſſe incertius. Ita ſunt pleni exemplorum levitatis, atque inconſtantiæ popularis. Nihil opus eſt multis hoc longius facere. Uno utar Tertulliani e *Libello ad Scapulam* illuſtri loco: (1) *Iidem ipſi*, inquit, *qui per genios Cæſarum in pridie uſque juraverant; qui pro ſalu-*

(1) Cap. II. & Apologetici cap. XXXV. ,, Ipſos Quirites,
,, ipſamque vernaculam ſeptem collium plebem convenio, an
,, alicui Cæſari ſuo parcat . . . Jam ſi pectoribus ad translucen-
,, dum quamdam ſpecularem materiam natura obduxiſſet, cu-
,, jus non præcordia inſculpta apparerent NOVI, AC NO-
,, VI CÆSARUS SCENAM congiario dividundo præſiden-
,, tis? etiam illa hora, qua adclamant: De noſtris annis tibi
,, Juppiter augeat annos . . . Sed VULGUS, inquis . . Plane
,, ceteri ordines pro auctoritate religioſi ex fide. Nihil HO-
,, STICUM DE IPSO SENATU, DE EQUITE, DE CA-
,, STRIS, DE PALATIIS IPSIS SPIRAT. UNDE CASSII,
,, & NIGRI, & ALBINI? UNDE, QUI INTER DUAS
,, LAURUS OBSIDENT CÆSAREM? UNDE QUI FAUCI-
,, BUS EJUS EXPRIMENDIS PALESTRICAM EXERCENT?
,, UNDE QUI ARMATI PALATIUM IRRUMPUNT, OM-
,, NIBUS SIGERIIS, ATQUE PARTHENIIS AUDACIO-
,, RES &c. ,, Horum ſunt ſimilia, quæ idem Tertullianus perſequitur in I. ad Nationes libro Cap. XVII. Nollem in Febronium (qui in populorum arbitrio principatum conſtituit; inque ejus Sectatores, qui cum ipſo ſimul eos laudant, a quibus conſtat impotentius actum de Regibus) illud Tertulliani e cap. XLVI. Apologetici caderet: ,, Plerique etiam (Philoſophi)
,, in PRINCIPES LATRANT, ſuſtinentibus vobis; & facilius
,, ſtatuis, & ſalariis remunerantur &c. ,,

ſalute eorum hoſtias & fecerant , & voverant .. hoſtes eorum ſunt reperti . Chriſtianus nullius eſt hoſtis , ne dum Imperatoris , QUEM , SCIENS A DEO SUO CONSTITUI , *neceſſe eſt , ut & ipſum* DILIGAT , ET REVEREATUR , ET HONORET , ET SALVUM VELIT CUM TOTO ROMANO IMPERIO .

At hæc nihil te movent , Febroni . Quare poſteaquam conſtituiſti, poteſtatem Principis ex *populorum arbitrio pendere* , pergis ſcribere : *Ex æque ſolidis , ac innoxiis his principiis Regum coronis pericula parari , quis ſomniabit , niſi forte aliquis de trivio Monachus* ? Id quivis turbarum , ſeditionumve ſator (ſimplicitatem prætexens) opponet iis, quos vereri ſciat , ne quid ex ſuis dictis , ſcriptis , factiſve in rempublicam redundet damni . Quid ? E trivio ne Monachum fuiſſe Meldenſium Antiſtitem Jacobum Benignum Boſſuetium ſtatues , qui (1) Proteſtantes tua iſta ſententia nixos ad arma veniſſe ; intuliſſe quibuſdam Re-

(1) Defenſe de l'Hiſtoire des Variations contre la Reponſe de M. Baſnage &c. n.XLIII. „ Les Proteſtans ſe defendirent „ par MAXIMES autant que par armes , & publierent en „ 1550. le livre qui avoit pour titre : Du Droit des Magiſtrats „ ſur leurs ſujets, où ils ſoutiennent à peu pres la même doctrine „ que le Miniſtre LANGUET ſous le nom de Junius Brutus , „ que BUCANAN , que DAVID PARE' , que les AUTRES „ PROTESTANS , & depuis M. JURIEU ont établie , c' eſt-a- „ dire, celle qui donne AUX PEUPLES SUJETS UN EMPI- „ RE SOUVERAIN SUR LEURS PRINCES LEGITIMES „ auſſi - tôt qu'ils croiront avoir raiſon de les appeller tyrans. „

Regibus bellum ; totque ſtrages edidiſſe animadvertit ? Nam Bucananum , Languetum , Davidem Paræum , peſteſque ceteras generis ejuſdem , quibus theologis , atque incentoribus conjuratum eſt , hoc maxime fretos narrat fuiſſe doctrinæ capite : *ſubjectos populos imperio tum ſtatim ſupremo in legitimos Principes potiri , cum iidem populi ratione ſe credunt Principes ipſos appellare tyrannos* poſſe . Qua quidem doctrina eo eſt opinio tua deterior , quo illi tunc ſolum imperium ſupremum populis conceſſerint ; tu ſemper : quum nullis aut juris , aut temporis finibus populi arbitrium coarctaris , quin ab eo *Principum poteſtas, Regnorumque forma, atque ſtatus dependat.* Scilicet illud idem tueris dogma , in quo Jurieus acer in primis perduellionis Proteſtantium defenſor nefarii ſui , ac Regnis, Rebuſque publicis pernicioſi Syſtematis arcem locat . Quo enim modo poteſtatem Regum a populorum arbitrio pendere ſtatues , niſi una in populorum arbitrio ſummum ineſſe principatum , vel in hoc ſummam demum poteſtatem revolvi confiteare ? Quid namque clarius , quam poteſtatem , a qua alia quæpiam pendeat , majorem ea poteſtate eſſe , quæ pendeat ? Pendet autem , te auctore , poteſtas Regum a populorum arbitrii poteſtate . Erit igitur poteſtate Regum po-

poteſtas arbitrii populorum major. Jam vero ſi harum duarum poteſtatum alterutra ſuprema eſt; aut ejuſmodi, in quam altera demum revolvatur; ea ſane te judice erit, quam dederis eſſe majorem. Erit ergo poteſtas arbitrii populorum ſuprema, in eamve demum recidet poteſtas Regum. Atqui hoc illud monſtri Jurieanæ opinionis eſt (1), quod Boſſuetius horruit, quodque idem animadvertit, non modo & ſæviiſſe olim, & eſſe deinceps ſæviturum in Regna, niſi opprimatur; ſed anarchiam (2), etiam inlaturum.

At quoniam id nobis ſumpſimus argumentum, attende, quo ſerpat. Itaque ineſt, ut quidem fateri cogeris, ineſt, inquam, ſummus principatus arbitrio populorum eminentiore gradu. Nam poteſtas ejus a quo pendet poteſtas Regum, oportet ut ſit poteſtate Regum ſublimior. Quod ſi principatum non exercet is, a quo poteſtas pendet Regum, & cui ſublimior proinde prin-

---

(1) Boſſuetius V. Avertiſſement ſur les lettres de M. Jurieu: n. XXXVI. pag. 272. Tom. IV. opp. Edit. Argentin. ſeu Venetæ an. 1738. „ Il ſe vante (M. Jurieu) de pouvoir mon- „ trer, qu' en toutes ſortes de gouvernements le peuple eſt le „ principal ſouverain, ou plutôt le ſeul ſouverain en dernier „ reſſort; puiſque la ſouveraineté y demeure toujours non-ſeu- „ lement comme dans la ſource, mais encore comme dans le „ premier & principal ſujet où elle reſide „. Confer Boſſuetium eumdem ibid. n. XL. ſeqq.

(2) Vide Boſſuetium ibid. n. XLIX. quo loco demonſtrat, poni ab Jurieo ſummum principatum in Anarchia.

principatus ineſt; manet tamen, ut origo ſit principatus, primumque *ſubjectum*, quod vocant, in quo idem ſitus ſit principatus. Age vero ſi in eo omnium maxime principatus hæret; quid impediet, obſecro, quominus; Reges (quos ſecus agere atque ipſe agi oportere arbitretur) in jus vocet, bello perſequatur, exturbet e throno, puniat, privet filios, poſteroſque eorum jure ſucceſſionis, novamque importet reipublicæ gerendæ formam (1)? Ex his autem, quæ tam manifeſto per ſeſe nexa, tamque colligata cum tua iſta (quam innoxiam tamen prædicas) doctrina ſunt, nihil ut eſſe poſſit conjunctius; ecquis non videat, quot, quam magnæ, quam exitiales turbæ, ſedi-

 tio-

---

(1) Jurieu Lettre XVI. nu. VI. pag. 123. & apud Boſſuetium loco indicato n. XLIX. pag. 294. „ Le peuple poſſede la „ ſouveraineté & la poſſede dans un degré plus eminent. Car „ celui qui communique, doit poſſeder ce qu' il communique „ d' une maniere plus parfaite; & quoi-qu' un peuple qui a fait „ un Souverain ne puiſſe plus exercer la ſouveraineté par lui- „ même, c' eſt pourtant la ſouveraineté du peuple qui eſt exer- „ cée par le Souverain, & l' exercice de la ſouveraineté qui ſe „ fait par un ſeul, n' empeche pas que la ſouveraineté ne ſoit „ dans le peuple comme dans ſa ſource, & même comme dans „ ſon premier ſujet „. Addit Boſſuetius: „ Voila LES PRIN- „ CIPES, qu' il poſe dans la XVI. lettre, & il en CONCLUT „ dans les deux ſuivantes, que le peuple peut exercer ſa ſouve- „ raineté en certains cas, même ſur les Souverains, les juger, „ leur faire la guerre, les priver de leurs couronnes, changer „ l' ordre de la ſucceſsion, & même la forme du gouverne- „ ment „. Nimirum hoc illud Febronianum eſt: POTESTATEM PRINCIPIS, SEU FORMAM, ET STATUM REGNORUM MUNDI.. TAMQUAM AB ARBITRIO POPULORUM DEPENDENTEM, MUTARI, LUXARI, ADSTRINGI, ATQUE ITA MULTIS MODIS E SUA ORIGINARIA INSTITUTIONE, ET PRIMA SANCTIONE PRAGMATICA DISCEDERE POSSE.

tiones, ſtrages oriri; quæque inde permanare in regna poſſint graviores etiam partes incommodorum? Quam vero in hæc vehementer, quemadmodum par erat, invectus fuerit Boſſuetius; utque hiſce ipſis perturbationem, confuſionemque ſummam in res quaſque publicas induci demonſtrarit (1), ex ejus *Monito in Jurieum Quinto* cognoſci, perſpicique poteſt. Et Boſſuetium nihilominus auctorem, ac ducem (2) te ſequi, fidenter ſcribis; etſi eumdem de rebus maximis egregie adverſus perduellionum patronos diſputantem deſeras; eorumque, qui ab ipſo exagitati jure, expugnatique ſint, quod caput eſt doctrinæ probes, & conſectere.

Jam *arbitrium* illud *populorum*, a quo *dependere*, mutarique poſſe *Principum poteſtatem, Regnorumque formam, ac ſtatum* doces; id, inquam, *arbitrium* neceſſe ne eſt, ut ratione

---

(1) Confer Boſſuetium ibid. pag. 297. ſeqq. quo loco poſt ubi incommoda, quæ ex ſyſtemate Jurieano ſequuntur, deſcripſit: „ Voilà donc, inquit, le Souverain de M. Jurieu : c'eſt dans „ l'anarchie la plus forte; c'eſt-à-dire, la multitude & le „ grand nombre contre le petit : Voilà le peuple qu'il fait le „ maître & le ſouverain au-deſſus de tous les Rois & de tou- „ te puiſſance légitime : voilà celui qu'il appelle le tuteur & le „ defenſeur naturel de la veritable Religion„ (Febronius: tutorem ſe eſſe, ſcribit, adſertorem, defenſoremque Eccleſiæ Catholicæ jurium) „ voilà celui, en un mot, qui, ſelon lui, n'a pas beſoin „ d'avoir raiſon pour valider ſes actes.. Que le lecteur ſe „ ſouvienne de cette RARE POLITIQUE : LA SUITE en „ découvrira les abſurdites &c. „ Vide & num. LIII. ſeqq. pag. 303. ſeqq.

(2) Hoc paſsim Febronius gloriatur nomine, atque eo etiam in loco T. II. pag. 553. in quo tam impetit, ut vidimus, poteſtatem Regum.

ne ducatur, an contra? Si contra, quo tu modo neges, *pericula inde parari Regibus*? Quid enim non turbulenti, non temerarii, non periculoſi expectes ab iis, qui impetu quodam, non ratione ferantur? Sin ratione; quæ tandem iſta erit tam gravis ratio? Eane, qua & Gerſonem, & Seditioſos quosque cives fuiſſe abuſos accepimus, quæque huc demum recidit: conſpirari, inſurgi, animadverti etiam in Regem jure poſſe, qui officiat reipublicæ ſive privati ſui commodi, ſive cujuſvis alterius rei cauſſa? Hanc unam dices, opinor. Non enim ſuccurrit, quam fingere poſſis aliam. Age vero; difficilene putas futurum, cauſſas populis obtendere, cur a Principe offici reipublicæ arbitrentur? Mirum, ſi eam de aliis opinionem conceperis, ut arduum ipſis fore cenſeas, quod noveris perfacile fuiſſe tibi. Nec enim eorum te cepit oblivio, quæ in Reges aliquos contorſiſti pag. 577. ſeqq. Voluminis primi tui, cum de Ludovico XV. Gallorum, deque Stanislao Polonorum Monarchis diceres. Studere eos mones *emolumentis* ſuis, eaque re *exorbitantes ſuſtinere Romanorum prætenſiones*; idque ipſos facere *veliſicandi* ſuis *propriis* commodis gratia (1); cum

 ante

(1) Tom.I.pag. 578.ſeq. Febronius ſcribit hoc modo: „Evenit „ etiam HAUD raro (quod dolendum) ut & ipſæ SECULA-„ RES

ante jam animdvertiſſes, eos Principes, qui ſuis privatis commodis ſtudeant, *rebus publicis ſemper officere* (1). Sexcenta generis ejuſdem levibus populis (qui præſertim gravari ſeſe, premique ſomnient) venire in mentem poſſunt. Ecquid igitur erit reliqui, niſi ut ab iis, qui ſic exiſtiment, denuncietur Regi, finem ut faciat *officiendi reipublicæ*, fovendi *exorbitantes* aliorum *prætenſiones*, aut aliud quidvis agendi *privati ſui commodi cauſſa*; memineritque, *poteſtatem ſuam* (ut tua fert opinio) *a populorum arbitrio pendere*; ac ſi nihilominus Rex idem incœptis perſtet, mulctetur imperio, *arbitrio-*

„ RES POTESTATES in ſuſtinenda PER EXCESSUM Pontificia auctoritate SIBIMET PRÆSIDIUM QUÆRANT, ET INVENIANT. Dabimus hujus rei quædam exempla recentiora. (Pag.579.) An.1740. obtinuit REX GALLIÆ PRO SE, & Succeſſoribus ſuis, ad interim vero pro Socero ſuo Stanislao Poloniæ Rege a Clem. Papa XII. indultum providendi per viam commendæ omnibus Abbatiis &c. „ Ortas inde narrat contentiones; tum „ repoſuit, inquit, Miniſterium Stanislai ... revixiſſe PRÆTENSIONEM, & jus anterius ſummæ Sedis, hocque jus ex ceſsione, & translatione nunc inveniri, & reſpective exerceri PER ALTEFATOS REGES POLONIÆ, ET GALLIÆ. Non ſunt incognita Brevia Apoſtolica recentiora, & antiqua a REGIBUS, AC PRINCIPIBUS obtenta ad collectandum Clerum ſive in decima, ſive in alia redituum parte. Iidem Magnates, niſi de IPSORUM EMOLUMENTO AGERETUR, ne umbram juris in temporalia Eccleſiarum ſuorum Regnorum Romano Pontifici concederent. NUNC, UT PROPRIIS COMMODIS VELIFICENT, talia indulta petunt, obtinent, & executioni tradunt „.

(1) Ibid. p.577. „ Ad hunc finem obtinendum, oportet privata, ſingulorum commoda ſeponi, ne & hic eveniat, quod dixit Livius: „ PRIVATA commoda SEMPER offecere, OFFICIENTQUE REBUS PUBLICIS „ Habemus autem & experientia compertum a SECULARIBUS quandoque POTESTATIBUS, PROPTER SUA STUDIA, ET COMPENDIA EXORBITANTES ROMANORUM PRÆTENSIONES SUSTINERI.

trioque populorum vel Rex alius in ejus inauguretur locum, vel (quod etiam per te licet) *Regni ſtatus*, ſeu *forma* mutetur? Jam ne vides, Febroni, quo tendant, & in quæ detrimenta, quam in perniciem, quod in exitium Regnorum tandem evadere poſſint iſta, quæ tibi fidens *innoxia* prædicas eſſe *principia* (1)? Et Miniſtros tamen Principum Chriſtianorum, genteſque humaniores, Gallicam in primis, tibi præſidio putas fore. Equidem (bona venia me audies) nihil, ajo, mihi videri minus. Quamquam enim Majeſtas Regum tueatur ipſa ſe, ſummorumque virorum ea ſit ratio, ut paria tuis iſtis de Regio, jure ac poteſtate pronunciata, non tam refellenda, quam merito negligenda (2) judicent; ea tamen, hoc præſertim tempore, ne diuturna impunitate noceant, boni quique cives non patientur; neque committent, ut quæ majores noſtri in Bucanano, in Paræo, in Jurieo, horumque ſimilibus deteſtati ſunt;

 hæc

(1) Boſſuetius ibid. n.XLIX. pag. 295. hæc principia in Jurieum ſcribens deteſtatur, indeque quid ſit conſequens, oſtendit: „ Tout ce, inquit, où il veut venir par ſes principes, c'eſt „ que le peuple peut faire la loi à ſon Souverain en certains cas; „ juſque à lui declarer la guerre, le priver de ſa couronne, „ changer la SUCCESSION, ET même le gouvernement &c. „

(2) Boſſuet. l.c. n. XLIX. pag. 293. „ Pour les frivoles raiſonnemens dont ſe ſervent les ſpeculatifs pour régler le droit „ des Puiſſances qui gouvernent l'univers, leur propre Majeſté „ les en défend; & il n'y auroit qu'à mépriſer ces vains politiques qui ſans connoiſſance du monde ou des affaires publiques, penſent pouvoir aſſujettir les trônes des Rois aux loix qu' „ ils dreſſent parmi leurs livres. „

hæc ipſi modo in iſto opere tuo non indigne tuliſſe videantur.

Hoc, inquam, præſertim tempore, Febroni. Non enim es neſcius, quid nunc cogitent, quid parent, quid enitantur, atque elaborent; quantum impudentia in dies, opibus, factione, & quam ingenti Eccleſiæ, rerumque civilium publicarum damno augeantur; quam ſint male animati in Reges, quos per ſummum ſcelus, *oppreſſores* appellant *humanitatis* (1); quam in Reges ipſos dolo, fraude, calumnia genus humanum inflammare, concitareque ſtudeant ii pſeudophiloſophi, qui non ſapientiæ (qua certe funditus carent) ſed temeritatis, audaciæ, furoris (quo impotenti adverſus quamlibet poteſtatem, Divinam etiam agitantur) *Spiritus* ſeſe *fortes* arroganter vocant.

Iidem ſuis artibus freti, Monarchias Europæ diu duraturas negant (2). Eas vero expu-

(1) Auctor ſceleſtiſsimi Operis gallice inſcripti: Syſtème de la Nature: „ nihil ſe in ſocietate videre (ait), quam debilium, „ ignorantium, corruptorum hominum colluviem, qui ſe ad „ pedes abjiciant ipſos decipientium Sacerdotum; & Principum „ eoſdem opprimentium „. Vide Libellum a Clero Gallicano oblatum Chriſtianiſsimo Regi an. 1770. adverſus idem opus De Naturæ Syſtemate. Auctori pernicioſi ejuſdem Operis conſonant, quæ ſcripta ab ejus ſimilibus ſunt, hoc eſt a Rouſſeau in Contractu Sociali pag. 5. 11. &c.. Ab Anonymis Scriptoribus „ de l' Aſiatique tolerant pag. 99. 106. „ & du Militaire, Philoſophe pag. 51. Ab Encyclopedici Dictionarii Auctoribus, Artic. „ Auctorité „. A conſarcinatore operis inſcripti „ Beliſaire, „ A Voltærio, & a Scriptore italo opuſculi „ delle Virtù, e de' Premj, „ ut a multis aliis de quibus longum eſt ſcribere.

(2) Rouſſæus in Æmilio lib. III. pag. 54. Tom. I. P. II. Edit.

expugnaturi, Eccleſiam primum adoriuntur (1). Hac enim ſalva, plane intelligunt, circumveniri populum, perverti, concitari in Principem non poſſe. Nam ipſam, (cui, ſecundum Deum, nihil eſt ſalute Regum, publica tranquillitate, ſtabilitateque Regnorum potius) (2) prece, ſacrificiis, opera, diligentiaque ſua Regi-

 bus

Edit. Pariſ. an.1762. ſic habet: „ Je tiens pour impoſsible que „ les grandes Monarchies de l' Europe aient encore long-tems „ à durer. Toutes ont brillé, & tout état qui brille eſt ſur ſon „ declin. J'ai de mon opinion des raiſons plus particulieres, „ que cette maxime; mais il n'eſt pas à propos de les dire, & „ chacun ne les voit, que trop „.

(1) Confer Cleri Gallicani Libellum ad Chriſtianiſsimum Regem an. 1770. adverſus impium Librum inſcriptum „ Syſtema naturæ „. Eodem, atque Syſtematis ejuſdem Auctoris flagitia opinionum, ſpectant Rouſſæi monſtra propoſita in ſceleſto opere, cujus hæc eſt inſcriptio: Contract. Social. pag.346. & impia cogitata Auctoris Operis illius, quod inſcribitur: le Chriſtianiſme devoilé: Hos jure inſectantur Scriptores Libelli „ de „ l' Antiquite juſtifiée, editi Amſtelod. an. 1766. & „ Del Diritto Libero della Chieſa &c. Tom. III. P. II. pag. 40. & pag. 56. ſeq. & pag. 58. ſeq.

(2) Quam cari ſemper fuerint, ſintque Eccleſiæ Reges, quamque ſit huic eorum ſalus, tranquillitas, atque imperium cordi, perſpicitur ex Scriptura, & Traditione, a qua Eccleſia eadem numquam recedit. Quod ad Scripturam attinet, conſulenda eſt Epiſtola Pauli ad Romanos cap. XIII. v. I. ſeq. & ad Timoth. I. cap. II. verſ. 2. Adeundi, quod ad Traditionem ſpectat S. Polycarpus Johannis Apoſtoli Auditor Act. Martyrii n. XI. T. II. Apoſtolicor. PP. pag. 199. Edit. Amſtelod. an. 1724. S. Juſtinus Martyr. II. ſeculi Scriptor Apolog. I. n. XVII. Athenagoras Juſtino fere æqualis Legatione pro Chriſtianis n. XXXVII. Theophilus Antiochenus lib. I. ad Autolycum n. XI. Et qui ſeculo III. vixere, ut Tertullianus Apologetici cap. XXX. & XXXI. & XXXIX. S. Acathius Martyr Act. Martyr. apud Ruinartium p. 129. Edit. Veron. Origenes lib. VIII. contra Celſum num. LXXXIII. IV. ſec. Sanctus Ambroſius, Sermone contra Auxentium: n. 36. pag.926. T. III. Opp. Edit. Venetæ an.1751. Mitto ceteros, ne longus ſim, quorum tamen loca indicata a nobis fuere Tom. III. de Coſtumi de' Primitivi Criſtiani cap. IV. pag. 246. edit. Rom. an. 1754. Vide etiam il Diritto libero della Chieſa T. II. P. II. pag. 40. ſeqq.

bus iiſdem ſemper (niſi opprimatur) præſidio (1) futuram. Id autem operæ, ſtudii, laboris Eccleſiam in eo potiſſimum ponere, ut populo perſuadeat, *ſublimiores poteſtates divinitus* τεταγμένας ORDINATAS eſſe (2); quare non ſolum coli (3), & honorari, ſed amari etiam (4) Reges, atque ipſis *omnem animam* ſubjici, dictoque audientem eſſe oportere (5). Populum vero, ea Magiſtra

(1) Confer teſtimonia Tertulliani, Acatbii, Origenis ſupra indicata; & Pontificum Romanorum loca, quæ late deſcripta ſunt in vol. III. del Diritto libero della Chieſa pag. 41. ſeqq. Hinc Colbertus vir celebris, Regique Chriſtianiſsimo Ludovſco XIV. a Secretis, in ſuo Teſtamento Politico, cap. VIII. pag. 434. Edit. Hagen. an. 1693. „ L' Egliſe, inquit, ne permet point, „ que les ſujets manquent à l' obeiſſance qu' on doit à ſon Prin- „ ce pour quelque raiſon que ce puiſſe être: ainſi un Prince ne „ doit jamais permettre, qu'on manque au reſpect qu' on doit à „ l' Egliſe „. Quid? Si Monteſquieus oſor ceteroqui Eccleſiaſticæ juriſdictionis, in eo Opere, quod inſcripſit: de Spiritu legum lib. XXVIII. cap. XLI. pag. 258. in hanc ſententiam ſcripſerit? „ La Juriſdiction Eccléſiaſtique, . . . contribua . . à „ donner des forces à la juriſdiction Royale.

(2) Vide locum Apoſtoli ex Epiſt. ad Rom. cap. XIII. v. 1. ſeqq. S. Polycarpum I. ſupra indicato; Tertullianum Scorpiaces Cap. XIII. S. Joh. Chryſoſtomum Homil. XXIII. in Epiſtolam ad Rom. n. II. pag. 688. Tom. IX. Opp. Edit. Pariſ. an. 1731. & quæ ex aliis Traditionis monumentis attulimus lib. III. de' Coſtumi de' Primitivi Criſtiani Cap. IV. num. II. ſeqq. pag. 246. quæque ex Epiſtolis Romanorum Pontificum translata fuerunt in Opus inſcriptum: del Diritto libero della Chieſa &c. Tom. III. P. II. pag. 41. ſeqq.

(3) S. Polycarpus loco indicato: „ Edocti ſumus, inquit, „ Principatibus & Poteſtatibus ordinatis a Deo honorem tribue- „ re „ Hoc idem ceteri Patres affirmant, ut oſtendi T. III. cap. IV. n. II. ſeqq. de' Coſtumi de' Primitivi Criſtiani. Vide & T. III. P. II. del Diritto Libero della Chieſa pag. 41. ſeqq.

(4) Theophilus Antiochenus lib. I. ad Autolycum num. XI. Tertull. in eo Apologetici loco quem deſeripſi ſupra pag. 93. ſeq. hujus vol. S. Acathius Martyr loco ſupra indicato. Vide Pontificum Romanor. teſtimonia deſcripta Tom. III. P. II. del Diritto Libero della Chieſa pag. 41. ſeqq.

(5) Patrum, Pontificumque hac de re teſtimonia leguntur pag. 41.

ſtra (quam *firmamentum* eſſe, atque *columnam veritatis* (1) credat) hiſce præceptis, inſtitutiſque abundantem, non modo de fide deceſſurum numquam, ſed etiam ſanctæ partes ſequuturum Regias, ac pro Regis incolumitate, dignitate, imperio nullum, ne mortis quidem, periculum eſſe detrectaturum (2). Igitur iidem illi pſeudophiloſophi viam, qua populus tranſverſus agi, nova moliri, commoveri in Regem poſſit, (niſi infirmata, labefactata, everſa (3) Eccleſia) nullam ſibi patere vident. Infirmandæ autem, labefactandæ, evertendæ Eccleſiæ eam unam rationem faciliorem, expeditioremque fore arbitrantur, quam Phariſæi, atque Sadducæi inierant, qui Chriſtum nemini infeſtum, ac ſua cuique tribuentem (4) Cæſaris nihilominus inimicum dixere (5); cum ta-

pag. 41. ſeqq. Tomi ejuſd. III. P. II. del Diritto libero della Chieſa. Id vero ægre fert hoſtis Regum, & Religionis Rouſſæus Contract. Social. pag. 351. ſeqq.

(1) Vide Epiſt. Apoſtoli ad Timoth. I. Cap. III. v. 15.

(2) Hinc in ſceleſto, impioque opere quod inſcribitur: Syſteme de la Nature, populus Eccleſiæ hac in re præſertim obtemperans, debilis probro appellatur, imperitus, corruptus. Vide libellum a Clero Gallicano an. 1770. oblatum Chriſtianiſsimo Regi adverſus idem SYSTEMA.

(3) Niſi enim ita eſſet, cur impii tanto in ſpiritalem poteſtatem odio ferrentur, concitareque in eam Principes ſtuderent; uti quidem conantur Rouſſæus in Contractu Sociali pag. 346. aliique, quos nunc recenſere non vacat?

(4) Conſtat id ex Evangelio ſecundum Matthæum Cap. XXII. v. 20.

(5) Vide Joh. Chryſoſt. Homil. LXIV. al LXIII. in Johannem num. III. pag. 387. Tom. VIII. S. Leonem Magnum Serm. LIX. qui eſt X. De Paſsione Domini cap. 1. p. 166. Edit. Roman. an. 1753.

tamen ipſi omnium maxime acerrimi ; immanes, capitales Cæſaris hoſtes eſſent (1). Hoc idem, ſciunt, Epicureos deinde, Cynicos, alioſque, qui Philoſophi dicerentur, in Chriſti ſectatores fuiſſe auſos (2), deterruiſſeque Ethnicam plebem, ne his fideret, a quibus certe impia Epicuri, ejuſque ſimilium, ac perniciosa Rebuſpublicis dogmata invicte oppugnabantur; confirmabaturque ſancta, Regniſque ſalutaris a Chriſto Servatore

(1) Id de Phariſæis fatetur Joſephus Judæus lib. XVII. Antiquit. Judaicarum Cap. 1I. pag. 830. Edit. an. 1726. S.Johannes Chryſoſtomus Homilia LXIV. al LXIII. in Johan. n.11I. p.387. T.VIII. Phariſæorum, Sadducæorumque dictum illud : ſi „ dimittimus eum (Chriſtum) ſic, omnes credent in eum, & ve- „ nient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem„. deteſtans, atque refellens „. Cur quæſo ? inquit. Num (Chriſtus) „ defectionem docebat ? Nonne jubebat tributum dare Cæſa- „ ri ?.. Hæc dicebant (Phariſæi) non metuentes, ſed invi- „ dentes.. Erant enim illius geſta procul omni ſuſpicione.. Nam „ qui optimum inſtitutum docebat, & Principibus parere jube- „ bat, non affectabat, ſed propulſabat tyrannidem... Verum „ ipſi defectionem docebant, ſecus ille „.

(2) Fecit hoc Celſus Epicureus, qui eo nomine etiam Chriſtianos eſt inſectatus, quaſi minus bene in Cæſarem animati eſſent. Confer Origenem libro VIII. Contra Celſum num. LXIII. LXV. LXXIII. Sævierat item in Chriſtianos, eoſque multorum eſſe criminum reos dixerat Creſcens Cynicus, ut conſtat ex S. Juſtini Martyris Apolog. 1I. n. 11I. Hoc idem auſi plerique alii ſunt, qui cum hoſtes eſſent Imperatorum, in quos aperte debacchari non verebantur; tum philoſophos ſeſe nominabant, ut modo eo ſe in primis jactant nomine ii, qui tamen nihil forte minus, quam philoſophiam norunt; quique contra præcepta, atque inſtituta philoſophiæ hominibus, Deoque ipſi bellum per ſummam impietatem indixerunt. Conſule Tertullianum Apologetici Cap. XLVI. quo loco, poſt ubi philoſophos ejus generis, inimicos Cæſarum oſtendit eſſe; tum „ mimice, inquit, philoſophi affectant „ veritatem, & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captent... „ Adeo quid diſsimile Philoſophus, & Chriſtianus, famæ, nego- „ tiator, & ſalutis; verborum & factorum operator.. inter- „ polator erroris, & integtator veritatis; furator ejus, & cu- „ ſtos. „

tore conſtabilita religio. Itaque factio illa pſeudophiloſophorum hoc primum ſibi ſumendum arbitrata, Eccleſiam, ejuſque Præſides in ſummam invidiam, odiumque vocat. Inimicos, ait, hos eſſe civilis imperii. Jura comminiſci, atque arrogare ipſos ſibi, quibuſcum nequeat jus, auctoritaſque Regum conſiſtere. Id hos item contendere, ut ſibi omnia ſubigant. Superſtitione non ſolum illigatos eoſdem eſſe, ſed mortales etiam ceteros opprimere conari. In ſumma quoque ingenia intolerandam ipſos tyrannidem exercere. Sævire porro, ſi modo queant, in quemvis hominem, qui de ipſorum doctrina aut dubitet, aut ſecus, atque ipſi velint, ſentiendum putet; ſin minus queant, ejus libros in concione comburi jubere, aut ſaltem proſcribere. Ea re fieri, ut, libertate cogitandi, dijudicandique ſublata; multi rebus maximis, generique hominum ſalutaribus vel inveſtigandis; vel ſi inveſtigando eas compererint, expromendis, divulgandiſque deterreantur; quippe cum pœnam effugere ne dubitatio quidem poſſit (1). Ita Præſidum eo-

(1) Pleni ſunt Atheorum, Deiſtarum, Antichriſtianorumque libri ejuſmodi conqueſtionum. Confer, quæ adverſus librum: du Syſteme de la Nature: Clerus Gallicanus ad Regem ſcripſit an. 1770. & Inſtructionem Cleri ejuſdem „ De damnis, & periculis Incredulitatis „ pag. 95. ſeqq. Edit. Rom. an. 1772. Impiis autem, qui in Eccleſiam, Miniſtroſque ſacrorum debacchati ſunt, vix quiſquam fuit Auctore operis: du Chriſtianiſme devoilé; impotentior.

eorumdem Eccleſiæ *conjunctionem cum Regibus nonniſi fœdus contra virtutem, & contra genus humanum eſſe* (1). Igitur dandam eſſe operam, ne hi pergant lædere, neve quid horum deinceps fraude, atque artibus Reſpublica detrimenti capiat. Coerceri eos; tolli jus ipſorum commenticium; ſubigi laicæ poteſtati quiquid ipſis poteſtatis, etiam docendi; ineſt; integram cuique de doctrina cogitandi, conſtituendique libertatem permitti oportere.

Hæ factionis Pſeudophiloſophicæ conqueſtiones, hi tam nefarii conatus eo pertinent, ut auctoritate, jure magiſterio Eccleſiæ ſublatis, aut labefactis, plebs alio ſeſe transferat, eoſque ſibi Doctores quærat, qui cum in ſumma opinionum pravitate verſentur, tum ſe oſtentent, quaſi ipſi *vera* illa, quod ajunt, *perpauca* videant, quæ unice utilia ſint, quorumque numeri augendi gratia Rouſſæus (2) princeps ejus ſectæ phi-

(1) Vide libellum a Clero Gallicano oblatum Regi an. 1770. adverſus opus du Syſteme de la Nature.

(2) Auctor Opuſculi inſcripti delle virtù, e de' Premj §. VII. pag. 28. Edit. Mutinenſis an. 1768. „ Quel cittadino, inquit, „ di Ginevra, che va rammingo per queſto globo per avere ſacrificato i ſuoi talenti, e la ſua libertà ad accreſcere il nu„mero delle poche verità utili, che circolano fra gli uomi„ni „. Quæ autem hæ ſint veritates, quas idem jactat, intelligi ex libello ipſo poterit: Nempe §. IV. pag. 20. „ Che „ la diſtinzione degli ordini fu inventata per premiare i vir„tuoſi, e ſi è poi CONTINUATA NE' LORO DISCENDEN„TI COLLA CREDENZA, CHE NON DEGENERASSE„RO DA' PROGENITORI „: & „ La eſperienza tutto dì ci„dimoſtra, che i TITOLI, E DIGNITA', GLI ONORI, „ E TUTTI I VANTAGGJ DI SPLENDORE meritati dagli „ avi

philoſophorum nullum aut vitæ, aut ſalutis, aut libertatis, aut fortunarum, periculum recuſarit. Iis autem magiſtris, quid plebs ipſa non audebit in Reges? Nam eſt hæc item ejus generis Magiſtrorum doctrinæ præceptio: Nullam Regi ineſſe, niſi quam ei populus crediderit, ſeu in fidem permiſerit, poteſtatem. Proinde populo id quidquid eſt poteſtatis librare, temperare, reſtrin-

---

„ avi, SERVONO ALLA POSTERITA' DI SCUDO A' LO„ RO VIZJ .. Dovrebbe l' Europa USCIRE D' ILLUSIONE, „ e non permettere, che le virtù SUPPOSTE TOLGANO LA „ MERCEDE ALLE VIRTU' REALI „ Videſne ut propoſitio latiſsime pateat, omneſque dignitates complectatur, adeoque ne Regiam quidem excludat? Et §. VII. pag. 34. Sic, ad ſeditionem concitans plebem, ruſticum neſcio quem inducit adprobans loquentem: „ Tutti naſciamo eguali. Dovremmo „ dunque tutti partecipare EGUALMENTE DELLE ISTES„ SE FELICITA'. . Quanto è della noſtra migliore la condi„ zion de' ſelvaggi? Non hanno eſsi, come noi a temere le „ impoſizioni .. Non è la vita loro precaria, e DIPENDENTE „ DALL' ALTRUI ORGOGLIO „. Addit idem: „ Il do„ minio quiritario, e bonitario ſono TUTTE PAROLE MI„ STERIOSE INVENTATE DALL' USURPAZIONE, E „ RESE RISPETTABILI DALLE FORZE „. Multa generis ejuſdem perſequitur, quæ legi poterunt, in III. Vol. Operis inſcripti: Del Diritto libero della Chieſa &c. P. II. pag. 70. ſeqq. Ferendum multo minus modo eſt, quod idem Auctor opuſculi delle virtù e de' Premi, §. XII. adjungit: agens de Regibus: „ Per l'AMMINISTRAZIONE „ (inquit, quaſi vero nihil eis amplius præter adminiſtrationem competat) „ noi dobbiamo „ ad eſsi la ſoggezione, e l' obbedienza: MA IN VERUN „ CONTO NON E' LORO DOVUTA LA STIMA, E L' AF„ FEZIONE, CHE NON FU MESSA NEL COMUNE DEPO„ SITO „. Hoccine quiſquam Orthodoxus ferat? Næ illud DEPOSITUM falſorum philoſophorum inane, odioque dignum eſt! Videſne ut deneget Regibus, quod ipſis jure competat. Quæ autem damna in rempublicam redundabunt, ſi ſubditi amorem Principi negent? Quod etiam ſpectant, quæ Becaria complexus eſt Opuſculo illo ſuo „ De' delitti, e delle pene „ pag. 4. Edit. an. 1764. & pag. 5. ſeqq. & pag. 21. & 65. Mitto ceteros ne longior ſim, quam oporteat „.

reſtringere jus eſſe. Qua ex re illud item & conſtat per ſeſe, & ipſi affirmant, & Clerus Gallicanus eos execratus demonſtrat plane eſſe conſequens: retineri a populo; non vero eſſe translatam poteſtatem, majeſtatemque in Regem. Itaque non hujus eſſe imperium, ſed multitudinis, cujus is vices, parteſve agat; quam ſolum exhibeat, ſeu repræſentet; cujuſque uno imperet nomine. Cogi ipſum propterea a populo jure poſſe, ſi ſecus ac idem populus cenſeat, Rempublicam geſſerit; cogi, inquam poſſe, ut quam ad rem, quibuſque modis poteſtate ſit uſus, rationem reddat. Neque vero id ſolum, ſed etiam ut de imperio, dignitateque decedat, id ſi populus ipſe ad ſalutem, utilitatemve publicam intereſſe putet. Poſt ubi hæc docuere; tum ab Regibus privata ſua commoda quæri, opprimi nationes, tyrannidem occupari ajunt: quod quidem ſi populis perſuaſerint, non dubitant fore, ut populi ipſi vindicandi, quod ſibi finxerint, juris, adſerendæque libertatis cauſſa, conſpirent, irruantque in Regem (1).

VII. Nunc

(1) Auctorem Operis inſcripti „ Syſteme de la Nature „ exagitans Clerus Gallicanus in eo Libello, quem an. 1770. obtulit Chriſtianiſsimo Regi, ſcribit hoc modo. Utimur autem ejus Libelli accurata verſione italica; „ Egli (l' empio Autor del Siſtema „ della

VII. Nunc ad te redeo: Non is ſum, Febroni, qui junxiſſe te cum iſta hominum colluvié, arbitrer, ſectæ ſocietatem. Immo contra, tam eſſe ab illa te animo alieno, certo ſcio, uti, me judice, qui gravi ſe crimine illigare nolit, is non modo quid-

Explicatur, quæ eſſe potuerint Febronianæ ſcribendi rationis cauſſæ; demonſtraturque, quam ejus opus ſit infeſtum Eccleſiæ, ac Regnis, quamque plena periculorum.

„ della Natura) non vede nella ſocietà, che un vile adunamen-
„ to di uomini FIEVOLI, IGNORANTI, E CORROTTI
„ proſtrati D'AVANTI A' PRETI, che gl' INGANNANO;
„ e a' PRINCIPI, CHE GLI OPPRIMONO. Egli non vede
„ ne' CAPI DELLE NAZIONI, CHE DE' MALVAGI, E
„ DEGLI USURPATORI, i quali le Sacrificano ALLE FOL-
„ LI LORO PASSIONI; E I QUALI NON SI ARROGANO
„ IL FASTOSO TITOLO DI RAPPRESENTANTI DI DIO,
„ CHE PER ESERCITARE SU DI ESSE più impunemente
„ IL PIU INGIUSTO, E ODIOSO DISPOTISMO. Egli non ve-
„ de nella unione del SACERDOZIO, e della POTENZA SO-
„ VRANA, CHE UNA LEGA FATTA CONTRO LA VIR-
„ TU', E CONTRO IL GENERE VMANO. Inſegna egli al-
„ le nazioni, che I RE NON HANNO, NE' POSSONO AVE-
„ RE SU DI ESSE ALTRA AUTORITA', CHE QUELLA,
„ CH' E' AD ESSE PIACIUTO DI CONFIDAR LORO.
„ CH' ELLE HANNO IL DIRITTO DI PONDERARLA,
„ DI MODERARLA, DI RISTRINGERLA, DI DOMAN-
„ DARNE LORO CONTO, E ANCHE DI SPOGLIARNE-
„ LI, S'ELLE LO GIUDICANO CONVENIENTE A' CO-
„ MUNI LORO INTERESSI. EGLI LE INVITA A FARE
„ CON CORAGGIO USO DI QUESTI PRETESI LORO DI-
„ RITTI; E LE AVVISA, CHE NON VI SARA' PER ES-
„ SE VERA FELICITA', SE NON SE ALLORA, QUANDO
„ AVRANNO MESSI DE' LIMITI AL POTERE DE' LORO
„ PRINCIPI, E GLI AVRANNO OBBLIGATI, A NON
„ ESSERE, CHE I RAPPRESENTANTI DEL POPOLO, E
„ DELLA VOLONTA' DI ESSE GLI ESECUTORI. L' A-
„ NARCHIA, E LA INDIPENDENZA SONO L' ABISSO,
„ IN CUI L' EMPIETA' CERCA DI PRECIPITARE LE
„ NAZIONI." Nihilo ſanior Scriptore, du Syſteme della Natura, eſt is, qui opuſculum edidit inſcriptum: LA CHIESA, E LA REPUBBLICA DENTRO I LORO LIMIITI. Ediz. an. 1768. pag. 32. „ Venendo, inquit, alla ſovrana poteſtà degli uomi-
„ ni, allontanate da voi, o Principi, o Supreme Poteſta, quei
„ politici, che vi ſpacciano per dogma, che venga a voi imme-
„ diatamente da Dio; perchè ſono mentitori. Non li credete,
„ perchè vi adulano. Eſsi vi diranno, che la ſteſſa Sacra Scrit-
„ tura dichiara, che ognuno deve eſſere ſoggetto alle ſovrane
„ Po-

quidquam de te ipſo tale non credere debeat, ſed ne ſuſpicari quidem. Verum etſi conſtans hæc de te ſit mea, firma, certaque ratio; dolens tamen, mihi crede, intelligo, multa te quinque ipſis tuis voluminibus comprehendiſſe, quæ eo per ſeſe vergant; eoque, ſi propoſita (, quod Deus avertat) atque probata populis ſint, evaſura demum videantur, quo eadem ſecta cuperet. Nam de Eccleſia ſic agis, ut omne ipſi regimen ademiſſe videare. Atque, ut ordine acturus, ab ejus viſibili capite ordiar, cogita, obſecro te, mi Febroni, ecquid de Pontifice Romano ſtatueris. Hujus tu, cui ne attributam quidem *capitis Eccleſiæ* appellationem velles; hujus tu, inquam, Primatum ſtabilem certe divino jure; etſi modo hoc, modo illud ajens, tecumque luctans

---

„ poteſtà, perchè ſono ſtabilite da Dio; MA IO RISPONDERO' „ ciò, che riſponde UN RINOMATO FILOSOFO, gran difenſore del dirittopolitico. (En quem opponat. Vattelum, arbitror. Quem virum, Deus immortalis!)„ Eſſere vero, che ogni potenza „ viene da Dio„ (Sed vide quid addat, ſi Poteſtas quidquam agat, quod ſubditis grave videatur.)„ MA SE UNO MI ASSALE CON „ UNA PISTOLA AL PETTO, PERCHE' IO GLI DIA IL „ MIO DANARO, SON IO OBBLIGATO IN COSCIENZA „ A DARGLI LA BORSA, QUANDO IO POSSA SOT„ TRARLA. E PURE LA PISTOLA, CH' EGLI HA IN MA„ NO, è una POTENZA „. Pag. 38. „ RISEDENDO, inquit, „ originalmente NEL POPOLO LA SOVRANITA', ed eſſen„ do queſta CONFIDATA A UN SOLO PERCHE' la eſerciti „ per la conſervazione dell' ordine, e per il ben comune &c. „ Vide quæ pag. 39. præſcribit, de populis, quandonam commoveri, conſpirareque in Regem poſsint, qui ipſos in ſuam poteſtatem redegerit. Quam hæc ſint plena iniquitatis, & ſpiritus ſeditionis, quiſque intelligit.

ctans tergiverſere ; interdum tamen aperte (contra atque catholicum dogma poſtulet) in anguſtias compingis ſolius *Ordinis*, *Directorii* (1) ac *Formæ*: qua de re ut tibi cum Schiſmaticis Græcis, Proteſtantibuſque conveniat, alio loco opportune videro. Quod ſi alicubi eumdem Primatum, quemadmodum *Ordinis*, *Formæ*, *Directorii*, ita *Auctoritatis* affirmas eſſe; id tamen auctoritatis genus non ſolum negas cum vera, *propriaque juriſdictione* conſiſtere ; ſed etiam ſic extenuas, ut voce ipſum concedas, re autem ipſa inficiere. Ecquam enim ei relinques auctoritatem, quo non ſolum invito congregari, non Præſide celebrari, non confir-

H mante

(1) Febronius Tom. I. Cap. I. §. II. n. 6. pag. 12. „ rite, inquit, infertur etiam ex hoc loco Matthæi eluceſcere, & „ probari, Primatum Petri ; SED TALEM, QUI FINES „ DIRECTORII, & FORMÆ NON EGREDIATUR „ Expeti ne quidquam. poteſt apertius ? Novi, Febronium ibid. Cap. II. §. IV. n. 11. pag. 85. ſcribere : „ Inter hos NUDI DI„ RECTORII FINES, JURA PRIMATUS NON SUBSISTUNT. „ EXIGIT AMPLIUS ALIQUID CONSERVATIO UNITA„ TIS IN ECCLESIA NON SEMPER IN CONCILIIS CON„ GREGATA, QUAM PRO PRINCIPIO, & FUNDAMEN„ TO PRIMATUS PONIMUS „ . Sed hæc, cum ſuperioribus ejus verbis pugnant. Pugnantia vero, quæ ſunt, (veluti animadverſum a Boſsuetio eſt (qua de re alias) pugnantia, inquam, quæ ſunt, non excuſationem habent, ſed errorem potius manifeſtant. Atque illud plane conſtat, nullum fere fuiſſe ſtudioſum novorum dogmatum de Religione, qui non ſe luctatione ſententiarum, ac pugna tegere ſit conatus. Verum ad ingenium paulo poſt redit Febronius, & Cap. III. §. VII. pag. 153. ac Cap. V. §. IV. pag. 242. queritur „ apertam eſſe viam „ ad mutandum conſilia in mandata, DIRECTORIUM IN „ IMPERIUM „ : ſtatuitque, auctoritatem Pontificis cum Primatu neceſſario conjunctam DIRECTIVAM quidem eſſe, non PROPRIÆ JURISDICTIONIS.

mante prorſus valere Synodos Oecumenicas poſſe dicas; ſed quo item inſcio, immo repugnante, Epiſcopos, Metropolitas, Patriarchas eligere, conſtituere, atque ita electos, conſtitutoſque retinere fas eſſe arbitrere? Rurſum quid ei concedas in Eccleſias auctoritatis divini juris, cui divino jure ullam aut ferendarum legum; aut cogendi excommunicatione, aliiſve pænis cujuſquam; aut rei alicujus reſervandæ ſibi; aut jubendi, ut de majoribus etiam cauſſis ad ſe referatur, aut cognoſcendarum ejuſmodi cauſſarum poteſtatem ineſſe neges? Ecquod illi porro attribues auctoritatis præcipuæ genus, quem ſic exæques interdum ceteris Antiſtitibus, ut ſi quid, in re Eccleſiarum gerenda egerit, id (conquiſitis undique exemplis vetuſtatis, quæ certe ad inſtitutum non conferant) actum pariter ab aliis Epiſcopis clamites, qui primas ſe in Chriſtiana Republica partes obtinere ne ſomniaſſent quidem? Poſtremo eum ne potiore auctoritate in Eccleſia Catholica dices excellere, cui de Miniſtris cœtuum orthodoxorum, de diſciplina, de moribus, de doctrina proponenti, edicenti, decernenti, jubenti reſiſtere Epiſcopus quiſque non impune modo, ſed etiam juſte queat; ſiquidem is Epiſcopus vel traditioni, vel inſtitutis Eccleſiæ privatæ ſuæ
con-

conſentaneum putet non eſſe, quod Pontifex propoſuerit, edixerit, decrerit, juſſerit (1)? Quo vero (ut ſententiis deinceps tuis evincam) quo, inquam, niſi huc demum dogmata pleraque tua revolvuntur, ac recidunt; quorum quidem tuendorum cauſſa, non tantum teſtimonia Majorum adduxiſti partim vitiata, partim aliqua ſui parte diminuta, partim aliorſum, atque illi voluerint, contorta; ſed quaſi etiam a transfugis, & ab errantibus præſidium peti ſatis firmum poſſit, ne ab exemplis quidem tibi temperaſti eorum, qui aut cum Schiſmaticis junxiſſent ſocietatem, aut decepti, errore ſe graviſſimo illigaſſent?

Video, non repugnare aliquando te, quin Pontifici Maximo, uti *Primati* Eccleſiæ, *Centroque unitatis* competat quidquid auctoritatis requiritur ad ſervandam, confirmandam, tuendam unionem, conſociationemque Catholicorum (2). At qua demum poteſtate in conſociatione, unitateque moroſos, ſatores contentionum, difficiles, reſiſtentes continebit is, cui (veluti tua fert ratio) iſtud quidquid eſt, quodque memoravimus, *auctoritatis* detractum eſſet? Næ tu, ſi me audias (audies

 au-

(1) Febronius T. I. C. II. §. VIII. p. 104. & ibid. n. 2. pag. 105.
(2) Idem T. eodem I. Cap. II. §. IV. n. 2. p. 85. Verum hac de re alio loco agam opportune, ſed tempori.

autem hominem, mihi crede, obſervantem in Chriſto, & amantem tui) næ tu, inquam, ſerio cavebis, ne dum Primatus auctoritatem (qua ſervanda, atque tuenda ſit unitas) verbo ponis, re tollis; verbo item ponere unitatem, re autem vera tollere videare. Cui enim te credas perſuaſurum, non impeti abs te unionem, non divelli, non tolli, cum rationem *Primatus*, *Centrique* proinde *unitatis* cadere in Romanum Antiſtitem, doceas, humano jure; quare auctoritate Eccleſiæ, adimi ei *Primatum* eumdem, atque adeo *Centri unitatis* rationem ipſam; transferrique in quemvis Epiſcopum, puta in Mediolanenſem, vel in Pariſienſem poſſe (1)? Cum item Romanum ipſum Pontificem (qui nunc *Centri unitatis*, ſeu *Primatis* Eccleſiarum habeatur loco) *uſurpatorem* tot jurium, clames, eſſe, quibus eum ſpoliandum præcipis, quibuſque ſublatis, conſtat, præſidium ei, quo Chriſtianos in unitate contineat, reliquum fore omnino nullum? Cum deni-

(1) Ibid. §. III. pag. 77. ſic habet: „ Sicut per rationes „ convenientiæ HUMANA AUCTORITATE ROMANÆ Urbis Antiſtiti Sacer Primatus traditus fuit; ſic & ex rationabilibus motivis, AUCTORITATE Eccleſiæ, eumdem ad alium „ Epiſcopum Ex. Gr. Mediolanenſem, Pariſienſem &c. transferri poſſe, recte ſtatuunt Scotus, Cardinalis de Cuſa, Cordubenſis, Bañez, & alii. EA ſeculo XVI. fuit CONSTANTISSIMA SENTENTIA REGNI GALLIÆ &c. „ Quam hæc ab Hiſtoriæ, Doctrinæque Catholicæ veritate diſtent, poſt demoſtrabitur.

denique in eumdem Pontificem, Romanamque Eccleſiam, ut in opprimentem Epiſcopos; ut in ſchiſmatum cauſſam; ut intuentem *prætenſiones*, atque doctrinas, quæ cum *inſtitutione Divina* pugnent, *centrique rationem non manifeſtent*; ut in hoſtem etiam Principum, incendere Præſides quosque Eccleſiarum, Reſpublicas, Tetrarchas, Reges, Imperatorem conere? Hæc autem, quo ſpectant, rogo, niſi vel ut adjumentis (quibus ſalva poſſit eſſe unitas) centro unitatis, ſeu Primati, conſpiratione, impetu, vi, detractis; & facta quibuſvis Epiſcopis centro ipſi reſiſtendi poteſtate; concitatiſque Monarchis, diſſolvatur tandem cœtuum Catholicorum conſociatio? Vel ut (contra atque Eccleſiæ Orthodoxæ doctrina poſcat) avellatur a Pontifice Romano Primatus, Centrique unitatis ratio, inque alium Epiſcopum transferatur? Id vero quemadmodum fieri tranquilla Eccleſia, non in factiones diſciſſa queat, ne ſuſpicari quidem poſſumus. Poteſtate autem Primatis, ſeu Capitis continendorum in officio, & in unitate membrorum ſublata, unitateque ſubinde dirempta, atque diſtracta, quid reſtet, mi Febroni, niſi ut ſumma hinc oriatur impunitas ſequendi unicuique quas velit partes, ſentiendique quod libeat? Nihil hic eſt fallaciæ loci.

 Nam

Nam quod, te ut excuſes, ad Eccleſiæ per orbem terrarum diffuſæ, Synodive Oecumenicæ auctoritatem confugias; id quale ſit, mox diligenter expendero. Interea effice, ſi modo poſſis, ut impunitate data, impotens, ac præceps non conſequatur cogitandi, dijudicandi, agendi de moribus, de Republica, de Rege, de Religione libertas, effrenataque illa, quæ cum iſtiuſmodi libertate conjungi arctiſſime ſolet licentia. Quod ſi nequis efficere, quin hæc ſequatur, ut nequire te, ſi candide loqui velis, ultro fatebere; fateare item neceſſe eſt, ipſum te, qui Pontificibus Maximis detraxeris coercendæ licentiæ, Chriſtianorumque in officio, unitateque continendorum poteſtatem; una cum genere iſto impunitatis eam libertatem, atque licentiam, tua, ſi minus voluntate, at certe opera, intuliſſe. Quæ quidem licentia (ſi doctrinis tuis vis ineſt ulla) eo valebit, ut qui novitatis amans *litteratum* ſe putet eſſe, is arbitretur *imperio ſe in animos aliorum* potiri; & ſibi, qui *nova e penu ſua depromſerit*, ceterorum *mentes ſubjici* oportere; non alteri cuiquam ſuam: quare tot ſe *diſcipulos*, ac ſubditos *nactum eſſe*, quot ſuorum operum lectores habeat. His fretus initiis, progredietur; eoque pertinget denique, ut Judex ſedere velit & doctri-

ctrinæ ſuæ, & Præpoſitorum, Judicumque Eccleſiæ, a quibus ſua ſcripta notata, inque numerum damnatorum rejecta eſſe acceperit. Hos Præpoſitos (quibus Apoſtolus parendum (1) jubet) ne quid auctoritate, ac fide poſſint, jactis criminationibus, proſcindendos, atque in invidiam, infamiam, odium vocandos ſtatuet. Itaque ſuſcepiſſe ipſos comminiſcetur patrocinium ignorantiæ: *ſervitutem imponere*: *ſævire in veræ ſapientiæ Profeſſores*: *juſtam criſim pellere* e mentibus hominum conari; dareque operam, ut cives, aut abſiſtant *bonis artibus*, aut ad eas colendas tardiores fiant. Hæc cogitare, ſcribere, divulgare, defendere integrum cuique futurum, quomodo neges; cum integrum jam eſſe judicaris tibi? Annuere te, video. Noſti enim quæ ſcripſeris. Proferrem (2) libros, ſi

(1) Epiſt. ad Hebræos Cap. XIII. v. 17.

(2) Febron. Tom. II. Opuſc. Inſcripto: „ Flores Sparſi. Cap. IX. pag. 565. poſt ubi dixit: Honeſtam quamdam libertatem legendi, ſcribendique de Eccleſiaſtica poteſtate deſiderari; eamque MULTIS IN LOCIS, PRÆSERTIM ROMÆ DEFICERE animadvertit, tum: „ Incommoda, inquit, hujus SERVITUTIS, quam „ ROMA ſuis filiis imponit, comparari poſſunt illis, quæ DE„ SCRIBIT Tacitus in VITA AGRICOLÆ Cap. II. nempe = „ Neque in ipſos modo Auctores; ſed in LIBROS quoque eorum, „ SÆVITUM, delegato Triumviris miniſterio, ut MONU„ MENTA CLARISSIMORUM INGENIORUM in comitio, „ ac foro URERENTUR. Scilicet illo igne vocem populi Ro„ mani, & LIBERTATEM SENATUS, & CONSCIENTIAM „ GENERIS HUMANI ABOLERI arbitrabantur, expulſis in„ ſuper SAPIENTIÆ PROFESSORIBUS, ATQUE OMNI „ BO-

negares. Jam vero ſimilia ne horum ſint, quæ a transfuga Marco Antonio de Dominis (1), atque a pſeudophiloſophis hujuſce temporis jactantur, tute conſidera. Age autem, dum (Præpoſitorum, Romani Pontificis in primis, qui Centrum eſt unitatis, auctoritate,

---

„ BONA ARTE IN EXILIUM ACTA, ne QUID USQUAM HONESTUM OCCURRERET. Dedimus profecto grande patientiæ documentum: & ſicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate eſſet, ITA NOS QUID IN SERUITUTE, ADEMPTO PER INQUISITIONES & loquendi, audiendique commercio. Memoriam quoque ipſam cum voce perdidiſſemus, ſi tam in noſtra poteſtate eſſet oblivisci, quam tacere „. Profecto acrius non eſt invectus in proſcriptiones librorum Marcus Antonius de Dominis, cujus locum pag. 33. Voluminis hujus adduximus; neque plus quidem afferunt hujus ætatis pſeudophiloſophi hoſtes totius Religionis, ut eripi libertatem, tardioreſque fieri ad optima quæque gerenda multos proſcriptione librorum, incautis perſuadeant. Addit Febronius, Litteratos homines coſtituens Imperatores mentium; cum jam deprimere conatus eſſet Apoſtolicam Sedem, damnationis librorum cauſſa: „ Nunquam efficietur, ut veræ SAPIENTIÆ PROFESSORES EXPELLANTUR, BONÆ ARTES ET CUM HIS JUSTA CRISIS MITTATUR IN EXILIUM, ut denique humanum ſenſum, & cum voce perdamus memoriam. Habebunt ſemper LITTERATI QUANDAM SPECIEM SUPERIORITATIS, ET IMPERII IN ALIORUM ANIMOS, CUI ÆGRE RESISTITUR. VIRI ingenio pollentes, NOVA, aptaque de ſua penu PROMENTES, mentes HOMINUM SUI ÆVI, SIBI FACILE SUBJICIUNT. Erudita illorum Scripta beneficio typi per orbem ſparſa OBSCURIORUM TEMPORUM NEBULAS (quibus materia de Romani Primatus proprietatibus multo tempore involuta fuit) ſucceſſu temporis depellunt „ Quas vero nebulas ipſe depulerit, poſt demonſtrabitur. Horum ſimilia diſcipulis ſuis quiſque Antichriſtianus poſſet dicere; ſuntque ex his revera qui dicant: evolviſſe nempe ſe nebulas temporum obſcuriorum. Sed pergam Febronii locum deſcribere =„ Tot illi NANCISCUNTUR DISCIPULOS, QUOT HABENT LECTORES. TANTIS MAGISTRIS NEMO NON ASSURGIT &c. „ Ita ne vero? Equidem, cum de religione agitur, quod Scripturis, Traditioneque continetur, mihique ab Eccleſia ad credendum proponitur, ſemper, & credam, & propugnabo; nec me de Sententia ullius, aut docti, qui NOVA afferat, aut indocti oratio movebit. Hoc Catholicus quiſque faciet.

(1) Vide locum indicatum Adnotat. ſuperiore.

te, aut negata, aut contemta) judicem ſe quiſque doctrinæ conſtituet; quam putas Hierarchiam, conjunctionemque Chriſtianorum reliquam fore; vel quam inde converſionem rerum, quam confuſionem, quæ diſſidia, quæ ſchiſmata oritura non metuas? Quivis, mihi crede, qui aut ſit fortaſſe, aut habeatur ab aliis, aut videatur litteratus ſibi, cœtum ipſe ſibi conſtituet, totque proinde factiones, ſeu Pſeudo-Eccleſiæ inducentur, quot numerabuntur capita (1) non judicantium recte litteratorum, ſed delirantium. Jam eorum, quæ de primatus auctoritate commentus es, malorumque inde proficiſcentium Synopſin, ac veluti ſpeciem ſatis, opinor, accurate deſcriptam, atque adumbratam tenes; quæ, certe deinceps fiet ſententiis, verbiſque tuis expreſſior.

At Epiſcopus quiſque in ſua Diœceſi juriſdictione pollet. Quid hoc ad rem? An litterati illi viri tui, qui imperium ſe in animos aliorum obtinere putent, imperio ſe ſubdi patientur Epiſcoporum? Epiſcopi ecce in Germania multi, damnato (2) Fe-

(1) Idipſum Catholici objiciunt Proteſtantibus; idque a Proteſtantibus ipſis, ut faterentur, extorſit veritas. Confer Boſſuetium „ Expoſition. de la Doctrine de l' Egliſe Catholique „ Num. XX. pag. 109. ſeq. T. I. opp. Edit. Argent. ſeu Venetæ an. 1736.

(2) Hoc non negant Febroniani. Nam ſcriptum ab iis eſſe ſe

Febroniano opere, caverunt, ne ejus lectione plebs ipſorum Catholica quidquam detrimenti caperet. Quid? Ullus ne fuit tuorum, qui etſi in eorum alicujus Diœceſi ageret, deterreretur ab ſententia, Paſtorique ſuo obtemperandum arbitraretur? Mirarer, ſi qui Antiſtiti Romano, eidemque Centro catholicæ unitatis, cui continendorum in officio, inque concordi doctrina populorum auctoritas inſit; totque Epiſcopis, quibus ſit cum eo fidei, ſacrorumque ſocietas, non obtemperent; obtemperarent Epiſcopo *Ordinario*, quem dicimus, & peculiari ſuo. Sed quid multis te moror? Dicam brevibus. Scilicet ut auctoritas Primatis Eccleſiæ, ſic juriſdictio Epiſcoporum verbo ponitur a vobis, re tollitur. Quare ſic agitis. Probatis, ſi quod ab illis præcipitur, vobis placeat; ſin autem minus placeat, reprobatis; eos-

---

ſe in hanc ſententiam video. „ Plurimi Germaniæ Epiſcopi „ Pontificio petito detulerunt, librumque ſæpe dictum (Fe- „ bronii) prohibuerunt; ſuam tamen prohibitionem alii ma- „ gis, alii minus fervide urſerunt. Sunt etiam eorum mul- „ ti, qui contentum libri in ſuis examinari Diœceſibus ne „ juſſerunt quidem; ſed Romanæ cenſuræ ſimpliciter inhæ- „ ſerunt „. Ita quidem Febronianus Scriptor, vel, ut ſuſpicor, idem Febronius, extenuare ſeſe putat auctoritatem Decretorum Epiſcopalium, quaſi extorta artibus Curiæ Romanæ fuerint. Qua ex re conſequutum ſe arbitratur, ut ne ſui Decretis iiſdem pareant. Huc item ſpectant, quæ Bibliopolæ nomine a Febronio, vel a Febroniano quopiam vulgata ſunt in Veneta Editione an. 1766. Is etſi Epiſcopis plurimum tribuere videatur, tamen fructum genuinum Febroniano opere afferri maximum, dicit, poſſe, cum ingens ſit in Germania, in Belgio &c. numerus Febronianorum.

eoſque arguitis, ac ſi pſeudo-politicos imitati, quod ſua interſit, non, quæ ſint Jeſu Chriſti, curent; condemnatiſque violatæ inſtitutionis Divinæ crimine. Jta re judices voſmet conſtituitis eorum, quos verbo juriſdictione præſtare ſcribitis. Quod ſi quid illi adverſus vos, libroſque veſtros ſtatuendum ducant, ut animadverſionem vitetis, confugitis ad laicorum præſidium, (1) quibus non eſt a Chriſto data poteſtas paſcendi gregis; hos item laicos mox accuſaturi, reoſque læſæ Reipublicæ acturi, ni defenſionem veſtri, patrociniumque ſuſceperint: Qua de re agam paulo poſt diligentius.

Quid? Si juriſdictione Epiſcoporum, re quoque, non ſolum verbo, conceſſa; pateret nihilominus tuis, te duce, illius ſubterfugiendæ via? Nam quod de Romano (qui præter Epiſcopatum, Archiepiſcopatum, Patriarchatum, Primatum Etiam obtinet) ſoletis dicere; hoc idem multo magis de quocumque ſingulari Antiſtite diceretis: nempe, non unius eſſe Epiſcopi de doctrina, deque communi diſciplina ſtatuere; ſed adhiberi præterea oportere Eccleſiæ univerſæ judicium. Quo cum ventum ſit, quæro ex te Febroni, cujus tu Eccleſiæ judicium requiras, ſparſæ ne per uni-

(1) Hoc pacto Febronius perinde, ac ſi ſuum opus Miniſtris Principum probarit, ad eos provocat interdum, ſuumque librum, librum eſſe Miniſtrorum dicit, ut ſupra vidimus.

univerſum terrarum orbem, an congregatæ in Synodum? Non arbitror, te, *ſparſæ*, dicturum. Quo enim modo *ſparſæ*, dices, cum (contra atque Scriptura, omnis Antiquitas, Eccleſiæque ipſius univerſæ commune dogma non poſtulet ſolum, ſed etiam flagitet) cum, inquam, Eccleſiam ſparſam *poteſtate univerſaliter definiendi* (*niſi in quodam materiali, & potentiali*) carere ſtatuas: cum neges ipſam *poſſe ullum exercere juriſdictionis actum, aut definire aliquid ſententialiter*: cumque *infallibilitatem in definiendo eidem, ut congregatæ* ſolum *competere* (1) cenſeas; ſatiſque ſic indices, eam, quamdiu *ſparſa* ſit, falli decidendo poſſe? Sed hac item de re loco ſuo differam copioſe, quum ſententias tuas, verbis quibus abs te ſunt expreſſæ, deſcripſero. Interea cum Eccleſia per terrarum orbem univerſum diſperſa *omni juriſdictionis actu &c.* te judice, careat; quid reſtet, niſi ut ad congregatam te conferas, ne eam, quam forte metuas ab Epiſcopo, damnationem, feras operæ, ac doctrinæ tuæ? Verum ſi ſtandum opinione tua eſt, ne Congregatæ quidem prorſus *infallibilis* erit auctoritas tribuenda. Ideo namque *juriſdictionis actum ullum, definitivum judicium, ſeu infallibiliter*

(2) Febron. T. I. Cap. VI. §. VIII. pag. 333.

liter deciſivum Eccleſiæ ſparſæ negandum arbitrare ; quod non *ſatis conſtet de promiſſo Chriſti* ; (1) quippe cum *Eccleſiæ , ideſt corpori , non ſingulis , utcumque multis , factum intelligatur* ; & quod *docentium Communitas in Solis Epiſcopis non reſideat* ; neque ſoli Epiſcopi Eccleſiam repraeſentent ; quum Patres, per quos perlata ad nos uſque Traditio eſt , non omnes Epiſcopi fuerint ; neque omnes ii , qui in Eccleſia docent , Epiſcopatus gradum occupent ; Jam vero ſi quod promiſſum eſt corpori , non conſtat , an ad Eccleſiam ſparſam pertineat , etſi hanc corpus eſſe quoddam & Pau-

---

(1) Febron. Cap. VI. §. VIII. pag. 333. Tom. I. „ Quod „ ad jus , inquit , ſeu univerſaliter definiendi poteſtatem per- „ tinet , RECTE , meo quidem judicio , ſtatuit Gerſon de „ Poteſt. Eccl. Conſideratione IV. Opp. T. II. col. 231. Edit. „ Antuerp. ſcilicet = Eccleſia ſparſim conſiderata non habet „ illam poteſtatem niſi in quodam materiali , & potentiali ; „ ſed congregatio ſua , & unitio , quæ fit in Concilio Ge- „ nerali , dat quaſi formam , ſicut in aliis communitatibus „ exemplum dari poteſt =. Quocum conjungendum illud Al- „ maini in Tractatu de auctoritate Eccleſiæ edito eodem „ Tom. II. Gerſoniano Cap. X. col. 1004. = Eccleſia ut diſ- „ perſa NULLUM ACTUM JURISDICTIONIS EXERCERE „ POTEST , nec ALIQUID SENTENTIALITER DEFINI- „ RE , & SIC INFALLIBILITAS IN DEFINIENDO EI „ COMPETERE DEBET UT CONGREGATÆ IN CON- „ CILIO = . Confer ſupra C. I. §. VI. Eſt haud dubie ex- „ tra-Conciliaris illa Summi Pontificis, ac aliorum, & quidem „ plerorumque Epiſcoporum conſenſio circa fidei quæſtio- „ nem , aut difficultatem recens motam magni ponderis ; eſt „ præjudicium admodum urgens pro ſanctitate doctrinæ , in „ qua illi conveniunt ; at per ſe numquam erit JUDICIUM „ DEFINITIVUM univerſalis Eccleſiæ , SEU INFALLIBI- „ LITER DECISIVUM . Nimirum non ſatis conſtat de pro- „ miſſo Chriſti , quippe , quod ECCLESIÆ , id eſt CORPO- „ RI , non ſingulis , utcumque multis, factum intelligitur „ . Vide etiam pag. 334. n. 1.

& Paulus,(1) & Patres (2) affirmant;quo tandem modo conſtabit, id promiſſum ad Oecumenicam Synodum (propterea quod *corpus* ſit) pertinere? Rurſum, ad Synodum Oecumenicam non *corpus* omnium, non pars maxima convenit plebium (quæ nullæ certe conveniunt) ſed ne Epiſcoporum quidem. Quotus autem quiſque eſt, qui Epiſcopis omnibus, quamquam diſperſis per terrarum orbem univerſum, in unam tamen ſententiam conſpirantibus, eum *jurisdictionis actum*, eamque *infallibilitatem decidendi* neget, quam *infallibilitatem* &c. multis tribuat congregatis, qui *definiant, decidantque*, non ante audita abſentium plurimorum ſententia? Poſtremo quinam, rogo, niſi Epiſcopi ſolum in Synodum, definiendi cauſſa, coeunt? Age autem, ſi quia Patres omnes Epiſcopi non fuerunt, neque Epiſcopatum obtinent omnes, qui in Eccleſia doceant, idcirco *communitas* in ſolis Epiſcopis ſparſis non reſidet, iidemque Eccleſiam non *repræſentant*; quo demum modo ea reſi-

(1) Epiſt. ad Rom. C. XII. v. 4. ſeq. I. ad Corinth. c. x. v. 17. & c. xII. v. 12. ſeqq. Ad Epheſ. c. I. v. 22. ſeq. & Cap. Iv. v. 15. 16. & cap. v. 29. 30. & Epiſt. ad Coloſſ. Cap. I. v. 18. & 24. &c.

(2) Tertullian. Apologetici Cap. xxxIx. & de Præſcriptionib. Cap. xxII., & lib. de Virginib. Veland. cap. 1I. S. Hilarius lib. vIII. de Trinit. n. xxxII. pag. 966. &c. Edit. Pariſ. an. 1693. Mitto ceteros, quod in re ſatis nota non opus ſit, ut ſim longior.

reſidebit in ſolis Epiſcopis congregatis &c? Quid? Patres ne, docenteſque, dices, non omnes Epiſcopos fuiſſe, dum de Epiſcopis, qui diſperſi ſint, agitur; omnes contra Patres, & docentes evectos eſſe repente in Epiſcopatum, dum agitur de Epiſcopis congregatis? Non equidem arbitror, te dicturum. Manet ergo, ut ſi communitas non reſideat in ſparſis Epiſcopis, neve ab iiſdem repræſentetur; non item reſideat in Concilio, neve repræſentetur a congregatis Epiſcopis. Carebit igitur (vi ſententiæ tuæ) Synodus etiam Oecumenica *juriſdictionis actu* (1) omni; auctoritateque, promiſſo Chriſti nixa, definiendi privabitur. Ac ſi gaudere Synodum juriſdictione, auctoritateque illa, opinio tua ferret; quo tu nexu, quaque doctrinæ conſtantia, homo privatus illius te judicem, Proteſtantium more, præberes; eique ſi non de diſciplina ſolum, ſed de jure etiam divino, deque dogmate decrerit, quod illuſtribus monumentis ſtabile tibi videatur, auſcultandum; ſin ſecus repugnandum arbitrarere? Meminiſti, credo, uti ſtomachans comtemtim de cura celebrandi Paſchatis Dominico die, qui conſequatur XIV. Lun. poſt æquinoctium vernum

(1) Ac Tom. quidem II. pag. 419. Synodo etiam Oecumenicæ juriſdictionem adimit, cum ejus Decreta examini non omnium jam Epiſcoporum, ſed unius Regni, ac modificationi ſubjiciat.

num ſcripſeris. At humanum id inſtitutum, atque ad meram diſciplinam ſpectans eſſe dicis, ſat ſcio. Sit ſane. Verum id inſtitutum traditione ſtat Apoſtolica, vigetque apud Eccleſiam univerſam conſtanti commendatione Patrum, præſcriptoque Nicæni primi Concilii. Et violatæ nihilominus diſciplinæ canonum Spiritu Dei ab Synodis veteribus Oecumenicis conditorum, Summos Eccleſiæ Præſules arguis (quam juſte poſt demonſtravero); cum tute tam vetus Decretum, tam celebre, tam univerſe ſervatum, tanto ſtudio, cura, ſollicitudine a Sacroſancta Nicæna prima Oecumenica Synodo conditum (1) averſere; atque ita te geras, uti plus tibi, quam Præſidibus quibuſque cœtuum orthodoxorum, quam Patribus, quam latiſſime patenti Eccleſiæ Catholicæ univerſæ, quam Epiſcopis, qui in Synodum Nicænam convenerant, quam Apoſtolis tribuas; qua-

(1) Nam in ſuis „ Principiis Juris Publici Eccleſiaſtici Catholicorum ad Statum Germaniæ accommodatis. Cap. 1. de „ Sacra Scriptura n. XIV. Edit. Ulmenſis an. 1767. „ Febronius poſteaquam ſcripſit: „ Speciali Conſtitutione manſit Paſchale „ tempus luna plena poſt æquinoctium vernale die dominico „ celebrandum, de quo primis ſeculis graves pugnæ inter „ Eccleſias Orientis, & Occidentis fuerunt „ (ſed hac de re poſt accuratius differam) „ ſopitæ in Concilio 1. Nicæno &c. „ tum inquit „ quærat nonnemo, cur in re, quæ inſtituti mere „ humani eſt, tantopere colluctentur Chriſtiani? Quid luna plena æquinoctialis ad rem facit? Quin Paſcha inſtar „ Nativitatis Dominicæ celebremus fixo die menſis Martii? Ad „ quid tanta varietas in calculo, temporis Eccleſiaſtici, ut mox „ citius, mox ſerius Paſcha, & Pentecoſte habeatur „?

quaſi datum divinitus tibi ſit, ut qui canones conditi Spiritu Dei fuerint; qui contra, unus omnium perſpicias, poſſiſque decidere. Id quam dignum te ſit, tute dijudica. Sed detur, quod vis tibi de diſciplina. Quid? Annon Synodum Tridentinam deſerendam alicubi, doces, capitum quorumdam doctrinæ cauſſa (1)? De Concilio autem Hieroſolymitano Apoſtolorum quid loquar, de quo ſic agis (2), ut verendum ſit, ne qui illud putent vocari abs te in erroris ſuſpicionem? Quod ſi ita eſſet, qua demum, te judice, auctoritate falli neſcia decidendi, definiendique Synodi gauderent, cum tu ne Apoſtolicæ quidem, quæ norma ceterarum fuit, parcendum arbitrarere? Sed fac perfeceris, Epiſcopos in Synod. Oecumenicam congregatos ea poteſtate præſtare, qua diſperſi vacent; at eo tamen, opera tua, adducta res eſt, uti jam facilem cuique viam quibuſvis Synodis impune reſiſtendi paraſſe videa-

(1) Vidimus ſupra hujus voluminis pag. 25. ſeq. quid hac de re Febronius ſentiat. Quod ſi ſecum pugnans de diſciplina ſe agere alicubi docet, non de doctrina; hæc eum excuſare non poteſt luctatio, ut poſt demonſtrabitur.

(2) Apoſtolicæ Synodi Decretum (ut eſt in Actis Apoſtolor. Cap. XV.) hoc fuit: „ Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, „ nihil amplius imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, „ ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, a ſanguine, „ & ſuffocato &c „. Cur NECESSARIA? Id explicaturus Febronius „ in Principiis juris Publici Eccleſiaſtici Cap. I. n. VII. „ pag. 4. „. quærit, pro lege ne DIVINA hoc propoſuerint Apoſtoli, an pro HUMANA? Si pro DIVINA, nulla IN CONTRARIUM valeret conſuetudo. Valere autem, innuit Febronius, conſuetudinem occidentalium INCONTRARIUM. Non ergo pro divina. Itaque pro HUMANA. At id ille negat ESSE CREDIBILE. Pro qua igitur? „ Veriſimile, inquit, eſt fuiſſe „ re-

deare. Principio eas tu requiris liberas (1) Recte ſane. Nam liberas item eſſe oportere tradiderunt Patres. Sed ipſas tu liberas fore negas, quibus Pontifex per ſeſe, aut per Legatos adſit ita, ut pro cauſſis, quæ ad Se quoquo modo pertineant, finiendis agat, quemadmodum ipſe judicet [2]. Qua de re tibi cum Melanthone Luthe-

„ retentum præceptum illud, quia Noachicum, & Univerſale „. Sed hoc Noachicum, ut pote ceremoniale, tam erat TYPICUM, ſeu FIGURATIVUM, quam erant Moſaica. TYPICA autem, illato Evangelio, tollenda erant. Verumtamen, addit Febronius: „ concurriſſe forsitan perſuasionem, Sanguinis comeſtionem re- „ pugnare juri naturæ „. Quorumnam erat ea FORSITAN PERSVASIO? Apoſtolorumne. Tacet Febronius ita, ut conſentire nonnemini videri poſsit. Jam si Apoſtolorum ea perſuasio fuit, illa, quæ Decreto continentur, falſo exiſtimata fuerint, oportet, NECESSARIA ab Apoſtolis, ipſoque Spiritu Sancto; cum falſa eſſet perſuasio, ob quam NECESSARIA exiſtimata eſſent. Exiſtimaſſe vero forsitan falſum definientes Apoſtolos, ipſumque Spiritum Sanctum; ejuſque falſæ exiſtimationis cauſſa neceſſarium quidquam putaſſe, dicere, blaſphemum eſt. Sin autem ea perſuasio multorum e plebe fuit, cur ſublata non eſt ab Apoſtolis veræ doctrinæ prædicatione? Immo cur potius eſt confirmata Decreto, quo NECESSARIA dicerentur ea, quæ ferret falſa perſuasio? Legaliane Apoſtoli ſuſtuliſſent, nihil impediente falſa multorum de iis retinendis perſuasione; non ſuſtuliſſent autem, immo foviſſent perſuasionem falſam, qua repugnare juri naturæ ducerentur, quæ juri naturæ revera non repugnarent? An conſultum quiſquam his Febronianis Reſponsis cenſeat auctoritati Synodi Apoſtolicæ? Quis credat? Cur non ille Natalis Alexandri Hiſt. Eccl. Sec. I. Diſſert. X. aliorumque ſequutus ſententiam eſt, qui latum illud Decretum affirmant, quod ita ratio, temporumque neceſsitas poſceret, vitandi pusillorum ſcandali cauſſa?

(1) Cap. VI. §. XI. n. 4. Tom. I. pag. 368.

(2) Ibid. quo loco „ sicut, inquit, AB OMNI ALIA „ SYNODO, ita maxime ab illa, ad quam a SUMMI „ PONTIFICIS DECRETO APPELLATVM eſt, exulare „ debent vis, metus, & quidquid aliud plenæ libertati poſſet officere; ex QVO NEMO LIBENTER SE „ SVBMITTAT DECISIONI, QVAM PRVDENTER EXI- „ STIMAT ESSE EJVSDEM JVDICIS OPVS, A QVO PRO- „ VOCAVIT. Neque sic præjudicabitur Papæ præsidio, ad „ quod pertinet curare, ut ſervetur ordo, impediantur fa- „ ctiones; non vero præſcribere, & dictare ea, quæ colle- „ giali judicio decidenda ſunt, aut dominari, sive apertis mo- „ dis,

Lutherano convenit aliquantum ; cum Patribus (1) nullo modo. Atque iſta quidem tua Regula conſtituta, nulla erit refractariis, novatoribuſque Synodus libera. Nulla enim certa Oecumenica Synodus aut fuit, aut (quod confidimus) erit umquam, cui non præiverit, præiturusve ſit judicio, ſententiaque ſua Romanus Pontifex non in re doctrinæ modo, ſed etiam diſciplinæ.

 Cum

„ dis, ſive obliquis viis, aut ſecretis motibus „. Et Cap. VI. §. V. pag. 305. „ Sequitur, quod, cum aliunde CERTUM SIT, OMNE CONCILIUM A DOMINATIONE PAPÆ LIBERUM ESSE DEBERE, SYNODALIA DECRETA ABSQUE ILLIUS APPROBATIONE TUM MAXIME VIGOREM OBTINEANT, quando DE IPSIUSMET PONTIFICIS PERSONA, & PRÆTENSIONIBUS AGITUR, aut ſane hoc caſu conſenſus, & acceptatio ei non magis libera eſſe debet, quam cuique fideli „. Hanc tu conſtituito regulam, tumque, ſi potis es, effice, quin poſtulatis ſit quorumvis Hæreticorum faciendum ſatis. Nam hi aut excludi ab judicio Synodi Oecumenicæ Pontificem petent (nullus enim fuit umquam hæreticus, qui non animo fuerit in Romanam Eccleſiam exulcerato, eamque in ſe male animatam dixerit) aut Synodum, quæ ſibi non placeat, negabunt fuiſſe liberam. Tu ipſe, quod minus contentus ſis Tridentina, liberam ipſam in re diſciplinæ non fuiſſe, adeoque emendandam pugnas. Tom. I. Cap. I. §. VIII. n. XI. pag. 44., & Cap. VI. §. XII. pag. 373. 374., & Cap. VIII. §. IV. n. V. pag. 535. ſeq. Vide etiam pag. 25. hujus voluminis. Quid? Si in re doctrinæ liberum fuiſſe idem Concilium inficiere; ac præterea Legatorum Hæreticorum Electoris Saxoniæ poſtulata, rationemque non reprehendens afferas, qui dicerent „ in Romano Pontifice multa corrigenda; „ PROINDE EUM JUDICEM ESSE NON POSSE? Tom. II. pag. 529. Longum eſt omnia perſequi. Itaque modum faciam.

(1) Longe, diſcrepans fuit Patrum de libertate Synodorum notio. Confer, quæ ſcribit, & quæ probans refert S. Athanaſius Hiſtor. Arianor ad Monachos n. XXXIII. ſeqq. pag. 363. ſeqq. Tom. I. Oper. P. I. Edit. Pariſ. an. 1698. quæque n. 36. p. 365 deſcribit, e Dialogo Liberii Papæ, qui maxime Patribus acceptus fuit. Sed de Majorum hac de re doctrina agam alio loco fuſius. Non enim eſt otium his modo de rebus diſſerere, cum alio properem. De Melanthone ſic ſcribit Boſſuetius in V. Variationum libro n. XXVI. „ D' un côté il ſentoit le bien, que fait „ a l'

Cum ergo judicio, ſententiave præiverit; ſi præſideat per Se, aut per Legatos Synodo; remque ſic per Se, per Legatos, vel per Epiſcopos adhærentes ſibi definiri, conſtituique oportere contendat, ut ab Se ante judicata fuerat; ii, qui contra pugnent, artibus Synodum ipſam, vi, metu compulſam, non liberam; ideoque ne audiendam quidem, tua iſta regula confiſi, ſtatuent. Quo pacto veteres etiam Synodos,

---

,, à l' Egliſe une autorité reconnuë,, (hoc eſt Papæ) ,, : il voit
,, meme qu'il y falloit parmi tant de diſſenſious qu'on y voioit
,, naitre, une autorite principale pour y mantenir l' unite, &
,, il ne pouvoit reconnoitre cette autorité que dans le Pape.
,, (Qua in re multo te certe fuit, ut vides, æquior) ,, .
,, D' autre coté, il ne vouloir pas qu' il fut JUGE dans le
,, proces que LUI FAISOIENT LES Lutheriens. Ainſi il
,, lui accorde l' autorité de convoquer l' Aſsemblée, & apres
,, IL VEUT, qui IL en SOIT EXCLUS. Bizarre opinion,
,, je le confeſſe ... S' il (Mélancton) propoſe des choſes contradictoires, c' eſt que l' etat de la Nouvelle Réforme ne
,, permettoit rien de droit, ni de ſuivi. IL AVOIT RAISON DE DIRE qu'il APPARTENOIT AU PAPE DE CONVOQUER le Concile : car QUEL AUTRE LE CONVOQUEROIT, SUR TOUT dans L' ETAT PRESENT
,, DE LA CHRETIENTE ? Y AVOIT-il UNE AUTRE PUISSANCE que CELLE DU PAPE QUE TOUT LE MONDE
,, reconnût ? Et la lui VOULOIR ôter D' ABORD AVANT
,, L' ASSEMBLEE, où l' on vouloit, diſoit-on, lui faire
,, ſon proces, N' ETOIT ce-PAS UN TROP INIQUE PREJUGE, SUR TOUT ne S' AGISSANT PAS D' UN CRIME PERSONNEL du PAPE; mais DE LA doctrine
,, QU' IL avoit RECVE DE SES PREDECESSEURS DEPUIS TANT DE SIECLES, & qui lui etoit commune
,, avec tous le Eveques de l' Egliſe ,, ? Lege, quæ ſequuntur, planeque intelliges, Proteſtantes ceteros, qui Melanthoni non aſſentiebantur ,, non prætermiſiſſe defendere, ac
,, jure quidem, Papam, ſi ei poteſtas convocandæ, formandæve Sy-
,, nodi permitteretur, excludi inde amplius non poſſe ,, . At de his tamen alio loco diligentius. Interea rogo Febronium, ut ſecum cogitet, diſcrepent ne hæc, quæ in Lutheranis reprobat Boſſuetius ab ea, quam Febronius idem comprehendit, de Synodo, deque Papa, doctrina; an vero ſit Febronii ſententia Apoſtolicæ Sedi, hoc eſt Pontifici Romano iniquior.

nodos, Epheſinam in primis, Chalcedonenſem, Conſtantinopolitanam III. Nicænam II. Conſtantinopolitanam IV. Neſtoriani, Eutychiani, Monotheletæ, Iconoclaſtæ, Photiani fuiſſe liberas negabunt, obſequuti tibi, qui perinde alicubi negaſti, liberam fuiſſe Tridentinam (1). Nam judices in eis ſediſſe Legatos Apoſtolicæ Sedis, atque hos quidem, (2) quæ a Pontificibus Cæleſtino, Leone, Martino, Agathone &c. conſtituta ante ſummo ſtudio fuerant, probari omni ope, totiſque viribus curaſſe; idque adjumentis uſos Epiſcoporum Sedi Apoſtolicæ adhærentium impetraſſe, ex Actis ipſarum Synodorum perſpici dicent; adeoque, vim inlatam defendent ac, te duce, concludent, vi coactæ Synodo fidem, & auctoritatem adjungi non oportere.

(1) Vide ſupra pag. 131. Adnotationem noſtram.

(2) Quid S. Cæleſtinus contra Neſtorium ante Synodum Epheſinam egerit: quemadmodum Legatos ſuos ad eam proficiſcentes diligenter, quid facto in ea opus eſſet, docuerit, monueritque, ut ſtrenue dictata tuerentur ſua, neque ſibi a quoquam præſcribi paterentur: quas ad Synodum eamdem litteras dederit: utque ei ſignificarit, mitti ab Se Legatos, qui, quæ ipſe conſtituerat, exſequerentur: ut Legati in Synodo Judices ſederint, primaſque tenuerint, quæque ipſis fuerant imperata, perfecerint: utque Synodus ipſa, JUDICASSE ITEM ſe valida, ac firma eſſe, quæ Cæleſtinus idem definierat; ex Actis Synodi ejuſdem Ephæſinæ, atque ex Sermone illius Pontificis habito in Concilio Rom. Tom. I. Epiſtolar. Romanor. Pontific. Edit. Pariſ. Couſtantii an. 1721. pag. 1098. ex Epiſt. ejuſd. XI. ſeqq. Ibid. pag. 1101. ſeqq. Ex Commonitorio Legatis dato ibid. pag. 1132. ex Epiſt. XVII. ad Synodum ibid. pag. 1155. ſeqq. exque litteris Synodi ad Cæleſtinum ibid. pag. 1163. &c. intelligi plane poteſt. Non ſecus proinde, atque Febronius de Tridentina, conqueri novi Neſtoriani de Epheſina, Febronio ipſo præ

re. Qua ex re illud eſt etiam Proteſtantium erratum (1) conſequens, ut, quoniam Pontifex, Legati, Epiſcopi Pontifici adhærentes pro doctrina, quam tuentur, in Synodo agent; ii ſint cogendi, ne agant, neve pergant agere; aut ſint e Synodo ipſa (quo hæc habeatur libera) repellendi. Itaque omnis dijudicandarum controverſiarum auctoritas illis, qui adverſis partibus ſtudeant, permittenda erit. Id autem ſi concedatur, quis non intelligat, nullum diſſidiorum finem (contra atque te cupere di-

præmonſtrante viam, quaſi non libera fuerit; ejuſque proinde Decreta emendari oportere, dicere poſſent. Quid? etiam de Chalcedonenſi Eutychiani, cum ex Epiſtolis S. Leonis, exque Actis Synodi, de quibus alio loco opportunius copioſe diſſeram, conſtet, quid ille operæ in ea celebranda &c. locarit? Quid? ſi Monotheletæ de Conſtantinopolitana III. quæ ſexta eſt Oecumenica? Quid alii de ceteris, quæ poſt congregatæ fuere, dicent? Qua item de re alibi, fuſius. Ac ſi Febronianum opus Neſtoriani, Eutychiani, Monotheletæ &c. legere potuiſſent, atque animadvertere, quæ ille contra SS. Pontifices Cæleſtinum, Leonem &c. ceu contra uſurpatores alieni juris, ceu contra elatos ſuperbiæ typho, ceu contra magnorum moliminum auctores, ſuo eſt opere complexus; ſumſiſſent inde exempla ſibi, acriuſque, quam fecerint, in eaſdem Synodos, ut in non liberas, tyrannicas &c. invecti fuiſſent.

(1) Boſſuetius in V. Lib. Variat. Eccleſiarum Proteſtanticarum num. xxv. pag. 206. Tom. II. Opp. „ A la demande du Concile „ les Proteſtans ajoûtérent qu' ils le demandoient LIBRE, „ PIEUX, & CHRETIEN. La demande eſt juſte, Melancton „ y entre. Mais DE SI BELLES PAROLES CACHOIENT „ UN GRAND ARTIFICE. Sous le nom de CONCILE LI„ BRE on expliqua un CONCILE D' OU LE PAPE fût EX„ CLU AVEC TOUS CEUX, QUI FAISOIENT PROFES„ SION DE LUI ETRE SOUMIS. C' étoient LES INTERES„ SEZ, diſoit on: Le PAPE étoit LE COUPABLE, les EUE„ QUES ETOIENT ſes ESCLAVES. ILS NE POUVOI„ ENT PAS être JUGES. Qui donc tiendroit le Concile? Les „ Lütheriens? De ſimples particuliers, ou de Pretres ſoulevez „ contre leurs Eveques? ... Quoi donc? Pour avoir des juges „ in-

dicas) futurum (1)? Age vero ſanus ne quiſquam, prudenſque catholicus liberam eam Synodum credat, non permotam metu, non vi debilitatam, non coactam, in qua maximo numero Antiſtites, Legati Apoſtolicæ Sedis, Caput *viſibile* Eccleſiarum ab agenda diligenter doctrinæ, diſciplinæque cauſſa deterreantur; vel e qua iidem repellantur, ut illis tantum tractandi, agendi, judicandi, definiendi libertas detur, qui tecum ſentiant? Verumtamen fac non credat vi coactam, ut tamen credendum omnino eſt; at dubitabit ſaltem. Undenam autem diſcet liberam, atque adeo œcumenicam? Ab Eccleſia, inquis, diſcet. Qua? *Sparſane*, an congregata in Synodum? Non certe a congregata, quam item infallibilem dicis *conditionate*. Nam ſi, uti pernoſcas oecumenica prior Synodus, nec ne ſit, opus erit altera; opus item erit tertia, a qua intelligas, œcumenicæ ne prior, atque ſecunda fuerint. Nam ſi oecumenica non fuit ſecunda, ejus certe auctoritate declara-

„ indifférens falloit-il appeller les Mahométans, les infidèles, „ ou que Dieu envoiat des Anges? Et n'y avoit-il qu'à accuſer tous les Magiſtrats de l'Egliſe pour leur ôter leur pouvoir, & rendre le jugement impoſsible? „

(1) Boſſuetius ibid. n. XXVII. pag. 209. „ Si on perſiſtoit à „ refuſer le Concile que le Pape avoit convoqué, Melancton „ n'eſperoit plus de remede au ſchiſme, & ce fut à cette oc„ caſion qu'il dit les paroles que nous avons rapportées, que „ LA DISCORDE SEROIT ETERNELLE, faute d'avoir re„ connu l'autorité de l'ordre ſacré &c. „

clarari œcumenica non poſſet prima; quod idem de tertia ſtatuendum eſt. Quare opus erit etiam quarta, quinta, atque ita porro; adeo ut Synodorum œcumenicarum inferri debeat infinitas; atque hæc quidem exitu tam malo, ut ulla ne revera œcumenica fuerit, perſpici nullo modo poſſit. Itaque a *ſparſa*, dices (1). Sed qua demum ratione; cum hanc ſpolia-

(1) Febronius Tom. I. Cap. VI. §. XVI. pag. 431. ubi Eccleſiæ CONGRECATÆ plurimum tribuit; tum addit: DISPARATA ENIM IN EXRCITIO NIHIL VALET. & §. VIII. n. XII. p. 343. „ Qualiter, inquit, Eccleſia in Oecumenica Synodo articulos „ fidei proponat credendos, omnes norunt. Qua id ratione fiat „ per univerſalem Eccleſiæ obſervantiam, vidimus ſupra num. „ 5. Scilicet ibi (nempe in Conciliis) definiendo, hic nempe „ in UNIVERSALI OBSERVANTIA) tradendo. In hoc tamen majus eſt privilegium univerſalis obſervantiæ in rebus „ fidei, quod hæc ſit ABSOLUTE infallibilis „ (Non in definiendo, ut ante dixerat, ſed in tradendo; nam infallibilitatem in definiendo ei eſſe datam, non conſtare promiſſo Chriſti, defendit) „ CONCILIUM GENERALE CONDITIONATE: ſi nempe „ Patres legitime convocati in eo ita ſe geſſerint, ut dici debeant repræſentaſſe totam Eccleſiam; QUOD AN ITA „ DE FACTO SIT, declarat AGNITIO SEU RECEPTIO ECCLESIÆ „. Et num. XIX. pag. 350. „ Hoc unum volumus: „ cum nobis multo appareat veriſimilius, A SOLIS EPISCOPIS EXTRA CONCILIUM totam ECCLESIAM nec conſtitui, NEC REPRÆSENTARI, non debere eadem JUDICIA „ UNIVERSALIA (Conciliorum) ANTE REVERA FINITA „ CENSERI, quam QUANDO DE SENTENTIA, SEU ACCEPTATIONE CORPORIS ECCLESIÆ SATIS CONSTAT; ad quod determinandum, noſcendumque, iiſdem „ fere regulis, & principiis utendum eſt, quæ ex adverſariorum noſtrorum ſententia, apud bonos valent ad ſtatuendum de „ unanimitate, & conformitate Corporis Epiſcoporum „. Confer quæ idem perſequitur Cap. VI. §. VII. n. IV. pag. 326. Principio, mi Febroni, quid iſtud eſt: „ iiſdem fere regulis? „ Si „ IISDEM, „ ſcripſiſſes, intelligerem. Verum iſtud FERE conturbat, quin de iiſdem omnino intelligam. Nonnihil enim ſaltem aut addendum, aut adimendum, aut immutandum id FERE indicat. Quid autem addere, quid detrahere, quid immutare velis, non video. Age vero iſta ne tam involuta, tamque con-

liaris juriſdictionis actu omni, poteſtateque decidendi infallibili ex promiſſo Chriſti? Nullus ergo, te auctore erit juriſdictionis actus; poteſtas in Eccleſia de doctrina quidquam ſtatuendi certe nulla; cum ad haſce anguſtias Eccleſiam ipſam & *ſparſam*, & congregatam redegeris. Quid? Si etiam quodvis regimen ipſi eripueris ita, ut (Puſendorſium ſequutus) Collegium eam affirmaris eſſe (1); qua ſententia conſtituta, omnis demum poteſtas ejus, ac juriſdictio revolvetur in civilis Reipublicæ Principes? Atque hos quidem etſi carpis interdum (2); ſic tamen alicubi lenire

---

contorta ſcribendi ratio regula, te Judice, erit reſtituendæ, conſtabiliendæque pacis? Deinde quid adverſarii, quos memoras tui, in quibus eſt Boſſuetius, ſibi velint, cum de infallibili Eccleſia ſparſa differunt, novi. Non enim hi ſolum Eccleſiæ Sparſæ infallibilem docendi, tradendive, ſed etiam decidendi de doctrina attribuunt auctoritatem, ut veritas ſane poſtulat. Quare nihil mirum, ſi eam de legitime habita Synodo ſententiam ferre rite poſſe, credant. Tu autem quomodo idipſum de eadem Eccleſia ſparſa dices, cum ei infallibilitatem judicium ferendi detraxeris non de re facti modo, quæ conjuncta, cum dogmate ſit, cujuſmodi illud eſt, an legitime ſe Patres in Synodo geſſerint; ſed etiam de ipſo dogmate? Præterea ſi CONDITIONATE Concilium in re doctrinæ definienda eſt infallibilis auctoritatis; Eccleſia certe SPARSA NE CONDITIONATE QUIDEM, cum neges, conſtare ex promiſſo Chriſti, eſſe illi definiendi infallibilem auctoritatem datam. Quid? Quæ CONDITIONATE INFALLIBILIS erat definitio, ut ABSOLUTE INFALLIBILIS, fiat declaratione, ſententique illius egeat, cujus ne CONDITIONATE QUIDEM INFALLIBILIS ſit definiendi auctoritas? Nollem, mi Febroni, quiſquam Terentianum illud tibi objiceret: „ Feciſti probe: Incertior ſum, quam ante „. Sed elatus ſtudio, plura dixi, quam initio conſtitueram. Interea ſatis hæc ſunto. Quæ reſtant, rejicientur in opportuniorem locum.

(1) Vide Epiſtolam ſeq.

(2) Vide Febronium Tom. 1. Cap. IX. §. V. pag. 577. & ibid. n. 11. pag. 578.

nire ſtudes, conciliareque tibi, ut cum de graviſſimis Eccleſiæ rebus agitur, ad unam ipſorum auctoritatem confugias. Quare (Clero, itemque Synodo Oecumenica invitis) Conventum a Principibus iiſdem haberi ſignificas rite poſſe; in eoque decerni, quid judicato, declarato, factove ſit opus de *viſibili Eccleſiæ capite*, deque jure ſacrorum; quo ſane jure, ut ſæpe mones (1), quædam de doctrina non adhuc ſatis explicate definita contineantur. Nam id juris, ac poteſtatis Principibus aſſerturus (2), affers male inſtituti juvenis refertum ſcelere, & impietate locum (3). Eſt vero is locus hujuſmodi: „ Vidi, quod „ Re-

(1) Quæ doctrinæ capita jure Iſidoriano comprehendi Febronius putet oſtendam ſuo loco. Interea confer, quæ ejus Tom. 1. pag. 43. & 204. ſq. & pag. 533. n. 5. ſcribit de Tridentina Synodo in re etiam doctrinæ emendanda, quaſi nixa fuerit ipſo Iſidoriano jure.

(2) Videndus Febronius Tom. 1. c. IX. §. VI. pag. 580. ſq. T. 1.

(3) Hoc eſt Æneæ Sylvii Piccolominei tunc & juvenis, & imperiti Eccleſiaſticarum rerum, & in Eugenium IV. Pontificem cæco impetu abrepti, & pacem, quæ pax vera non eſſet, quavis ratione, indigna etiam homine Chriſtiano, quærentis, Lib. 1. Epiſtola LIV. ad Gaſparem Schlichium Cancellarium Imperialem pag. 539. Editionis Operum Baſileenſis an. 1571. At is poſtmodum, ubi deferbuit æſtus, doctior factus eſt, & pacato animo rem omnem conſideravit, quantumque a recta ſemita deflexiſſet, perſpexit, atque inde reſipuit. Pontifex demum creatus, quæ perverſe ſcripſerat revocavit, atque in hanc ſententiam in ſua ad Colonienſem univerſitatem Retractatione loquutus eſt ante §. 1. pag. 842. Tom. II. Hiſtor. Pragmaticæ Sanction. Et initio Operum Æneæ Sylvii Edit. Baſileen an. 1571. „ Declinavimus & nos ab utero Matris; erravimus in invio, & non in „ via; ambulavimus in tenebris, & procul a vera luce recesſimus. „ Nec

,, Reges ſcribunt ex copiis litterarum ,
,, nec deſpero, rem bene poſſe conduci , ſi
,, aggredi velimus negotium . Omnibus
,, enim , ut vides , diſplicet ſchiſma ,
,, omnes abhorrent . Viam autem ſopien-
,, di hoc malum Carolus Rex Franciæ ,
,, niſi fallor , & tutam , & brevem oſten-
,, dit , ut fiat conventus Principum , vel
,, eorum Oratorum in communi aliquo
,, loco , ibique una recipiatur concluſio
,, per omnes . Ad hoc autem peragen-
,, dum , opus eſſet rurſus ſcribere cunctis
,, Regibus , Principibuſque , ut Oratores
,, ſuos Argentinam , vel Conſtantiam mit-
,, terent pleno mandato ſuffultos ad pacem
,, Eccleſiæ pertractandam ... Hæc via
,, non

,, Nec nobis tantum erravimus: alios quoque in præcipitium traxi-
,, mus , & cæcis ducatum præbentes cæci , cum illis in
,, foveam recidimus . Forſitan & aliquos ex vobis ſcripta
,, noſtra deceperunt , & in devia deduxerunt ; quorum
,, ſanguinem , ſi de manibus noſtris requiſiverit Dominus ,
,, non habemus quod reſpondere poſsimus ; niſi nos , ut
,, homines , peccaviſſe &c. ,, Confer quæ ſequuntur . . &
§. IV. pag. 843. ,, Dicent aliqui , cum Pontificatu hanc
,, nobis opinionem adveniſſe , & cum dignitate mutatam
,, eſſe ſententiam . Haud ita eſt . Longe aliter actum ,,
Deſcribit inde cauſſas quamobrem reſipuerit , tumque ad-
dit §. VII. pag. 846. ,, Quibus conſideratis , caligo tandem
,, ab oculis noſtris cecidit , quæ velut aranearum tela verum
,, cernere impediebat . Recognovimus errorem noſtrum . Ve-
,, nimus Romam . Baſileenſe dogma rejecimus . Eugenio
,, Pontifici maximo caput ſubmiſimus , & reconciliati Ec-
,, cleſiæ Romanæ doctrinam ejus imbuimus , & illud Hie-
,, ronymi diximus : Ego nullum primum , niſi Chriſtum
,, ſequens , Beatitudini tuæ , id eſt Cathedræ Petri commu-
,, nione conſocior . Super illam fundatam Eccleſiam ſcio .
,, Eramuſque adhuc pene laici , quando ad Eugenii obedi-
,, entiam redivimus &c. ,,

„ non poſſet impediri. NEC PAPA, NEC CONCI-
„ LIUM RENITI POSSENT, TAMQUAM ABSQUE IPSIS
„ FIERI NEQUIRET . Licet enim Principibus ſecularibus convenire INVITO CLERO ;
„ ET TAMEN ILLIC FIERI POSSET. Nam ille PAPA
„ INDUBITATUS ESSET , CUI OMNES PRINCIPES
„ OBEDIRENT (1). NON VIDEO CLERICOS , QUOD
„ VELINT pro ISTA , vel ILLA PARTE MAR-
„ TYRIUM FERRE . (2) OMNES HANC FIDEM
„ HABEMUS , QUAM NOSTRI PRINCIPES ,
„ QUI SI COLERENT IDOLA , & NOS COLERE-
„ MUS , & NON SOLUM PAPAM , SED ETIAM
„ CHRISTUM NEGAREMUS , SECULARI POTESTA-
„ TE URGENTE ; QUIA REFRIGUIT CARITAS ,
„ & OMNIS FIDES INTERIIT „. Quæ autem eſt , mi Febroni , niſi ſumma hæc Principibus orthodoxis, catholicæque Eccleſiæ inlata injuria eſt ; cum Principes eoſdem ita animatos exhibeas , ac ſi ipſi ab ſe de centro legitimo Catholicæ unitatis ſtatui oporte-

re

---

(1) Quaſi vero indubitatus Papa fuerit Vigilius vivente Sylverio , propterea quod Juſtinianus Vigilio obediret , pulſo Sylverio in exilium ; aut Liberius ceſſarit eſſe , Pontifex exul, quod Felicem pſeudo-Pontificem agnoſceret Conſtantius Jmperator , qui ſolus tunc rempublicam Populi Romani univerſam moderabatur .

(2) Fuiſſent tunc etiam futuri Clerici , Laicique , qui pro Eugenio ſtandum crederent (nam is certiſsimus erat Pontifex), ac pro vero capite Eccleſiæ ad mortem uſque ſibi pugnandum judicarent , etiamſi Principes in conventu , quem proponebat Æneas Sylvius , Felicem Pontificem agnoſſent ugenium reſpuiſſent . Non deſerit Deus Eccleſiam ſuam , neque permittet umquam , ut non ſint , qui pro veritate certent . Cave Febroni ne, tu contra ſtatuens, „ ludibrium „ de Eccleſia facere videare „ ut ait S. Hilar. Lib. Cont. Conſtantium n. 25. p. 1256. Edit. Opp. Paris, an. 1698.

re putent , non modo non judicante Clero , Oecumenicave Synodo , ſeu Eccleſia (nam ab Oecumenica Synodo repræſentari Eccleſiam conſitere); ſed etiam repugnante ? Quid ? Decere ne Principem orthodoxum arbitrare , impudentes , fallaces, impia ſcribentes (1) pati aſſentatores , qui fidem , religionemque ſuam ita fidei Principis ipſius affixam dictitent, ut paratos ſe ad eam deſerendam teſtentur eſſe, ſi Princeps idem negari Chriſtum , inducique idololatriam velit ? Decori porro, juri , auctoritati Eccleſiæ conſultumne a pſeudopolitico illo defendes , qui miſſo Clero ; Synodoque Oecumenica , hoc eſt Eccleſia, comtemta, atque excluſa , omnem de *viſibili* Catholici Corporis Capite dirimendæ controverſiæ poteſtatem transferendam , uno ſuo arbitratu, *cenſeat* in Reges ?

(1) Quæ enim , oro , niſi hæc juvenis Æneæ deteſtanda aſſentatio eſt ? Sed is idem deinceps in Retractatione ſua
9. 1. pag. 842. ſq. Tomi indicati : ,, Pudet , inquit , error ;
,, poenitet male dictorum ; ſcriptorumque vehementer
,, poenitet . Plus ſcripto , quam facto nocuimus . Sed quid
,, agamus ? Scriptum , ſemel emiſſum volat irrevocabile
,, verbum . Non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta , quæ in
,, multas inciderunt manus , & vulgo leguntur . Vtinam
,, latuiſſent , quæ ſunt edita . Nam ſi futuro in ſeculo man-
,, ſerint , AUT IN MALIGNAS MENTES INCIDERINT,
,, AUT INCAUTAS , SCANDALUM fortaſſe PARIENT .
,, Qui HÆC SCRIPSIT , INQVIENT , IN BEATI TAN-
,, DEM PETRI CATHEDRA SEDIT . . JTA SCRIPSIT
,, ÆNEAS , QUI POSTEA SUMMUM PONTIFICATUM
,, ADEPTUS PIUS II. APPELLATUS EST . . Confitebi-
,, mur ingenue ingnorantias noſtras , ne per ea quæ ſcrip-
,, ſimus JUVENES , error irrepat &c ,, .

Digitized by Google

ges ? Atqui ejus tu Politici Auctoris , qui ſic ſtatuat , tam peſtilenti loco utere, (1) ut ne quid ſine vade ſcripſiſſe videare ; Quo magis animadvertendum etiam atque etiam tibi fuerat , eum Auctorem Principibus orthodoxis odioſum fore , quos libera poteſtate de re tam gravi decernendi eo augeat nomine , quo *fides omnis* perierit . Nec odii ſolum id quidem eſt ; ſed etiam erroris plenum. Nam errat turpiter is , qui *fidem omnem*, dicat, *interiiſſe* , quum certe e contra, *via*, *veritas*, & *vita* Chriſtus (2) fidem Eccleſiæ ſuæ, affirmarit (dum orbis hic noſter conſtiterit) perpetuam futuram. Verum nihil hæc obſtant, quin tu, eodem illo adducto ejus auctoris loco , ſic pergas ſcribere :
„ QUOD Principibus Eccleſiæ amantiſſimis
„ (quibus a Conciliis, & ab Eccleſia cuſto-
„ dia , et executio canonum , verorum
„ utique , non falſorum , demandata
„ eſt) , ET AENEAE SYLVIO VIRO (NON
„ OBSTANTE , QUOD IN SUA EPISTOLA QUI-
„ BUSDAM LIBERIORIBUS EXPRESSIONIBUS , ut
„ ERAT HOMO FERVIDI INGENII , USUS FUERIT)
„ TIARA PONTIFICIA DIGNO , APTUM VISUM
„ FUIT EXTINGUENDO SCHISMATI ; QUARE
„ non

(1) Vide Febronium Tom. I. pag. 580. Idem Tom. III. pag. 180. „ . Certum eſt , inquit , Febronium nihil ſine „ vade afferre ; ſed IDONEIS SPONSORIBUS MUNITUM „ INCEDERE „ .
(2) Matth. Cap. XXVII. v. 29. 20.

„ NON SIT IDONEUM extirpandæ malæ radi-
„ ci,quæ graviſſimo omnium ſchiſmati,hodie-
„ que perduranti ortum dedit, juri ſcilicet
„ Iſidoriano, cujus falſitas jam aperta eſt, &
„ reſtituendo anteriori vero „ (1) ? Sed quotum quemque eorum audiſti Regum, qui ab uno Principum ſeculi Conventu cognoſcendum, ſtatuendumque de legitimo *viſibili* Chriſtianæ reipublicæ Capite crederet, non modo non judicante, ſed etiam *invito Clero*; immo Concilio Oecumenico repræſentante (quod ultro concedis) univerſam Eccleſiam ? Æneæ Sylvii hoc fuit erratum, non Regum. Ac Reges profecto amantiſſimos ſe Eccleſiæ non fuiſſe futuros noverant, ſi id probaſſent, quo a judicio (de re, quæ permagni ad ſalutem ejuſdem Eccleſiæ intereſſet) (2) exterminarentur Eccleſiaſtici judices; & loco ejus, quam expeterent, pacis, novæ perturbationes, novaque diſſidia immitterentur. Quid autem iſtud eſt, quod ſcribis de cuſtodia canonum ? An Pontifices, Synodi, uno verbo, Eccleſia eos voluit canonum cuſtodes, qui contra quosvis canones, repugnante Clero, ac legitima Oecumenica syno-

(1) Febron. Tom. 1. pag. 581.

(2) Confer S. Hilarium lib. 1. ad Conſtantium n. 1. pag. 1218. Edit. Paris. an. 1593. Vide etiam S. Athanaſii, quæ ſupra pag. 131. not. indicavi loca. Sed hac de re alias.

Synodo invita, de re; quæ tam conjuncta preſertim cum dogmate ſit, ipſi per ſe conſtituerent? Legitima, inquam Oecumenica Synodo invita; nam de ea Æneas Sylvius ibidem agit, quam & ipſe tunc arbitrabatur, & tu modo pugnas fuiſſe legitimam. At id de invita legitima Synodo, ne Lutheranus quidem Melanthonus paſſus eſſet. Is enim de Pontificis cauſſa ad Synodum eſſe judicabat, non ad Principes (1), unitatis reſtituendæ cauſſa, referendum. Tu vero, qui Catholicum te eſſe profiteris, redi, quæſo, in eorum memoriam, quæ quarto ſeculo a Patribus Athanaſio, (2) Hilario, (3) Dionyſio Mediolanenſi, (4) Hoſio Cordubenſi, (5) Euſebio Vercellenſi, (6) Liberio Pontifice Maximo, (7) Lucifero Ca-

(1) Confer Boſſuetium Hiſtor. Variation. Eccleſ. Proteſtantium Lib. V. n. xxv. ſeqq. pag. 206. ſeqq. Edit. ejuſd. Tom. II. & n. xxvii. pag. 209. „ Si on perſiſtoit, inquit, à refuſer le „ Concile que le Pape avoit convoque, MELANCTON n'ESPE„ ROIT PLUS DE REMEDE AU SCHISME; & ce fut a cet„ te occaſion qu' il dit les paroles, que nous avons rapporteés, „ QUE LA DISCORDE SEROIT ETERNELLE, faute d' „ avoir reconnu l' autorite de l' ordre ſacré „.

(2) Vide S. Athanaſium Hiſtor. Arianor. ad Monachos n. xviii. ſeqq. p. 354. & ſeqq. T. I. P. I. Opp. Edit. Pariſ. an. 1698.

(3) Lib. I. ad Conſtantium Imperatorem n. 1. pag. 1218. Edit. Pariſ. an. 1698.

(4) Vide S. Athanaſium Hiſtor. Arianor. ad Monachos n. xxxiii. ſeq. pag. 363. ſeqq. Tom. I. P. I. Opp. Edit. Pariſ. an. 1698.

(5) Epiſtol. ad Conſtantium, apud Athanaſium ibid. n.

(6) Apud Athanaſium ibid. num. xxxiii. ſeq. pag. 363. ſeq.

(7) Apud Athanaſium ibid. n. xxxv. pag. 364. Is de cauſſa Atha-

Calaritano (1), ac Paulino (2) etiam, qui decus ſingulare Trevirenſis Eccleſiæ veſtræ fuit; redi,inquam,in eorum memoriam, quæ ab his Patribus de judiciis Epiſcoporum objecta fuere Conſtantio. Fac præterea recordere,ecquid Valentinianus I. Auguſtus (3), ecquid S. Ambroſius (4) Antiſtes Mediolanenſium, ecquid Turonenſium Martinus,

ecquid

Athanaſii, ut recte dijudicaretur, opus dixit eſſe, quod quidem probant idem Athanaſius, Theodoritus &c. „ ut Synodus „ procul a palatio cogeretur, ubi nec Imperator compareret, „ nec Comes accederet, nec Judex comminaretur „. Hoc fere ceteri, quos nominavi, volebant Patres, idque Canonibus præſcribi affirmabant, ut Athanaſii indicatum librum legenti patet.

(1) Apud Athanaſ. ibid. n. xxxiii. ſeq. pag. 363. Confer Luciferi ejuſdem librum I. pro Athanaſio pag. 184. Tom. IV. Bibliothecæ Patrum. Edit. Lugdunen. an. 1677.

(2) Apud Athanaſium lib. indicato n. xxxiii. pag. 363. Quod autem hi de Athanaſii cauſſa dixere, quanto dixiſſent magis de cognoſcenda, finiendaque controverſia, quæ de unitatis centro eſſet, ac de viſibili Eccleſiæ Capite?

(3) S. Ambroſius Epiſtola XXI. ad Valentinianum II. Auguſtum n. v. pag. 910. Tom. III. Edit. Venetæ an. 1751. „ Pater tuus, inquit, Deo favente, vir maturioris ævi, dicebat: „ NON EST MEUM JUDICARE INTER EPISCOPOS. Tua „ nunc dicit clementia: ego debeo judicare. Et ille baptizatus „ in Chriſto inhabilem ſe ponderi tanti putabat judicii: Clementia tua „ (agebat Valentinianus junior impulſu Arianæ Matris) „ arrogat de fide judicium: „ nempe dignus ne Ambroſius Sacerdotio eſſet Mediolanenſi, an alter ejus loco eſſet Epiſcopus conſtituendus doctrinæ cauſſa.

(4) Nam pergit Ambroſius ibid. n. vi. pag. 910. ſeqq. „ Quales autem elegerit (Clementia tua) Judices, poſſumus exiſtimationi relinquere, quando eorum nomina timet prodere. „ Veniant plane, ſi qui ſunt, ad Eccleſiam: audiant cum populo; NON UT QUISQUAM JUDEX RESIDEAT, ſed ut „ unuſquiſque de ſuo affectu habeat examen &c. „ eligat, quem ſequatur. Agitur de iſtius Eccleſiæ Sacerdote &c. & n. xii. pag. 912. „ Ipſe committam, ut eligam Judices laicos...? n. xiii. „ Non tanti eſt AMBROSIUS, ut PROPTER SE DEJICIAT SACERDOTIUM. Non tanti eſt unius vita, quanti eſt dignitas omnium Sacerdotum, quorum de conſilio iſta dictavi „. Scio, quid Febronius poſsit opponere. Sed de hoc loco Ambroſii enodatius agam alibi.

(1), ecquid ſæculo v. Auguſtinus Hipponenſium (2), ecquid deinceps Scriptores Eccleſiaſtici doctrina, virtuteque illuſtres iiſdem de rebus tradiderint; intelligesque, tua iſta doctrina, Principes conſtitui non cuſtodes canonum, ſed everſores. Id autem hi, uti ſunt cultores Religionis, atque erga Eccleſiam pietatis, pati, niſi graviter, profecto non poterunt. At de his alias. Pergam ad cetera.

De

(1) Confer Sulpicium Severum lib. II. Hiſtor. Eccl. pag. 348. Tom. VI. Biblioth. PP. Edit. Lugdun. an. 1677. apud quem De Maximo Cæſare, qui de cauſſa Priſcilliani agere non dubitarat, Martinus loquens: „ novum eſſe, & inauditum NEFAS, ait, UT „ CAUSSAM ECCLESIÆ Judex ſeculi judicaret „.

(2) Auguſtinus Epiſtola XLIII. ad CLXII. ad Glorium &c. Cap. VII. n. xx. pag. 73. Tom. II. De Conſtantino I. Auguſto loquens, qui de cauſſa Cæciliani Carthaginienſis Epiſcopi, rogatu Donatiſtarum, poſt Synodum Romanam judicavit, ſcribens: „ Neque auſus eſt, inquit, Chriſtianus Imperator ſe eorum „ (Donatiſtarum) tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, „ ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant ipſe judica- „ ret „. Et paullo poſt: „ Atque ut eis, inquit, ipſe ceſsit, „ ut de illa cauſſa poſt Epiſcopos judicaret, a SANCTIS AN- „ TISTITIBUS POSTEA VENIAM PETITURUS, dum ta- „ men (Donatiſtæ) quod ulterius dicerent, non haberent, ſi „ ejus ſententiæ non obtemperarent, ad quem ipſi provocave- „ runt „. Neque Patres ceteri, ipſique Imperatores diſcrepant. Vide, quæ de Valentiniano I. Auguſto narrat Sozomenus lib. VI. Hiſt. Cap. VII. pag. 209. Edit. Taurin an. 1747., & quæ Theodoſius Junior ad Synodum Epheſinam ſcribit parte I. Actor Synodi ejuſd. pag. 1346. Tom. I. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. De ceteris agam alibi. E Patribus Conſule S. Johan. Chryſoſt. Homilia IV. in illud = Vidi Dominum n. 2. T. VI. ſeqq. pag. 132. ſeqq. Palladium in vita Chryſoſtomi pag. 33. Tom. XIII. Opp. Chryſoſt. Edit. Pariſ. an. 1738., & pag. 38. & quæ a Patribus Synodi III. Romanæ ſub Symmacho initio fere Sec. VI. T. II. Concilior. pag. 978. ſeqq. Edit. an. 1714. & Synodi Palmaris an. 501. Tom. eod. pag. 969. tradita ſunt. Mitto de ceteris Patribus dicere, quorum permulta ſunt allata teſtimonia T. II. P. I. Operis del Diritto libero della Chieſa pag. 115. ſeqq. & pag. 159. ſeqq.

De Ænea Sylvio quæro, num dignum Pontificia tiara dicas ob eum etiam, quem afferſ, ipſius locum? Vereor enim, ne id præſe tua verba ferant. Nam eo deſcripto, atque probato loco, dignum, mox addis, pontificia tiara fuiſſe Æneam, *non obſtante, quod in ſua Epiſtola quibuſdam liberioribus expreſſionibus, ut erat homo fervidi ingenii, uſus fuerit*. Provide, oro te, mi Febroni, ne Religionem ludos facere videare. Quid enim? Serio ne quiſquam Catholicus, *liberiores* tantum *fervidi ingenii expreſſiones* eſſe dicat, non portenta, non flagitia erroris, & impietatis male inſtituti animi, qui hac maxime ratione, quod ſomniet *omnem interiiſſe fidem*, liberam Principibus poteſtatem decernendi de Capite Chriſtianorum *viſibili* tribuat; nihilque eorum, quæ ad credendum proponit Eccleſia de Chriſto, de uno Deo &c. tam ſanctum ducat, tamque religione munitum, quod non ipſe uno Regum arbitrio metiatur? Viam autem ab eo præmonſtratam, qui *omnem interiiſſe fidem*, quique renunciaturum *ſe Chriſto* affirmet, ſi Princeps, vi præſertim illata, velit; viam inquam, cuius hinc ducta initia ſint, aptam tollendo, Principum auctoritate, ei juri, quod jamdiu in Eccleſia, te ipſo teſte, viguerit, contineatque

 ca-

capita quædam doctrinæ, quæ nondum ſatis eſſe fixa, definitioneque proinde (1) egere confiteare; eam, dico, viam ecquis ortho-

---

(1) Quid Iſidoriano jure de poteſtate Pontificis contineatur, Tom. I. pag. 43. n. 10. & pag. 204. ſeq. n. 3. & pag. 478. n. 6. 533. n. 5. & alibi etiam monet Febronius. Id vero ad doctrinam pertinet, ut ſupra animadverſum eſt pag. 25. hujus vol. & tute fatere Tom. I. pag. 478. num. 6. Probatum porro oſtendit Febronius idem eſſe Tridentinæ Synodo, egereque emendatione, quæ facienda ſit ab Synodis Oecumenicis, Tom. I. pag. 533. ſeq. n. 5. Hæc vero emendatio, qui tandem, niſi definitione fiat? Deinde, ſi definitum jam eſſet ab Oecumenica legitima Synodo, Pontificem eſſe ſubjectum Concilio, cur Tom. II. p. 529. verba adduceres Legatorum Electoris Saxoniæ petentium, ut idipſum declararetur ab Synodo Tridentina? Non enim hac fuiſſet declaratione opus. Rurſum cur tanta contentio in Tridentina ipſa Synodo, quantam, Febroni T. I. pag. 37. ſeqq. fuiſſe narras, tantaque cura, ut doctrina de auctoritate Epiſcoporum &c. definiretur, ſi jam erat definita ut articulus fidei. Cur Andreæ Duvallii locum afferres T. I. pag. 147. negantis definitum eſſe, Papam aut eſſe, aut non eſſe ſuperiorem poteſtate Concilio? Cur T. I. pag. 565. ubi dixiſti, Concilium deſiderare te liberum, cui Pontifex agnoſcat, ſe eſſe ſubjectum, tum addidiſti: ,, Tali generali Synodo ſaltem opus erit ad determinanda ea, de quibus quæri poſſet, an legitimo uſu, & conceſsione Epiſcoporum, ac Principum Romanæ Sedi acquiſita dici debeant ,,? Si de his, quæ ad diſciplinam, te auctore, pertinent, opus Synodo eſt, quanto magis de ceteris, quæ ſpectant ad doctrinam? Poſtremo, quo demum modo ſi definitum eſſet a legitima Oecumenica Synodo Concilium eſſe ſupra Papam, ut tute alicubi ſtatuis, quo, inquam, modo Natalis Alexandri probares Tomo tuo I. pag. 428. locum, ajentis: ,, Propoſitionem de Concilii auctoritate ſupra Papam, ut ipſum puniat, ac deponat, ſi ſtatutis ſuis, ac mandatis obedire contumaciter contemſerit eſſe dogma fidei, tota Eccleſia non convenit ,,? Si non convenit tota Eccleſia Catholica, & quæque pars ſuam doctrinam, ut conſtantem, ac veram tuetur; non ergo definitum dogma eſt: alioqui ea pars, quæ non conveniret, eſſet hæretica. Sin autem definitum non eſt, ut hæreticus habeatur, qui repugnat; opus erit definitione. Quis autem definiet, te Judice, niſi Concilium, & hoc quidem ,, conditionate ,,: vel Reges, eorumve Miniſtri, conſilio uſi Eccleſiaſticorum, ut jus (quod Iſidorianum vocas, quodque ſtatuit ſuperiorem eſſe Concilio Papam) tollere juſte, riteque poſsint? Non enim tolli juſte univerſum poteſt, niſi decidatur, utra pars contendentium doctrinam Scriptura, Traditioneque conſtantem, teneat; niſi velis, ut qui tollere ſint auſi, hi periculo ſe tollendæ doctrinæ divinitus revelatæ committant.

orthodoxus aptam tantæ rei gerendæ fore, niſi ludens, audeat ſcribere? Non iſta ſeu via, ſeu ratio, Febroni, dignum tiara Pontificia Æneam Sylvium reddidit; ſed agnitio, doctrina, virtus maturiore ætate parta: errorum etiam, in quos juvenis cupidus rerum novarum, imprudenſve inciderat, ſincera, & conſtans deteſtatio (1), cujus egregia argumenta multo ante dederat, quam Pontifex dictus eſſet: ſingularia denique in Sedem Apoſtolicam merita ſemitam ipſi ad ſummum illum dignitatis gradum muniverunt. Atque utinam qui errantem illum ſequuti ſunt; imitarentur reſipiſcentem. Tollerent, mihi cre-

(1) Vide Retractationem Æneæ Sylvii, hoc eſt Pii II. Pontif. Maximi locis indicatis. Confer præterea Epiſtolam ad Martinum Mayr, quæ XCVI. eſt earum, quas ſcripſerat, cum Cardinalis creatus jam eſſet. In ea vero hæc leguntur: „ Numquam cæleſtis regni introire januam potuiſſe eos, qui Romanorum Pontificum auctoritatem contumaciter contemſere. „ (Audin Febroni?) „ Nec HODIE illis gloriandum eſſe, QUI „ AUCTORITATE PROPRIA LEGES ſibi conſtituunt, quibus pro ſuo libito Romanæ Sedis juſsiones ſpernere poſsint. „ Hos ENIM CATHOLICA VERITAS, NISI RESIPUE„ RINT ANTE OBITUM, IGNIS ÆTERNI MANCIPIO „ SINE INTERMISSIONE DEPUTAT „. Sed de hac Epiſtola alias. Lege ſis præterea Epiſtolam in Cardinalatu ab eodem datam XCIX Calixti III. Pontif. Max. nomine: & CXI. ad Martinum Mayr & CXII. ad eumdem, & CXXIV. & CXLI. ad Johannem de Liſura, in qua eſt ſcriptum hoc modo: „ Labore tuo, noſtroque, ſi licet dicere, quietem conſequuta eſt „ Eccleſia noſtris diebus apud Germanos. Faxit Deus, ne lacerari videamus, quod aliquando reſarcivimus. Multa rumor affert. Nobis via ſalubrior eſſe videtur, qua Patres noſtri ambulavere. Sed nova tentabuntur itinera; nova quoque pericula invenientur, nec facile ſua in Diœceſi quiſque Pontifex Papatum habebit, & SUNT QUI QUÆRUNT, „ & EJUS REI CAUSSA NIGRUM IN CANDIDA VERTUNT. „

crede ; publicam offenſionem ; conſulerentque Eccleſiæ, & ſaluti ſempiternæ ſuæ. De reliquis Scriptoribus, quos ſententiæ tuæ teſtes appellas, agam, cum expedienda mihi erit de ratione delendi ſchiſmatis quæſtio. Nunc de jure Iſidoriano. Nam hoc tu ſpectro terrere putas poſſe Lectores tuos, quaſi vero non vetuſtas nobis, non Patres, non Synodorum Oecumenicarum canones, ſed nothæ Epiſtolæ Iſidori ſint curæ. Quod ſane totum ſecus eſt. Nos enim id jus colimus, quod magnam partem ante iſidorum invaluerat, eſtque Traditione Majorum, Synodorumque auctoritate nixum. Id porro tibi demonſtrabo, ſed tempori. Nam inſtitutum ordinem, tibi ut ſatisfaciam, ſervaturus, ad alia modo propero. Interea quod ſcribis, jus idem ortum ſchiſmati etiamnum perduranti dediſſe, vide, quæſo, ne falſum ſit. Boſſuetius (1) certe, quo tu duce, atque Magiſtro gloriare, Boſſuetius autem? Immo vero Proteſtantes (2) ipſi (effrenatæ libertatis, licentiæ, ac cæcæ, temerariæque cupiditatis explendæ cauſſa) id ſchiſma conflatum docent. Non eſt vero, cur his quiſquam eſſe fidem

(1) Adeundus Boſſuetius lib. V. Hiſtoriæ Variation. Eccleſiar. Proteſtanticar. n. v. pag. 185.
(2) Vide, quæ ſcribit idem n. eod. ſeq. pag. 185. ſeq.

fidem negandam putet ; Quod adjungis, juris ejuſdem (perinde ac ſi quantum, quantum confictum Iſidori fraude fuerit) *apertam falſitatem eſſe*, ut ejus delendi anſam Principibus ſeculi præbeas ; plane vereor, ut a vero diſtet, ſitque Apoſtolicæ Sedi, Eccleſiæque univerſæ injurium. Ac ſi *falſum* id jus tam *aperte*, quam clamas, eſſet ; quo tu modo, niſi tecum certans, aliqua ſaltem eodem jure comprehenſa definitione egere concederes ? Non enim eſt opus definitione, cum de re agitur, cujus adeo ſit manifeſta, ut dicis, *falſitas*. Age vero ſi hæc *falſitas* adeo pateret, ecquod, rogo, in ejus tam manifeſte falſi juris tollendi MEDIO, quod memoras, periculum erroris eſſet ? Sic enim ſcribis : *attamen ne a ſecularibus in executione, & applicatione hujus MEDII erretur, opus eſt, ut Eccleſiaſticorum, præcipue Epiſcoporum lumine* (Principes) *dirigantur*. Jam quod tu proſpicis periculum errandi fore, ſi Princeps in ditione ſua id vigere nolit, quod palam ſit omnibus eſſe *falſum* ? At ne erretur etiam, quorumnam tandem opus eſſe *lumine* arbitrare ? *Eccleſiaſticorum*, inquis, *precipue Epiſcoporum*. Non ergo Epiſcoporum ſolum. Nam his *præcipue*, non omnino opus eſſe mones. Quare hi ſi deſint, etſi non tam commode, at ſatis tamen erunt inferioris

 Or-

Ordinis Sacerdotes, Diaconi etiam, Acolythi, Clerici denique ceteri, quos omnes conſtat eſſe Eccleſiaſticos. Sed fac Epiſcopis omnino ſit opus; quid Congregatis ne in Synodum Oecumenicam, quæ de jure tam late propagato delendo ſtatuat? Nihil minus. Nam de Synodo aut Oecumenica, aut Nationali, aut Provinciali, aut Diœceſana ne verbulum quidem ſcribis. Paucorum proinde Eccleſiaſticorum, in quibus ſint aliquot Epiſcopi, *lumen* ſatis erit.

Atque hi quidem ita ſtatuent, nullum ut ſit errandi periculum. *Ne erretur inquis*. Mirum ſi his tu paucis *abſolutam* attribuas decidendi *inerrantiam*, quam *conditionatam* ſolum concedas Synodis Oecumenicis; quamque actu prorſus Epiſcopis deneges per univerſum terrarum orbem diſperſis, atque in unam eamdenque ſententiam conſpirantibus! Sed heus tu: Judices ne iſti Eccleſiaſtici tui (pauci quidem certe comparatione eorum Antiſtitum, qui in Oecumenicam Synodum conveniant) *judices* ne, inquam, tui iſti Eccleſiaſtici ſedebunt; an ſolum *conſiliarii*? Sane *conſiliarii*, (1) te reſponſurum,

---

(1) Sic enim de conſilio ſcribit Febronius in titulo ejus Paragraphi VI. Cap. IX. T. I. pag. 550. in quam locum Æneæ Sylvii conjecit: „ Quartum medium haberi poterit in concordi con„ ſtituto Catholicorum Principum, ADHIBITO pro horum „ DIRECTIONE Eccleſiaſticorum, maxime Epiſcoporum CON„ SILIO „.

rum, non dubito: Conſilium igitur falli neſcium paucorum tunc Eccleſiaſticorum erit; judicandique poteſtas omnis, te doctore, in Principes, Miniſtroſve laicos Principum revolvetur. Sed quæro ex te, num *Conſiliariorum* genus iſtud cum Pontifice, Epiſcopisque Pontifici adhærentibus junctum ſocietate doctrinæ debeat eſſe, an contra? Non junctum, inquies, profecto. Quid enim eorum, quæ tu velis, expectes ab iis, qui cum Pontifice ſentiant? Excludetur ergo prorſus ex eo conventu Pontifex; ne ullus eorum, qui ipſi conſentiant, *Conſiliarii* fungetur munere; reſque omnis *conſilio Eccleſiaſticorum*, qui adverſis partibus ſtudeant, ac judicio Regum, Miniſtrorumve laicorum, qui id *conſilii* probent, definietur. Atqui hoc totum componi cum traditione Majorum, cumque Boſſuetii adverſus Proteſtantes (1) differentis doctrina non poteſt.

Sed age Principes, Miniſtrive eorum, aliter ac tu velis, ſentiant; & tam longe a commonitionibus, doctriniſque tuis tuendis, atque etiam admittendis diſtent, ut contra omnino rem gerant, petantque ab Sede Apoſtolica, quod Eccleſiis Principa-

(1) Confer Boſſuetium lib. V. Hiſtor. Variationum Eccleſiar. Proteſtanticar. n. xxv. pag. 206. ſeq.

cipatus ſui, ex uſu futurum ſperent; habenda ne eorum, te judice, erit ratio? Nulla certe. Nam eos palam inſectare. *Commodis ipſos propriis velificari*: *Privata* ſua *compendia* quærere, *Officere rebus publicis*, ſcribis (1). Quod eo ne ſpectet, ut invidia in ipſos, odiumque publicum, ni deſinant, concitetur, tu videris. Neque vero hic putas conſiſtendum tibi. Itaque progreſſus longius, Monarchas quoſque ſumma in rem civilem publicam poteſtate mulctas; (2) eamdemque poteſtatem quantam quantam ad arbitrium transfers populi, adeo ut eam *luxare*, *reſtringere*, *mutare* populus ipſe queat, veluti ſalutare ſibi, aut perutile exiſtimet futurum. Qua ex opinione tua quot incommoda, quam magna, quam gravia, quam dira, quam pſeudophiloſophis illis, quorum ſupra meminimus, optata & manarint olim; & verendum vehemen-

(1) Vide pag. 15. hujus vol. ſeq.

(2) Locum Febronianum attuli pag. 29. hujus vol. Confer autem cum eodem, quæ de Regibus, Principibuſque Æneas Sylvius Cardinalis ſcripſit ad Fridericum Imperatorem Calixti III. Pontificis Max. nomine, Epiſt. XCIX. ,, Neque nos latet, inquit, quo favore amplectendi ſunt Eccleſiarum Præſules: & ,, quo SECULI PRINCIPES HONORE PRÆVENIENDI, ut ,, illos Fratrum, & iſtos Filiorum loco, ſua cuique dignitate ,, ſervata, habere debeamus. Sunt EVANGELIA SACRA ,, SEMPER ANTE OCULOS NOSTRÆ MENTIS; SAN- ,, CTORUMQUE PATRUM DECRETA SEDULO IN ,, ANIMO VOLVIMUS. Novimus, quid Epiſcopis liceat, ,, quid PRINCIPES DECEAT; quid officio Summi Sacer- ,, dotis incumbat; neque cordi noſtro quidquam tenacius hæret, ,, quam ita Sacros Canones obſervare, ut idonei Myſteriorum ,, Chriſti diſpenſatores inveniamur &c. ,, Audin? Febroni.

hementer ſit ; ne deinceps manent , adeo eſt perſpicue paulo ante animadverſionibus Boſſuetii demonſtratum , ut noſtra nunc oratione non egeat .

Tuendi etiam civilis imperii cauſſa,ab orthodoxis ſcriptoribus ſuſcipienda oſtendet eſſe , contra opus Febronii Eccleſiaſtici regiminis defenſio .

VIII. Quoniam igitur Eccleſiaſticum regimen, quod ſane per ſeſe concors , atque ſalutare (1) civili eſt , ſic tuo impetitur opere , ut oppugnatio inde ſequatur po-

---

(1) S. Cæleſtinus I. Pontifiex Max. Epiſt. XIX. ad Theodoſium Imperatorem n. 2. pag. 1164. Tom. I.Epiſtolar. Romanor. Pontificum Edit. Paris. an. 1721. „ Pro veſtro , inquit , Imperio geritur quidquid pro quiete Eccleſiæ , vel „ Sanctæ Religionis reverentia laboratur . Vide etiam Epiſtolam XXIII. ad Eumdem n. I. & II. pag. 1203. Eodem pertinent , quæ Pontifices reliqui , Sanctique Patres monumentis mandarunt litterarum , de quorum teſtimoniis agam , cum tempus monuerit , opportunius . Quid Clerus Gallicanus hac de re ſemper ſenſerit , ſentiat, ex ejus Actis Tom. XII. pag. 42. Edit. Pariſ. an. 1740. pag. 132. pag. 144. 177. 229.247. 267. ſeq. exque Oratione, quam Cleri ejuſdem nomine habuit an. 1584. ad Regem Henricum III. Archiepiſcopus Bituricenſis , Ibid. pag. 90. „ A la verité , comme tous les Rois prennent toute leur conſolation , toute leur éſperance au ſein de „ l' Epouſe de Dieu ſon Egliſe ; auſsi l' Egliſe ſe ſentant travaillée, & vexee , n' attend , ni n' eſpere ſa conſervation „ aprés Dieu , qu' à la force & providence Roiale . Ce mutuel „ conſentement de ces deux bras étoit ſi annexe , que l' un ne „ pouvoit étre demanche ou affoibli,que l' autre ne le ſentit ; „ ainſi l' AUTORITE ROIALE ne PEUT etre BIEN ASSU„ REE , SANS l' APPUI DE LA DIGNITE SACERDOTA„ LE , la QUELLE ETANT AFFOIBLIE , il EST NECES„ SAIREQUE l' AUTORITE ROIALE SENTE DIMINU„ TION „ . Confer noviſsimam Paſtoralem Epiſtolam an. 1775. Epiſcopi Aleſienſis indicentis preces pro conſecratione Regis Chriſtianiſsimi Ludovici XVI. Nam is Antiſtes pag. 21. converſa ad Galliam oration : „ Le nom méme , inquit, de ſchiſme, „ & d'hereſie etoit inconnu chez toi, tandis que dans la ſucceſſion des evenemens & des ſiecles le reſte de l' Europe deve„ noit la proie de ces monſtres auſsi funeſtes au bien des etats „ qu'à celui de la religion. C'eſt à l' UNION FILIALE DE TES „ PRINCES AVEC LES CHEFS DE L'EGLISE QUE TU AS „ DU DES AVANTAGES ſi PRECIEUX . Maintenez , o mon „ Dieu, fortifiez , rechauffez DE PLUS en PLUS UNE UNION „ QUI FAIT LA GLOIRE DE CET EMPIRE &c.

poteſtatis Regum; nemo tam improvidus; mea quidem ſententia, erit; tamque imperitus rerum, quin videat fore, ut qui contra tuum idem Opus Regiminis ipſius Eccleſiaſtici defenſionem ſuſceperint, iidem una ſimul Civile imperium tueantur. Cumque utraque harum poteſtatum Eccleſiaſtica nempe, ac Civilis eſſe omnibus debeat orthodoxis cordi; ſane orthodoxo cuique ſcriptori, qui diu in hiſce litteris ſit, doctriniſque verſatus, danda, quantum poteſt, diligens opera eſt, ut librum eumdem tuum certis teſtibus, tabulis, Majorum traditione, Sacrorum Bibliorum auctoritate expugnet; atque ita quidem oſtendat, & eſſe non ignavum, neque iners Eccleſiæ membrum ſe; & ali Civem reipublicæ utilem. Quod dum non uno arbitratu meo, ſed voluntate Magnorum Virorum, hortatu, impulſu etiam, ut vires ferunt, contendo, atque enitor; non diffido, utrumque conſequi poſſe me; quippe qui ſperem, laborem hunc qualemcumque meum Eccleſiæ, Reique civili publicæ non ſupervacaneum, neque infructuoſum fore.

Exponitur, quid ſit auctor ſequentibus Epiſtolis comprehenſurus.

IX. Itaque Rei Chriſtianæ & Civili publicæ facturus ſatis, quæram, ac declarabo Epiſtolis hiſce meis, quid Eccleſia ſit? Ulla ne ſit a Chriſto illius gerendæ inſtituta ratio? Cujuſmodi hæc ſit, & quam late

te pateat? Chriſtianis ne omnibus junctim, *ſeu collective*, ut ajunt, credita divinitus fuerit; an Præſidibus a Deo conſtitutis Eccleſiarum? Atque his quidem ſparſis ne per terrarum orbem univerſum; an congregatis in Synodum? Æqua ne horum omnium poteſtas, & ratio ſit; an unus ſit omnium Caput, & Primas? Quiſnam hic ſit? Quo jure obtineat Primatum? Is Primatus *Nominis ne, Ordinis, Directionis, puræ Inſpectionis ſit* an etiam Poteſtatis, atque Juriſdictionis? Cujus rei gratia datus Eccleſiis Primas idem fuerit? Quemadmodum ei conjuncti quique Catholici eſſe debeant? Quas eundem oporteat in Re Chriſtiana Publica ſive ſparſa, ſive in Synodum coeunte tenere partes? Qua ratione ſchiſmata, ſi qua ſint orta, tolli oporteat? Quid juris valere debeat in Eccleſia; quibuſque competat munus condendarum Eccleſiaſticarum legum? Quam multa his de rebus tuo opere comprehenderis, quæ a Catholicorum omnium, ab Gallicanæ autem Eccleſiæ in primis, doctrina diſſideant ita plerumque, ut ab Catholicis iiſdem, & Gallicana Eccleſia erroris, atque etiam hæreſeos condemnentur? Quibusnam ſententiis, qua ratione, ut ſervata unitate Gallorum inclita natio a Romana, aliiſque multis diſcrepet? Quas quidem ſententias

tias non eo commemorabo, quo earum nllam refellere inſtituerim; ſed quo demonſtrem, quam tu licenter fines, quos Gallica Natio ipſa ſibi fixerit, prætergreſſus ſis; & qua fide (eorum finium tuendorum ſpecie) qua, inquam, fide, quaque diligentia ſis in illuſtrium Virorum, Sanctorum Patrum, Synodorum, Scripturarumque locis deſcribendis, obiiciendiſque verſatus. Id vero ubi (non cauſſa lædendi, neve laceſſendi, ſed monendi tui) perfecero (perficiam autem ope fretus Dei) plane confido fore, ut re experiar, te docilitatis; meque propterea laboris fructum uberrimum retuliſſe. Vale kal. 3. Januariis 1776.

EPI-

EPISTOLÆ SECUNDÆ

ARGVMENTVM

§. I.

Quid Eccleſia Chriſti ſit §. II. *Quid ipſam putet eſſe Febronius* §. III. *Quid Gallicana, Genteſque orthodoxæ reliquæ* §. IV. *Eccleſiam Collegium, non Statum eſſe, Febronius, Puſendorfium hæreticum hominem ſequutus, ſcribit.* §. V. *Vllane certa ſit a Chriſto inſtituta gerendæ Eccleſiæ ratio. Negat Puſendorfius. Hujus eſſe doctrinam hac de re veram Febronius arbitratur. Febronii ſecum de re eadem certatio; quæ ſane certatio afferre tegendi erroris excuſationem nullam poteſt.* VI. *Puſendorfianum hac ipſa de re ſyſtema proponitur. Id probans Febronius non liberat, quam dedit, fidem, confirmandæ perpetuo ſententiæ cujusque ſuæ auctoritate Majorum* §. VII. *Quam id Puſendorfianæ doctrinæ genus repugnet Catholico dogmati, demonſtrat Divina per Apoſtolos, Patreſque latiſſime propagata, atque ad nos uſque continenter perducta traditio.* §. VIII. *Itaque actum in eam doctrinam publica exſecratione ab Synodis eſt.* §. IX. *Eadem non ab Gallicana ſolum* §. X. *ſed ab Eccleſiis quibuſque orthodoxis, ut fidei*

dei Catholicæ inimica rejicitur. §. XI. *Nec ipſam ullo modo Græci Schiſmatici , magnamque partem Proteſtantes ferendam cenſent* §. XII. *Quæ ex re Febronii opera non componi quidem , ut ille blanditur ſibi ; ſed turbari majorem in modum pacem , viamque ad nova diſcidia pandi , conſtat .*

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA II.

JUSTINO FEBRONIO

JURISCONSULTO.

F. THOMAS MARIA MAMACHIUS.

S. P. D.

I. HABEO a te quid expectem. Nam ſatisfacies, opinor, roganti mihi, cur Eccleſiæ (cujus in priore tuo Volumine STATUM, qualem tibi finxeras animo, tam late deſcripſeris) omiſeris definitionem. Noſti enim, ut a definitione proficiſci debeat omnis, quæ ratione de re quacumque ſuſcipitur inſtitutio. Id autem eo tibi curandum majorem in modum erat, quod hoc uno conſilio iſtud te de *Statu Eccleſiæ* ſcribendi onus ſuſtinuiſſe gloriarere, ut pacem inter Catholicos, Proteſtanteſque componeres; quorum tamen ſcires, quam variæ ſint de formanda ejuſdem Eccleſiæ notione, quamque inter ſe diſſidentes ſententiæ. Ecquam enim confidas inter eos concordiæ reconciliationem fore, quibus ne de intelligentia quidem ejus rei, quæ in quæſtione verſetur,

Febronius de Eccleſiæ ſtatu acturus, definitionem pretermittit Eccleſiæ. Quam id ab eo actum incommode fuerit.

con-

convenerit? Equidem ni ante fixum, ratumque ſit, quid Eccleſiæ, de qua diſputetur, intelligi oporteat nomine; vereor, ne tam longe abſit illius pacis, quam tu tibi pollicere, fides, ut hanc unam ob cauſſam (niſi cauſſae tam eſſent multæ, quam ſunt revera) oram nullam, nullum inter Nos, Proteſtanteſque finem controverſiarum proſpiciam futurum. Quare aut reddenda (quod vellem) abs te ratio eſt, cur explicare, quid indices Eccleſiae vocabulo, prætermiſeris; aut fatebere, vel prudentem, atque volentem te; vel inconſiderantem, non uti par erat, reconciliatoris pacis functum eſſe munere; ſed potius (quod certe nollem) concitatoris invidiæ, auctoriſque novorum diſſidiorum. Atque huc quidem evadere, quæ in tuo iſto opere complexus es, poſt efficiam quod rogo, ut æqui boni facere, ne gravere.

§. I.

Quid ſit Eccleſia.

Negat Mamachius agendum ſibi de origine vocis Eccleſiae eſſe, cum id ad inſtitutum non conferat. Docet convenire Proteſtantibus cum Noſtris non poſſe niſi ante cognoverint, quid ſit Eccleſia. Proponit Eccleſiæ definitionem.

II. De origine vocis τῆς ἐκκλησίας *Eccleſiæ*, deque variis ejuſdem ſignificationibus nihil attinet dicere. Non enim harum plures quidquam ad inſtitutum conferunt, & explicatae a multis ſunt diligentius, quam ut laborem cujuſquam noſtrum, quo magis evolvi, atque illuſtrari poſſint, operamque de-

deſiderent . Jam id nunc inſtat, ut inter nos ante conveniat, fixumque ſit, quo demum ſenſu omnis futura ſit noſtra de Ecclesia diſceptatio. Conveniet autem, ſpero, ſi conſtes tibi. Nam, ut tua legens interdum animadverti, de *aſpectabili* hominum eorum complexione loqueris, qui cum doctrinam, religionemque Chriſti orthodoxam colant; tum non unius urbis, aut provinciae, aut regionis finibus contineantur; ſed per univerſum ſint propagati terrarum orbem. Qua de re nihil obſtat, quin tibi prorſus aſſentiar. Firmum proinde hoc erit, ac ratum utrique noſtrum. Verumtamen de nexu, ac forma ipſius Eccleſiae, cujuſmodi ſit, magnam eſſe video inter Noſtros, atque Proteſtantes diſſenſionem. Quae ſane diſſenſio abs te non tollitur; hac vero manente, non modo non iniri ab iiſdem nobiſcum ea, quam tute optare te dicis, ſed ne fingi quidem poteſt conſociatio. Noſtrum enim commune, conſtans, immotum dogma eſt: Eccleſiam, ſocietatem hominum eſſe ſub legitimis a Spiritu Sancto poſitis Paſtoribus, in primis vero ſub *Viſibili* divinitus item conſtituto *Capite, Centroque unitatis* Romano Pontifice, unam Chriſti orthodoxam profitentium fidem; eorumdemque ſacramentorum colligatione in unum corpus coaleſcentium. Ex hoc tu dogmate (utare licet

machinis, quibus voles) Catholicorum, qui transfugere ad hoſtes nolit, dejeceris omnino neminem.

Animadvertit præterea, quam longe Proteſtantes abſint ab admittenda Eccleſiæ catholica definitione.

III. Sed Proteſtantium longe eſt diſcrepans ratio. Non enim omnia, quæ nos in Sacramentis numeramus, Sacramentorum habent loco; neque vero quæ habent, talia eſſe quædam, qualia nos credimus, arbitrantur; neque eamdem atque nos profitentur fidem. Paſtorum porro divinam inſtitutionem negant ipſorum plerique; *Capitis* autem, *Centrique unitatis* omnes multo magis negant, adeo ut nihil fere de Eccleſiae ratione ſit, de quo non illi magnopere a nobis diſſideant. Ac de Sacramentis quidem quid ſentiant, notum eſt. De Eccleſia ſic ſtatuunt, ut cadere quidem ſub aſpectum, ſeu viſibilem ipſam eſſe; eamdemque profeſſione fidei, & Baptiſmi, Euchariſtiaeque Sacramentis, in *Paſtoribus, ac populo ſubſiſtere* (1) confiteantur; ſed Paſtorum eorumdem

(1) Boſſuetius in 1il. (Avertiſſement ſur les lettres de M. Jurieu n. xix. Tom. IV. opp. Edit. Argentin. ſeu Venetæ an. 1738.pag.149.) „ Les Miniſtres, inquit, paſſent condemnation, „ & ils avouent que L'EGLISE SUBSISTE VISIBLEMENT „ DANS SES PASTEURS, ET DANS SON PEUPLE, EN „ VERTU' DE CETTE PROMESSE: Je ſuis avec vous: de „ celle-ci: Les portes d' enfer ne prevaudront point: & des „ autres de cette nature. Mais l' Egliſe ne peut ſubſiſter ſans „ la profeſsion de la verité: c' eſt pourquoi M. Jurieu, avoue, „ apres M. Clande, que l' Egliſe à qui Jeſus-Chriſt promet „ un eternelle duree, eſt une Egliſe confeſſante, une Egliſe, qui publie la foi: & par conſequent qui a pour cela une „ aſsiſtance particuliere: on en a vû les paſſages; & ces deux „ Miniſtres l' avouent en termes formels „. Hoc ipſum adductis

dem divinam inſtitutionem, eorum quique, praeter Epiſcopales Britannos, pernegant. Pontificem Romanum ne nominandum quidem cenſent; quippe quem neque *caput* Chriſtianorum eſſe credant, neque *unitatis centrum*.

§. II.

Quid Febronius Eccleſiam eſſe putet.

IV. Age vero, expedi, quid tu in priore volumine tuo, Proteſtantes Catholicis conciliaturus, ſtatuas eſſe Eccleſiam? Equidem hujus abs te nullam in eodem ipſo volumine video definitionem dari. Non ſum neſcius, definiri eam abs te ipſo (in *Principiis Juris Publici Eccleſiaſtici Catholicorum ad Statum Germaniae accommodatis in uſum tyronum: Introduct. n. V. Edit. Ulmenſis an. 1767.*) „ Coetum ſacrum hominum „ baptizatorum, qui ſub regimine Paſtorum „ veram Chriſti doctrinam unanimiter pro- „ fitentur „. Sed quam nollem, Febroni, ut id tu accommodares Catholicis, quod proprium Proteſtantium ſit, tradique non poſſit ſine offenſione ſumma Catholicorum.

Febronius in priore ſuo volumine de Statu Ecclesiæ non dat Eccleſiæ ipsius definitionem. Dat in ſuis Principiis juris publici Ecclesiaſtici, ſed ita mancam, ut, dum placet Proteſtantibus, Catholicis nos ſatisfaciat. Quā inanis ſit ratio, qua ſe excuſat, cur mancam attulerit.

ctis Pſeudo-Miniſtrorum, Confeſsionumque Proteſtanticarum locis demonſtrat idem Boſſuetius Lib. XV. Variation. Eccleſ. Proteſtant. Num. IV. ſqq. pag. 268. ſqq. Tom. III.

rum . Ecquid enim in iſta definitione eſt , quod Lutherani , Calviniani , Zuingliani &c. non probent , quodque genti Catholicæ ſatisfaciat ? Non enim commemoras ullum Sacramentum , præterquam Baptiſmum ; non Paſtores , ſeu Epiſcopos , qui poſiti a Spiritu Sancto ſint gerendarum Eccleſiarum cauſſa; non AntiſtitumApoſtolicae Sedis beatam ſucceſſionem , quae centrum divinitus conſtituta ſit unitatis . At apponi abs te, dices , hujuſmodi adnotationem : *De capite , & membris hujus coetus conſulto hic abſtraho, ne , quod nolo , in ipſo mox veſtibulo litigare cogar* . De non litigando , quod ſcribis , fac quiſque credat , ut voles . Nihil enim impedio . Quamquam mirabile videri poteſt , te qui numquam hactenus feceris litium ferendarum modum , repente faſtidientem lites ſic exhorreſcere , ut male timeas , ne in ipſo tuarum Inſtitutionum veſtibulo contendere cogare . Verum ſit iſtud ſane , quemadmodum dixi , ut voles . Sed illud mecum Catholici quique noſtri permoleſte ferent , quod orthodoxum dogma de *viſibili capite , centroque unitatis* omiſeris ; cujus tamen cum de uno corpore Eccleſiae definiendo ageretur , prorſus eſſet neceſſaria mentio . Nam quod , uti te nobis purges , animadvertis , providendum eſſe tibi , ne litiges , vereor , ne nullam habeat juſtam excuſationem .

Quas

Quas enim Catholicus ab Catholicis lites metuat, ſi Catholicis adoleſcentibus Catholica juris Eccleſiaſtici principia traditurus, Catholicum dogma commemoret? Immo lites metuat graves in primis neceſſe eſt, ſi hoc praetermiſſo dogmate, eo ſit Eccleſiae definitionis genere contentus uno, quod placeat Proteſtantibus, Catholicis autem contra non placeat.

§. III.

Quid Eccleſiam eſſe ſtatuant Gallicana, Genteſque orthodoxae reliquae.

V. Commodum ſuccurrit de Gallis. Eſt inter eos, ut noſti, atque nos ipſos orta haud levis (ſed pace tamen, atque unitate ſervata) diſſenſio de Pontifice Maximo, praeſtet ne Synodo Oecumenicae; deque Pontificis ejuſdem in controverſiis, quae ad religionem ſpectent, decidendis falli neſcia auctoritate. Quid autem? Horum ne Miniſtros Sacrorum, Epiſcopos in primis, a *Viſibili Capite*, a *Primate* coetuum quorumque Catholicorum, a *Centro unitatis* commemorando deterritos fuiſſe, dices, altercandi metu, cum de notione *unius Eccleſiae catholicae* informanda, ſuiſque non ſolum Libris Controverſiarum, Inſtitutioni-

Galli, ne exceptis quidem Appellantibus, ſic definiunt Eccleſiam, ut ejus viſibilis Capitis Romani Pontificis mentionem non praetermittant.

buſque canonicis; ſed Rudimentis quoque doctrinae Chriſtianae comprehendenda; ac non iis modo, qui aliquos in litteris progreſſus feciſſent, verum etiam indoctis, pueriſque ipſis, ut oporteret, tradenda agerent? Non dices profecto, niſi una dicas, meridie non lucere. Tam enim neceſſariam mentionem ejus dogmatis judicarunt, ac judicant, ut eam, ſi in explicanda unitate Eccleſiae taciti prætteriſſent, veriti fuiſſent, ne non ſatis & muneri ſuo ſe, & ſuorum inſtitutioni feciſſe viderentur. Equidem deſcriberem ex omnibus eorum Catechiſmis, quaecumque huc attinent, diligenter loca, ſi opus eſſet; ſed hoc tanto labore me rei perſpicuitas liberat. Itaque perpauca dabo, quibus & cauſſae plane conſulam; & non ero, uti quidem confido, moleſtus tibi. Epiſcopi Andegavenſis, Rupellenſis, & Lucionenſis in Catechiſmo, quem anno 1678. ad uſum ſuarum Dioeceſeon ediderunt, in XXXIX. *Lectione*, poſt ubi de *viſibili Eccleſia* loquuti ſunt, quam Chriſtus per ſuos Adminiſtros regit; rogaruntque, quinam ii ſint Adminiſtri, quibus Chriſtus *viſibilem* Eccleſiam ipſam moderatur? reſpondent: eos eſſe Parochos in ſuis paroeciis, Epiſcopos in ſuis Dioeceſibus, ET PAPAM IN TOTA ECCLESIA, CUJUS EST OB HANC RATIONEM VISIBILE CAPUT

IN

IN TERRA (1). Eſt præterea in Catechiſmo Eccleſiae Nannetenſis hoc modo (2): *Quid eſt Eccleſia? Eſt coetus fidelium Chriſtianorum.* Quot *ſunt Eccleſiae? Non eſt niſi una, eademque ſola, quæ eſt Catholica, Apoſtolica, & Romana. Poteſtne ullus extra Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam ſalvari? Minime. Nulla enim eſt ſalus extra Eccleſiam. Quiſnam eſt Eccleſiae Catholicae* CAPUT? *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & ſub eo Sanctus Pater noſter Papa.* Carolus Joachimus Colbertus Epiſcopus Monſpelienſis, quem certe non nimio erga Pontifices Romanos ſtudio fuiſſe latum fatebere, in ſuæ Dioeceſeos Catechiſmo, Lectione XXXI. *De Eccleſia, quæ in terris eſt, differens,* quærit, *quid Eccleſia terrae ſit in præſenti ſtatu?* Reſpondet (3): *Eſt Societas fidelium Chriſtianorum,*

(1) Pag. 91. „ Ce ſont les Curez dans leurs paroiſſes : les „ Eveques dans leurs Dioceſes : le Pape dans toute l' Egliſe, „ dont il eſt pour cette raiſon le Chef viſible ſur la terre.

(2) Le Catechiſme du Dioceſe de Nantes par le commandement de Monſeigneur l' Illuſtriſsime, & Reverendiſsime Meſsire Gilles de Beauvau Eveque de Nantes &c. a Nantes 1718. (Lect. XIV. pag. 40.) „ Qu' eſt-ce que l'Egliſe? C' eſt l' aſſemblée des fideles Chrétiens. Combien y a t' il d'Egliſes? Il „ n' y en a qu' une ſeule, qui eſt l' Egliſe Catholique, Apoſtolique, & Romaine. Peut-on etre ſauvé hors de l' Egliſe „ Catholique, Apoſtolique, & Romaine? Non : hors de l'Egliſe il n' y a point de ſalut. Qui eſt le Chef de l' Egliſe Catholique? C' eſt notre Seigneur Jeſus-Chriſt, & ſous lui notre Saint Pere le Pape.

(3) Pag. 66. ſq. Edit. Lugd. an. 1705. „ Qu' eſt-ce que l'Egliſe de la terre dans l' etat preſent? C' eſt la Societé des „ fideles Chrétiens, qui ſous les Paſteurs legitimes, ne font, „ qu' un meme corps dont Jeſus Chriſt eſt le Chef inviſible, & „ LE PAPE LE CHEF VISIBLE.

rum, qui ſub legitimis Paſtoribus non efficiunt, niſi corpus uuum, cujus inviſibile Caput eſt Chriſtus, & CAPUT VISIBILE PONTIFEX. Quaerit praeterea, *cur Epiſcopi, ac ſub horum auctoritate Presbyteri ſint Paſtores legitimi Chriſtianorum?* Reſpondet vero (1); *quia ſucceſſere Apoſtolis, atque Diſcipulis, quos Jeſus Chriſtus conſtituit, gubernatores Eccleſiae terrae*. Quærit item, *quinam ſit Caput Epiſcoporum?* Reſpondet: *Eſt Papa Antiſtes Romae*. Quaerit praeterea, *cur Papa ſit caput Epiſcoporum*? Reſpondet autem: *Quia eſt S. Petri Succeſſor, qui caput erat Apoſtolorum.* Quærit, poſtremo, cur Papa dicatur *eſſe viſibile Caput Eccleſiae* (2)? Reſpondetque: *Quia eſt Caput Paſtorum gubernans viſibiliter Eccleſiam ſub auctoritate Jeſu Chriſti*. Adjungit (3), *Eccleſiae Romanae nomine Societatem fidelium intelligere ſe, qui Papam viſibile caput agnoſcunt eſſe, eique hac ratione obediunt*: eamdemque *Romanam Eccleſiam ſolam veram Ec-*

---

(1) Pag. 67. „ Parce qu'ils ont ſuccede aux Apotres & „ aux Diſciples que Jesus Chriſt a etablis pour gouverner l' „ Egliſe de la terre.

(2) „ Quel eſt le Chef des Eveques? C' eſt le Pape l'Eveque de Rome. Pour quoi le Pape eſt-il le Chef des Eveques? „ Parce qu' il eſt le Succeſſeur de Saint Pierre, qu'etoit le „ Chef des Apotres. Pour quoi dites vous que le Pape eſt le „ Chef viſible de l'Egliſe? Parce qu' il eſt le Chef des Paſteurs, qui gouverne viſiblement l'Egliſe ſous l' autorité de „ Jesus Chriſt „.

(3) Pag. 69. „ j' entens la Societé des Fideles qui reconnoiſſent le Pape pour Chef viſible, & qui lui obeiſſent en „ cette qualité . . . L' Egliſe Romaine eſt la ſeule vraie Egliſe, & hors de l'Egliſe il n' y a point de ſalut „.

Eccleſiam eſſe; *& extra Eccleſiam* (veram) *ſalutem eſſe omnino nullam* . Eodem revolvi video, quæ Catechiſmo Maſſiliae anno 1675. edito continentur, depromtaque ſunt e celebrioribus Catechiſmis Dioeceſeon Gallicanarum. Sic autem in eo ſcriptum reperio (1): *Eccleſiam eſſe coetum omnium fidelium Chriſtianorum profitentium fidem , doctrinamque Chriſti ſupremi Capitis Eccleſiae* ; *atque Paſtoribus legitimis ejuſdem Eccleſiae obtemperantium. In Paſtoribus* autem iis *primum poni noſtrum Sanctum Patrem Papam Vicarium Jeſu Chriſti , Succeſſorem S. Petri , & viſibile Caput Eccleſiae* &c. Non diſcrepant, quæ Jacobus Benignus Boſſuetius Catechiſmis ſuis complexus eſt, eoque in primis, quem de *Expoſitione Fidei Eccleſiae Catholicae* , deterrendorum ab errore Proteſtantium gratia, edidit; e quo quidem Catechiſmo memini me ſupra deſcripſiſſe inſignem locum. Quid? Si illi pauci Antiſtes, qui contra jus, faſque in Collegas ſuos, inque Pontificem etiam Maximum, doctrinae cauſſa, impetu quodam concitari ſe, ferrique tranſverſos ſiverant, in ſuis Litteris Paſtoralibus, etſi plebibus ſibi cre-

(1) Pag. 65. „ C' eſt l'aſſemblée de tous les Fideles Chré-
„ tiens qui ſont profeſsion de la foy, & doctrine de Jeſus Chriſt,
„ ſouverain Chef de l' Egliſe , & qui obeiſſent aux Paſteurs le-
„ gitimes de cette meme Egliſe . Qui ſont les Paſteurs de l'
„ Egliſe? C' eſt premierement notre Sainte Pere le Pape , Vi-
„ caire de Jeſus Chriſt , Succeſſeur de S. Pierre , & Chef viſi-
„ ble de l' Egliſe &c. „

creditis rationem exponere ſunt conati reſiſtentiae, & appellationis ad futurum Concilium injuſtae ſuae; id tamen dogma premendum ſilentio non putarint? In his Epiſcopus fuit Boloniensium, qui an. 1713. Septembris octavo die ſcripſit hoc modo (1): *Nol-*

(1) Mandement & Inſtruction de Monſeigneur l' Eveſque de Boulogne au ſujet de l' appel qu' il a interjette conjointement avec Meſſeigneurs les Eveques de Mirepoix, de Senez, & de Montpelier au futur Concile General de la Conſtitution de N. S. P. le Pape Clement. XI. du 8. Septembre 1713. Edit. Pariſ. 1717. pag. 18. quo loco is Antiſtes ſic habet: „ Nous ne „ croyons pas, mes chers Freres, que perſonne puiſſe penſer, „ qu' en vous repreſentant, comme nous venons de faire, avec „ ſimplicite les ſaintes prerogatives de l' Egliſe Catholique ... „ nous aions VOULU OTER A NOTRE SAINTE PERE „ LE PAPE AUCUNS DES PRIVILEGES QUI LUI AP„ PARTIENENT VERITABLEMENT. A Dieu ne plaiſe, „ que nous aions ſeulement la penſée d' OBSCURCIR par le „ moindre nuage LA GLOIRE DE SA PLACE EMINENTE, „ NI DE DIMINUER EN RIEN LA VENERATION PRO„ FONDE, ET LA SOUMISSION PARFAITE QVE NOUS „ LUI DEVONS TOUS, SUIVANT LES REGLES DE L' „ EGLISE. NOUS RECONNOISSONS AU CONTRAIRE „ QUE LES PREROGATIVES ATTACHEES A SA PER„ SONNE, ET A SON SIEGE SONT TRES-GRANDES ET „ TOUTES DIVINES PARCE QU' ELLES SONT DE „ L' INSTITUTION MEME DE JESUS CHRIST. NOUS „ SCAVONS QU' IL EST ASSIS DANS LE CHAIRE DE „ S. PIERRE QU' IL EN EST LE SEUL & LEGITIME „ SUCCESSEUR ENTRE TOUS LES EVEQUES, ET QUE „ PAR LA IL PARTICIPE AUX GLORIEUSES PREEMI„ NENCES QUE LE FILS DE DIEU A DONNE AU PRE„ MIER DE SES APOTRES. IL EST DONC COMME LUI „ LE PREMIER PASTEUR DE DROIT DIVIN, NON „ SEULEMENT D' UNE PRIMAUTE D' HONNEUR &c. „ DE PRESEANCE, MAIS D' UNE PRIMAUTE DE JU„ RISDICTION ET DE DIRECTION: IL EST LE PRE„ MIER EVEQUE, LE PREMIER VICAIRE DE JESUS „ CHRIST EN TERRE; LE PREMIER PONTIFE MIS „ PAR JESUS CHRIST A LA TETE DE TOUT LE TROU„ PEAUET DES PASTEURS MEMES, DONT LA SIE„ GE EST LE SYMBOLE DE L' UNITE DE L' EGLISE, „ ET EST AINSI UN AVERTISSEMENT A TOUS LES „ EVEQUES DE N' USER DE LEUR MINISTERE, QUE „ POUR L' UNITE. LA FOI CONFESSE TOUT CELA, & „ il

Nolle ſe ulla eorum privilegiorum, quæ ad Pontificem revera ſpectent, Pontifici eidem detrahere. Ne cogitationem quidem umquam incidiſſe ſibi obſcurandae gloriae eminentis loci, quem Petri Succeſſor occupat; *aut imminuendae venerationis profundæ, perfectaeque ſubmiſſionis, quæ ipſi ab omnibus debetur, ut regulae Eccleſiae poſtulant. Agnoſci e contra ab ſe praerogativas ejus Perſonæ, Sedique adnexas, quæ maximæ ſunt, planeque divinæ, ut quae inſtitutionis ſint Jeſu Chriſti. Non ignorare ſe, in Petri ipſum Cathedra ſedere; ſolumque ipſum ex Epiſcopis omnibus, & legitimum* Petri ejuſdem *Succeſſorem eſſe; indeque glorioſarum praeminentiarum participem, quas Dei Filius conceſſit primo ſuorum Apoſtolorum. Itaque eſſe ipſum, ut ille fuit, divino jure, Paſtorem primum, non primatu honoris, & praeſidentiae ſolum; ſed juriſdictionis etiam, & directionis. Eumdem primum Epiſcopum, primum Vicarium Jeſu Chriſti in terris eſſe, primum Pontificem præfectum a Chriſto Gregi univerſo, ipſiſque Paſtoribus. Ejus præterea Sedem Symbolum eſſe Eccleſiaſticae unitatis, monitionemque Epiſcopis omnibus, ut ne miniſterio utantur ſuo, niſi ob unitatem.* ID TOTUM CONFITERI FIDEM; NEQUE ID IPSI AB ULLO IN CONTROVERSIAM, PRÆTERQUAM AB HÆRESI,

„ il N'Y A QUE L'ERESIE QUE OSE LE LUI CONTESTER „.

RESI, REVOCARI. Bolonienſi & conſiliis iiſdem, & dignitate Collegae plane conſonant Antiſtites, qui tunc erant, Mirapicenſium, Monſpelienſium, Senecenſium, Virdunenſium, Appamienſium, quorum hac de re inſignia praetermittam loca (1), ne ſim in re non neceſſaria longior. Quo etiam in genere confirmati majorem in modum Parochi Pariſienſes a Cardinali Noailleſio fuerunt, qui tunc apud ipſos Archiepiſcopi ſuſtinebat dignitatem (2). Nam ſcriptum ab iis fuiſſe in hanc ſententiam video (3). *A Patribus nos,*

---

(1) Hi in ipſo etiam ſuae (Appellationis Actu, Diei 1. Martii an. 1717.) „ Paſtoralis officii ſollicitudinem poſtulare „ (ſcripſere) ut ET DEBITAM AUCTORITATI SVMMI „ PONTIFICIS, QVI PRIMATVM HABET A CHRISTO „ IN VNIVERSA ECCLESIA, REVERENTIAM, ET IN„ DIVISAM VNITATIS ECCLESIASTICÆ CONJVNCTIO„ NEM; NVSQVAM QVOAD POSSINT, (Epiſcopi) VIO„ LARI PATIANTVR &c. „ pag. 5. & pag. 16.

(2) Is Epiſt. ab ſe, aliiſque Epiſcopis octo ad Clem. XI. P. M. ſcripta die 5. Febr. an. 1714. „ Præcipuum illud eſt a „ primæ Sedis decus, inquit, ut ad ipſam tamquam unitatis, „ & veritatis centrum ceteræ conveniant &c. „ In ſuo (Appellat. Actu 3. April. 1717. pag. 1. „ Plein, inquit, d'une ve„ neration ſinguliere pour celui que la Divine Providence a „ eleve ſur la Siege Apoſtolique, que nous reverons com„ me le Succeſſeur du Prince des Apotres, auquel le Primau„ te appartient de droit divin dans toute l'Egliſe „.

(3) In eo libello, quem inſcripſere: „ Apologie des cu„ rez du Dioceſe de Paris contre l'ordinance de Monſeigneur „ l'Archeveque de Reims du 4. Janvier 1717. Cap. VIII. pag. „ 48. les SS. Peres de l'Egliſe, auſſi-bien que les Conciles, & „ les livres ſaints nous apprennent, que pour maintenir la „ concorde & l'union dans l'Egliſe, Jeſus Chriſt a voulu y „ etablir un premier Eveque, dont le ſiege fut le centre de „ l'unite ... Ils nous enſeignent qu'à la verité la puiſſance „ du Chef eſt ſuperieure a celle de chacun des membres en „ particulier, puiſque le Chef a recu des J. C. une primauté d' „ honneur, & de juriſdiction pour veiller dans toute, l'eten„ due

nos, ab Synodis, a ſacris denique Libris doceri, Chriſtum, ſervandae concordiae, atque unionis cauſſa, ſtatuere unum voluiſſe Epiſcopum primum, cujus Sedes centrum unitatis eſſet. Jam vero *poteſtatem* CAPITIS *Superiorem eſſe revera illa, quae cuique membrorum, in particulari*, ut ii quidem ajunt, *inſit*. *Nam id Caput* (Pontificem autem Romanum intelligunt) *a Chriſto primatum accepiſſe honoris, &* JURISDICTIONIS, *ut vigilantia ſua retineri in univerſa, qua late patet, extenditurve, Eccleſia fidem, unitatem, ſacrorumque canonum obſervationem curet*. Sorbonæ quoque, ſeu Facultatis Theologicæ Pariſienſis, etſi id item ætatis Decretis Pontificiis reſiſtentis, hæc tamen continuatio doctrinæ fuit (1), *articulum ſibi eſſe fidei: juriſdictionis, ac poteſtatis judicium ad Romanum Pontificem pertinere; idque ei judicium competere, qua ſucceſſor eſt Petri in Cathedra, quae centrum eſt unitatis, cui Chriſtus in univerſa Eccleſia ordinis, & poteſtatis primatum affixerit*

„ due de l' Egliſe au maintien de la foi, & de l'unite: auſsi „ bien qu'a l' obſervation des Ss. Canons.

(1) Vide la Defenſe de l' Univerſite contre un Memoire de „ quelques Prelats de France. A Paris 1717. „ pag. 33. „ NOVS „ REGARDONS COMME VN ARTICLE DE FOY, QVE „ LE JVGEMENT DE JVRISDICTION, & DE PVISSAN- „ CE APARTIENT a l'Egliſe, AV PAPE, & a CHACVN „ DES Eveques... Ce jugement appartient AV PAPE, en „ tant qu' il a ſuccede à Saint Pierre dans la Chaire, qui eſt „ le centre de l' unité, a la quelle J.C. a attaché une Primau- „ té de rang, & de PVISSANCE dans toute l' Egliſe &c. „

legarum voluntate auditus eſt (1). Eorum autem, quæ tunc is ad rem noſtram præclare dixit, hæc fuit ſumma (2): *Aeterni ædificii fundamentum æternum eſſe oportere. Quare providendum, ne quis dicat, Miniſterium hoc Petri* (hoc eſt, ut ſit fundamentum Eccleſiæ) *cum Petro deſiiſſe. Petrum in Succeſſoribus ſuis non victurum modo; ſed etiam ſemper loquuturum, manſurumque in Succeſſoribus ipſis ſuis fundamentum fidelium. Dictum id ab Jeſu Chriſto fuiſſe. Romam fuiſſe praedeſtinatam, ut Eccleſiae Caput eſſet. Quare aeternam eſſe Cathedram conſtitutam Romae. Hanc Romanam ipſam eſſe Eccleſiam, quæ a Petro, ejuſque Succeſſoribus edocta, nihil agno-*

 ſcit

(1) Vide Epiſtolam Cleri e Comitiis an. 1632. ad Epiſcopos Regni Galliarum data, qua in Epiſtola fit Boſſuetianæ Orationis cum laude mentio, ac ſi ipſa apertum os fuerit Comitiorum.

(2) „ Qu'on ne diſe point, que ce miniſtere de S. Pierre „ finiſſe avec lui. Ce qui doit ſervir de ſoutien à une Egliſe „ eternelle, ne peut jamais avoir de fin. Pierre vivra dans ſes „ Succeſſeurs, Pierre parlera toujours dans ſa Chaire... RO- „ ME EST PREDESTINE A ETRE LE CHEF DE LA RE- „ LIGION, ET DE L'EGLISE... Ainſi fut établie & fixee „ a Rome la Chaire eternelle. C' eſt cette Egliſe Romaine, qui „ enſeignee par S. Pierre, & ſes Succeſſeurs, ne connoit point „ d'hereſie ... Pierre DEMEURE DANS SES SVCCESSEVRS „ LE FONDEMENT DES FIDELES. C'EST JESVS CHRIST „ QVI L' A DIT... ROME N' EST PAS EPVISEE DANS „ SA VIEILLESSE, & SA VOIX N' EST PAS ETEINTE. „ Nuit & jour elle ne ceſſe de crier aux peuples les plus eloi- „ gnes, afin de les appeller au banquet, où tout eſt fait un. S. „ Irenee a prononce cet oracle revele de tous les ſiecles : „ AVEC CETTE EGLISE toutes les Egliſes doivent s' accor- „ der, a cauſe de ſa principale, & excellente principaute... „ Quiconque ne s' accorde pas avec l'Egliſe principale, eſt con- „ fondu ſans diſcuſsion. Il s'écarte du centre immobile... Mais „ qu' y auroit-il de plus inſenſe, & de plus impie, que de „ dire, que toutes les Egliſes doivent s'accorder avec celle ci; „ ſuppoſé que celle-ci eut frappé pluſieurs verites &c. „

ſcit hæreſeos. Romae neque debilitatam ſene-ctute auctoritatem eſſe, neque extinctam vocem. Pergere ipſam gentes etiam, quæ a nobis diſ-junctae longis terrarum intervallis ſint, vo-care ad convivium unitatis. Jam Irenaei hanc eſſe doctrinam: ad eam Eccleſiam omnem Eccle-ſiam convenire neceſſe eſſe, propter præcipuam ejus, atque excellentem principalitatem. Quare eum, cui cum hac Eccleſia non conveniat, confundi ſine diſcuſſione, longeque ab immoto centro re-cedere. At ſi quid ea docuiſſet, aut doceret contra veritatem religionis, quo tandem modo dicere quiſquam, niſi inepte, impieque poſſet: cum ipſa convenire quamlibet Eccleſiam oporte-re? De Gallis, etſi multo plura ſuppetunt; ſatis tamen hæc dicta ſunto.

Idipſum fit ab ceteris Catholicis Gentibus.

VI. De Gentibus orthodoxis reliquis hoc breve dicam: nullum ad hæc uſque tem-pora earum fuiſſe librum longe etiam mi-norem tuo, in quo (ſi una Chriſti Eccle-ſia deſcriberetur) non fieret explicata Romani Pontificis ut *viſibilis Capitis*, vel ut *Primatis*, vel ut *Centri* unitatis catholicæ mentio. De Germanis, Germanus cum ſis, nihil eſt, Febroni, cur dubites. Non enim te latet, quid, non fuſiores modo eorum de Eccleſia tractationes; ſed vel ipſi etiam libelli Catechiſmorum (1) ferant, quos ii-dem

(1) Mitto ceteros, ne nimius ſim. Unum commemorabo inſcriptum: „Summa Doctrinæ Chriſtianæ per quæſtiones tra-„ dita,

dem, Parochis ad inſtituendos Religionis doctrina pueros proponunt. Neque enim tam inaniter timidi Germani ſunt, quam eſſe te profitere, ut alicubi eſſe ſibi a commemorando catholico dogmate, quod eſt *de Capite viſibili, Centroque Eccleſiae*, ſuperſedendum exiſtiment, ac ſi metuendum ſit, ne qua ipſis a quoquam noſtrum lis intendatur. Hoc idem de Pannoniis, de Bohemis (1), de Polonis (2), de Belgis (3), de Hiſpa-

 nis

„ dita, & in uſum Chriſtianæ pueritiæ nunc primum edita „ juſſu, & auctoritate Sacratiſsimæ Rom. Hung. Bohem. &c. „ Regiæ Majeſt. Archiducis Auſtriæ &c. 1558. „ In hujus pag. 51. ſic lego: „ Age vero quid eſt Eccleſia? Eccleſia eſt omnium „ Chriſti fidem, atque doctrinam profitentium univerſitas, quam „ Princeps ille Paſtorum TVM PETRO APOSTOLO, TVM „ HVJVS SVCCESSORIBVS PASCENDAM TRADIDIT, & „ GVBERNANDAM „. Eodem ſpectant, quæ in Catechiſmis Romano, Petri Soti, Caniſii, aliorumque continentur, qui quidem Catechiſmi ab Synodis Germanicis Salisburgenſibus, Moguntinis &c. ad tradendum Chriſtianis plebibus proponuntur. Wallemburgici Fratres Epiſcopi alter Adrianopolitanus Suffraganeus Colonienſis, alter Myſienſis Suffraganeus Moguntinus Parte III. de Vocatione extraordinaria Cap. VIII. pag. 170. Tom. II. Controverſiar. Edit. Colon. an. 1670. „ Supponimus „ nos, inquiunt, de quo NVLLVS AMBIGIT CATHOLI- „ CVS, ROMANVM PONTIFICEM ESSE PRÆPOSITVM „ TOTIVS ECCLESIÆ, & Epiſcopos particularium Eccleſia- „ rum Præpoſitos. „Addunt: „Eſſe de NECESSITATE SALV- „ TIS, ut omnis creatura ſubſit Romano Pontifici TAMQVAM „ PASTORI VNIVERSALI ECCLESIÆ, & Epiſcopis ſuarum reſpective Dioeceſium, quorum LEGITIMA INSTITV- „ TIO, & POTESTAS EST TESTATISSIMA &c. „

(1) De Pannoniis, & Bohemis conſtat ex iis, quae modo e Catechiſmo magnorum virorum opera conſcripto, Epiſcopis probato, juſſuque Ferdinandi Regis Romanor. edito, deſcripſi adnotatione ſuperiore.

(2) Polonorum Antiſtites Catechiſmum Romanum Parochis ad explicandum populo proponunt. Vide Synod. Provincialem Gneſnenſem an. 1607. Edit. Cracov. an. 1630. Tit. de doctrina Fidei tradenda: & Synodum Petricovienſem an. 1589. Tit. de Parochorum Officio num. 7. & quæ nos copioſe adnotavimus Tom. I. Operis „ De SS. Veter. Teſtam. ante Chriſtum „ expertibus beatae viſionis Dei „ pag. 349. ſqq.

(3) De Belgis confer Concilium Mechlinienſe an. 1570. Tit. de

nis (1), de Luſitanis (2), de ceteris denique, quos ne nominare quidem vacat, dicen-

---

de Decanis &c. Cap. IX. pag. 1194. Tom. X. Concilior. Edit. Pariſ. an.1714. & Catechiſmum Archidioeceſeos Mechlinienſis, & ſeptem Dioeceſeon Gandavenſis, Brugenſis, Yprenſis, Antuerpienſis, Ruremundenſis, Namurcenſis, & Buſcoducenſis excerptum ex Catechiſmo Romano, plurieſque in Belgio editum.

(1) Longum eſt de Synodis quibuſque, & Catechiſmorum libellis Hiſpanicis agere. In Conſtitutionibus Tarraconenſibus Barcinonæ editis an. 1557. extat libellus inſcriptus ,, Chri- ,, ſtiani hominis pia inſtitutio ,, . In Explicat. Artic. IX. Symboli Apoſtolici : ,, Credo Sanctam Eccleſium Catholicam pag. 221. ,, hæc leguntur : ,, Vna eſt ex una fide, per unam cari- ,, tatem, in una ſpe vocationis, in uno grege, in uno ovili, ,, ſub uno Paſtore, SVB VNA CATHEDRA ,, . In Conſtitutionibus Synodalibus Archiepiſcopi Caeſaraugustani Johannis Cebrian. an.1656. Punct.1. ,, Lo que ſe deve creer ,, pag.3. verſa, hæc habentur de Eccleſia ,; Dexola Jeſu Chriſto encomenda- ,, da al Apoſtol S. Pedro, y a ſus Suceſſores para que la apa- ,, centaſſen, y governaſſen, y nueſtro Ss. Padre Alex. VII. ,, que oy felizmente la govierna preſidiendo en la Cathedra, ,, y Silla de S. Pedro, es Vicario de Jeſu Chriſto nueſtro Se- ,, ñor, y ſu governador en la tierra ; y es Cabeca, y Lugar- ,, teniente viſible deſte cuerpo myſtico &c. ,, In Conſtitutionibus Synodalibus Archiepiſcopi Burgenſis Franciſci Pacheci an. 1577. lib. 1. Tit. de Summa Trinitate, & Fide Catholica pag. 10. eadem omnino extant ; ut & in reliquarum Eccleſiarum Catechiſmis, ac Synodis, e quibus ne deſcribam loca, brevitas operis eſt impedimento.

(2) Vnum hic omnium maxime commemorabo Bartholomæum de Martyribus Archiepiſcopum Bracharenſem, quem commendat & inſignis doctrina, & ſingularis vitae integritas, quemque Luſitani ſuſpiciunt, tuque ipſe perſaepe admirare, & cujus laudes nulla umquam aetas conticeſcet. Eſt hujus Catechiſmus Lisbonæ editus an. 1566. hoc titulo : ,, Cate- ,, chiſmo ou doutrina chriſtiaã & praticas ſpirituaes, orde- ,, nado por Dom Frey Bartolameu dos Martyres, Arcebiſpo, ,, Señhor de Braga, Primas das-Eſpanhas: impreſſo por mandado ,, del Rey noſſo Senhor, pera uſo dos Sacerdotes que tem ,, carrego dalmas nas Igrejas que ſam de ſua obrigacaõ &c. ,, In hujus Catechiſmi Lib.I.Cap. XIII.fol.XXVII. & XXVIII. ſq. de Eccleſia Militante ſic habetur : ,, Hæc unitas Eccleſiae conſiſtit in ,, hoc, quod omnes Chriſtiani teneant unam fidem, credant, & ,, confiteantur eoſdem articulos, & doctrinam Eccleſiæ, & ,, concordent iiſdem in Sacramentis, ſpeciatim in Sacrificio ,, Miſſæ : quæ unitas non poſſet retineri, & conſervari, niſi ,, Chriſtus reliquiſſet in terris unum Caput, & Vicarium ſuum, ,, cui omnes Chriſtiani obedire tenerentur : Hic Vicarius fuit ,, Apoſtolus S. Petrus, & poſt illum omnes ejus legitimi Suc- ,, ceſſores præſidentes in Eccleſia Romana. ,, Eſta unidade da ,, Ygre-

cendum omnino erit. Non committes autem, opinor, ut (ne quidquam grave praeteriiſſe tacitus videare) illud iteres, quod alicubi alia de re diſputans ſcribis: hanc doctrinæ inſtitutionem *non eſſe amplius de tempore* (1). Quo enim modo id tu Catholicus Catholicis non dubites dicere, quibus certum eſt, doctrinam fidei immutari diuturnitate non poſſe? Fuerit iſta in hereticorum perverſitate licentia, ut (S. Hilario Pictavienſi (2) teſte) religionem temporibus metirentur; *ac nova potius conderent, quam accepta retinerent; nec veterata defenderent, nec innovata firmarent; facerentque fidem temporum potius, quam Evangeliorum, dum ab* ipſis *& ſecundum annos deſcriberetur, & ſecundum confeſſionem baptiſmi non teneretur.* Catholicis quod fidei ſemel fuit, id ſemper erit fidei, ſi modo perſeverare in ea, quam ab Apoſtolis, Patribus, Eccleſiaque acceperint, diſciplina, profeſſioneque doctrinæ velint.

 Vi-

„ Ygreja consiſte niſto qhe todos os Chriſtãos terem hũa só
„ fee, crerẽ, & confeſſarem os meſmos artigos & doutrina
„ da Ygreja & concordarẽ em os meſmos Sacramentos, eſpecial-
„ mente no Sacrificio da Miſſa: a qual unidade não ſe pode-
„ rareter, & conſervar, ſe Chriſto não doixara nas terras
„ hũa Cabeca & Vigayro ſeu ao-qual todos os Chriſtãos foſſem
„ obrigados obedecer ... Eſte Vigayro foy o Apoſtolo Sam Pe-
„ dro, & deſpois delle todos os ſeus legitimos Succeſſores Pre-
„ ſidentes em a Ygreja Romana „.

(1) Febr. T. IV. p. 216.

(2) Lib. II. ad Conſtantium n. IV. pag. 1227. Edit. Pariſ. an. 1693.

Video, quid poſſis opponere. Satis te perſpicue, non modo ſexcentis in locis Libri Singularis: *De Statu Eccleſiæ*; ſed etiam in Præfatione ipſa tua, de *Cathedra Petri*, deque *Romano Pontifice* fuiſſe loquutum, dices. Huic te *Primatum* adſeruiſſe, *Centrique Catholicæ unitatis* decus, a quo quidem *Centro* ſejungi nemini liceat. *Petram* item ipſum eſſe, affirmaſſe, cui tute *adhaereas*; *Caput* præterea *Eccleſiæ viſibile*, *Vicarium Chriſti gregis curam habentem*, *Succeſſorem Principis Apoſtolorum*, *cujus non ſint minuenda jura*.

Jam iſta cujuſmodi ſint, teneo. At erat, mihi crede, abs te omnino definienda Eccleſia. Non enim ſperandum erat, ad eam unitatem Eccleſiæ Catholicæ, quam tibi ipſe conſtituiſſes, reduci Proteſtantes poſſe, quibus non ante explicaviſſes, quæ iſta ſit, quam tibi animo informaſſes, Eccleſiae Catholicae unitas. Ac ſi mancam attuliſſes definitionem, facile equidem paterer; modo tamen, nihil umquam circuitione uſus, tibique perpetuo conſtans, iſta plane catholice poſtmodum adieciſſes, quæ ſunt de Primate, de Centro, de Capite &c. Sed qui volumina ipſa quinque tua verſant, in illis (pace tua dicam) vix quidquam ab ſe minus deprehendi, ſi candide loqui velint, confitebuntur, quam ſtabilitatem ſententia-

rum,

rum, dictorumque conſtantiam. Non enim ſolum quæ in tuis ipſis voluminibus ſæpe de Succeſſore Petri, de Primate, de Centro &c. ſcribis, abs te haud raro incredibilem in modum extenuari; ſed interdum etiam funditus, contra atque catholicum dogma poſtulet, tolli cernunt. Quod ſi neges, tu ipſe volo periculum facias. Non enim dubito, quin, cum fide te agere bona predices; vera ipſos cernere, experiens fateare.

§. IV.

Eccleſiam Collegium, non Statum eſſe, Febronius, Puſendorſium hæreticum hominem ſequutus, ſcribit.

VII. MEminiſti, opinor, eorum, quæ extremo §. XII. Capitis II. Libri Singularis tui *de ſtatu Eccleſiæ* continentur. Sunt autem illa hujuſmodi (1): „Expectabit haud dubie lector, ut nunc accurate definiamus, quæ in hac *Civitate Dei* (ſic eam S. Auguſtinus vocat) „dicenda ſit vigere Regiminis formula. „Quiſquis a nobis hoc interrogat, NON SUCCENSEAT, ſi ei reſpondeamus cum viro „ſacris quidem Proteſtantium addicto, re-

Certam nullam Regiminis formam in Eccleſia dari Puſendorſius ſtatuit. Nam Eccleſiam Collegium, non Statum eſſe, animadvertit. Hanc ſententiā Catholicam eſſe ait Febronius, eoſque inſectatur, ac vexat, qui contra ſtatuunt.

(1) Pag. 127. Edit. Bullioni an. 1763.

„ rerum politicarum cum primis perito , „ ATQVE IN HAC PARTE VERA TRADENTE : *In* „ *Eccleſiis formandis non opus eſt Decreto* SU- „ PER CERTA REGIMINIS FORMA INTRODUCEN- „ DA ; ABSURDAEQUE SUNT QUÆSTIONES , MO- „ NARCHICA , ARISTOCRATICA , AN DEMOCRA- „ TICA FORMA COMPETAT ECCLESIÆ . *Hæ quip-* „ *pe formæ cadunt* IN STATUM ALIQUEM , SEU „ CIVITATEM ; ECCLESIA AUTEM STATUS NON „ EST . Ita Samuel a Pufendorf in libello de „ *habitu Religionis Chriſtianæ ad vitam civilem* „ *ſ. XXXII. pag.* 139. „ . Horum ſunt ſimilia (nolo enim gravius dicere) , quæ comprehendiſti Volumine ſecundo tuo , in *Animadverſionibus* in *Judicium Academicum Colonienſe n.* v. (1) : „ Apagite , quæſo „ (inquis , Colonienſis Academiæ Theologos vexans) „ apagite , quæſo , cum formis , & ſyſtematibus veſtris Ariſtotelicis , quæ ad Statum , & Regimen Eccleſiæ æque parum „ quadrant , & huic tam inepte applicantur , ac pugnus ad oculum , ut eſt in „ proverbio „ . Poſtea vero quam in ROMANORUM , ut dicis , Decretales , Barthelio , Zallweinioque incentoribus, invectus arciter es; tum adjungis : „ Vultis ne , Domini mei , „ ex horum hominum præjudiciis , ac placitis figere , & determinare formam RE-

GIMI-

(1) Nota c. pag. 40. Edit. Francofurt. an. 1770.

„ CIMINIS SACRI ? Vultiſne deinceps (quod
„ hactenus feciſſe videmini) eorumdem
„ normam ſtudendi , & inſtruendi imitari ?
„ Aut quando dabitur vobis rumpere vin-
„ cula ſive ignorantiæ, ſive præventionis,
„ ſive ſervitutis, ut in honeſtam liberta-
„ tem vindicemini... Res mira ! Majores
„ veſtri ante tria ſecula, in aevo ignoran-
„ tiæ, laudem doctrinæ merebantur : vos
„ in ſeculo docto, decus eruditionis amit-
„ titis „. Bona verba, obſecro. Et is ta-
men tu es , qui cum iſta in alios jacias ,
tum nihil in te ſcribi rogas aſperius. Sed
pergam . In Volumine ipſo ſecundo, quo
loco, depoſito Juſtini Febronii, aſſumtoque
Joannis a Calore nomine, Apologiam adver-
ſus IV. Theologos texis eorum, quæ I. tuo
Volumine comprehenderas (1) . „ Eodem,
inquis, ſpiritu animati (Theologi illi) in-
„ dignantur Febronio, quod aliquos Scripto-
„ res hæreticos citaverit. Fecit id ille,
„ ni fallor, bis, vel ter : ſcilicet Cap. II.
„ §. XII. n. 6. Allegavit Puſendorfium
„ Juriſconſultum, & Cap. VII. §. VIII.
„ n. VII. Pfaffium THEOLOGUM. CUM ILLO
„ DIXIT, ABSURDUM ESSE QUÆRERE, MONAR-
„ CHICA, ARISTOCRATICA, AN DEMOCRATICA
„ forma competat Eccleſiæ. Cum hoc, ha-
„ bere

(1) Artic. I. n. 6. pag. 167. ſq.

„ bere Papam in Statu, & Ordine Mona-
„ chorum exercitum ad ſua imperia devo-
„ tum per omnes Eccleſias diſtributum;
„ hanc Papæ militiam poſſe Principum
„ commodis eſſe adverſam. UTRUMQUE POS-
„ SUNT DICERE BONI CATHOLICI; utrumque
„ ſemper DICENT BONI POLITICI „. Rurſum in eo opuſculo, quod, *Flores Sparſi ad Juſtinum Febronium*, inſcripſiſti Cap. II. §. V. „ Dixerat, *inquis*, Febronius Cap. II. §. 12. „ *n.* 6. cum Samuele Puſendorſio, nullam „ ex tribus Regiminis formis Ariſtotelicis „ Monarchicam, Ariſtocraticam, & Democraticam convenire Statui Eccleſiæ; „ neque huic per rerum naturam poſſe ap- „ plicari; SIQUIDEM HAE FORMAE SOLUM CA- „ DANT IN STATUM CIVILEM, SEU POLITICUM, „ QUALIS NON EST ECCLESIA „. Cumque objectum tibi eſſet, unius te hæretici hominis, firmandae iſtius opinionis tuae cauſſa, auctoritate uti, quae Orthodoxae de Hierarchia Eccleſiaſtica doctrinæ repugnet; expedire te inde facile putaſti poſſe, ſi confidenter reſpondiſſes. „ non debuiſſe ignorare „ (Puſendorſium) in quo differat regimen „ Imperiorum, & Regnorum a guberna- „ tione Eccleſiæ, etiam Catholicæ „. Atqui non hoc quærimus, mi Febroni, norit ne ille, an ignorarit, quae ſit *Eccleſiæ Catholicæ gubernatio*. Noſſe namque ipſum non aegre

aegre patimur ; ſed hoc quaerimus , probaritne , quam ille norit , an oppugnarit Catholicæ Eccleſiæ gubernationem . Ego vero non modo hanc oppugnatam hæreticum in modum , atque reprobatam; ſed id etiam directionis genus Eccleſiæ attributum ab eo fuiſſe demonſtrabo,quod ne Proteſtantes quidem magnam partem ferendum arbitrentur. Verum hac de re diligenter non multo poſt agam . Nunc quid addas , conſideremus . Eum , qui fidere te homini a ſacris catholicis abhorrenti , conqueſtus ſit „ Cavillari , „ *inquis* , ſententiam CATHOLICAM viri docti , „ licet non Catholici„ . Pergis vero in accuſatorem ipſum tuum ſcribere : „ Dicat ille, „ quantum volet , Eccleſiam eſſe Statum , „ ſeu Regnum ſpirituale; eam quidem eſ- „ ſe in Imperio , Regno , ſeu quovis Statu „ politico ; ſed ſicut in corpore eſt anima. „ Haec omnia numquam dabunt juſtam de „ forma , ſeu de Statu Eccleſiae ideam . Nos „ ſemper dicemus , quemvis Epiſcopum a „ Deo conſtitutum eſſe ad regendam Eccle- „ ſiam ſuam : Nullum dari Epiſcopum uni- „ verſalem : Romanam Eccleſiam eſſe cen- „ trum unionis : Petri Succeſſori a Deo „ commiſſam eſſe ſuperintendentiam , ſeu „ ut Sanctus Bernardus loquitur , ſollicitu- „ dinem ſuper omnes Eccleſias , quam ju- „ xta præſcriptum Canonum explere de-

„ bet:

„ bet: Corpus Eccleſiae ſive adunatum, ſi-
„ ve diſperſum gaudere infallibili Spiritus
„ Sancti adſiſtentia . Haec autem omnia
„ nequidquam habent COMMUNE, vel ANA-
„ LOGUM ad Politica Syſtemata Monarchiae;
„ Ariſtocratiae, Democratiae (1) „. Capite VIII. §. II. (2) Febronius, inquis,
„ ſuſtinuit nullam Ariſtotelicarum forma-
„ rum Statui Eccleſiae convenire. Idem
„ thema urſit Johannes a Calore (*qui idem,*
„ *atque tu ipſe, eſt*): Haec, puto, nullum
„ Gallum offendent „. Id ego poſt videro. Tomo autem III. (3) in ea *Defenſione* tui, quam a *Daniele Bertonio* perſcriptam fuiſſe ſimulas, *Titulo* II. nullam item eorum regiminum formam, non *Monarchicam*, non *Ariſtocraticam*, non *Democraticam*, non *mixturis temperatam* cadere in Eccleſiaſticam divinam Rempublicam poſſe ſtatuis; ſed unam *Hierarckiam*, cui *majoritas*, ut eſt in Jure Canonico, competat, non *majeſtas* (4). Denique cum graviter tuliſſes, animadverſum ab adverſario tuo, neſcio quid *mutationis* in ſecundo Volumine, ſeu, uti ſcribis, *receſſum ab eo, quod primo Tomo ſtatueras*; in eumque propterea paullo vehementius invectus eſſes; tum „ dixerat, *inquis*, verbis
„ Pu-

---

(1) Tom. II. pag. 331.
(2) Tom. II. pag. 531.
(3) Tom. III. §. I, pag. 31. (4) De hoc dicam alibi fuſius.

„ Puſendorfii (*Febronius*) *has formas ca-* „ *dere in Statum aliquem* , *ſeu Civitatem* ; „ *Eccleſia autem Status non eſt* . Quid per „ verbum Status Puſendorfius hoc loco in- „ tellexerit, ſatis explicat per verbum *Ci-* „ *vitas* . *Status* , inquit , *ſeu Civitas* . Ci- „ vitas autem Civilem Statum , ſeu Rem- „ publicam proprie ſignificat . Neque ob- „ ſtat , quod S. Auguſtinus Eccleſiam *Civi-* „ *tatem Dei* nuncupaverit; id enim non in „ proprietate verbi , ſed comparative di- „ ctum , nemo ambigit (1) „ .

Jam de *Collegio* , fac eorum , quæ extant in Libro Singulari tuo *de Statu Eccleſiae* , recordere . Sunt autem hujuſmodi : „ In nul- „ lo ſtatu monarchico ſubditi umquam di- „ cti ſunt *fratres* ſui Regis , Princeps una „ cum eis membrum Reipublicae . Natura- „ le eſt Eccleſiae , etiam ex inſtituto Chriſti, „ *coire in corpus* , ſeu COLLEGIUM . Non ita „ in Regnis Monarchicis , quorum pauciſ- „ ſimi habent *Status* , ſubditi cum Rege „ tamquam commembro , & conſodali ſuo „ Collegium faciunt , collegialiter delibe- „ rant , ſtatuunt , & definiunt . Quare ex „ communiſſimis omnis juris Collegialis no- „ tionibus , ac regulis , apte DE ECCLESIA , „ tamquam corpore (*ſeu* Collegio , *ut ante ſtatue-*

(1) Tom. IV. Diſſert. I. Cap. II. n. II. pag. 22.

„ *ſtatueras*) dicitur , quod major ſit aucto-
„ ritas corporis , quam cujuſque membri ,
„ etiam primi ; ſecus ac in Regnis , in qui-
„ bus quantum ad adminiſtrationem publi-
„ cam , & directionem univerſi , nihil de
„ Collegio noſcitur (1) „ . Atque hactenus
tu quidem . Non dubito autem , quin haec ,
tu conſiderans (quae ſumma de tuis libris
fide , diligentiaque deſcripta cernis) tua
prorſus eſſe confiteare? Quod vero mones; ut
non *theologico magis* , *quam juridico oculo* hæc
eadem tua *intueamur*; curabitur . Nolo enim ,
quidquam ex me proficiſcatur , quod tibi
ſtomachum moveat. Nam memini quid de uno
aliquo tuorum oppugnatorum hanc ipſam
ob cauſſam querare . Itaque mihi conſulte
cavero . Quamquam non intelligo , cur tu ,
qui de ratione , ſeu *forma* Eccleſiae (ut eſt
a Chriſto conſtituta , utque in Evangeliis ,
ac libris ceteris Novi Teſtamenti , Tradi-
tioneque majorum exhibetur) agas , quod
Theologi plane , non Juriſconſulti eſt ; gra-
viter tamen in Cenſores , reprehenſoreſque
tuos commoveare , qui tua de eadem ratio-
ne , *formave* ſcripta , *theologico magis* , *quam*
juridico oculo contemplentur . Sed iſta tu
quidem videris . Nunc (quod ad me atti-
net) quae tute fuſius perſequutus es , in pau-
ca

(1) Tom. I. pag. 21.

ca conferam, oſtendamque breviter quorſum evadant.

Principio, eos, qui *accuratam* abs te expectent *formulae Regiminis Eccleſiae definitionem*, rogas, ne *ſuccenſeant tibi*, *ſi cum Pufendorfio hac in parte* VERA, CATHOLICA, *a* BONIS CATHOLICIS DICENDA *tradente*, *reſpondeas*. Deinde haec tu ex ipſo deſcribis, quae eo pertinent, 1.° ut Lectoribus perſuadeatur, *nullam certam formam Eccleſiae regendae* dari. Nam ut daretur (praeſertim divinitus inſtituta) fuiſſet profecto ſententia, ſeu *decreto* divino *opus*. At Pufendorfio auctore (a quo tu *hac in parte Vera*, *Catholica*, *a bonis Catholicis dicenda* tradi doces): *in Eccleſiis formandis non opus eſt Decreto* SUPER CERTA REGIMINIS FORMA INTRODUCENDA. Jam ſi nulla *certa* eſt conſtituta Eccleſiae gerendae *forma*, quid reſtat, obſecro, niſi, ut ſi qua demum invaluerit, ea uno arbitratu, uſuque hominum; non inſtituto, decretove ullo, Divino praeſertim, inducta eſſe exiſtimetur? 2.° *Abſurdas adeo eſſe quaeſtiones*, *Monarchica*, *Ariſtocratica*, *an Democratica forma competat Eccleſiae*. Qua ex re quantum exiſtat erroris, quantumque in ſummos viros, inque coetus ampliſſimos Catholicorum redundet injuriæ, unius hæretici hominis cauſſa, ſequentib. §§. demonſtrabitur. Quam quidem injuriam eo abs te inferri video atrociorem, quo illos, qui

Digitized by Google

qui tibi, Puferdorſiana iſta uti vera, atque Catholica praedicanti, obſequi recuſent, abire contemtim jubeas, ac ſi illi Monarchiam, Ariſtocratiamve cum Monarchia conjunctam nominantes, monſtra Ariſtotelica proferant, *quae tam inepte Eccleſiae applicentur, ac pugnus ad oculum*. Qua ſane re, quam te peritum antiquitatis praebueris; quam Patribus, quam Eccleſiae Catholicae obſequentem, poſt item videro. Atque augetur ſane majorem in modum de Opere tuo jamdiu nata opinio, cum fidenter quidem, ſecus atque Monumenta Patrum, Eccleſiaeque Catholicae ratio exigant, vociferere, nihil cum *Monarchia, Ariſtocratiaque commune*, immo ne ANALOGUM quidem *habere* Eccleſiaſticum Regimen. Quae autem eſt cauſſa, quamobrem eas regiminum *formas* accommodari ad *Eccleſiam* non poſſe putes? *Quia*, inquis, *Puſendorſius rerum politicarum cum primis peritus*, cui hoc in genere plurimum *ſemper boni politici* tribuent, *has formas in Statum aliquem, ſeu Civitatem cadere*; *Eccleſiam vero non eſſe Statum* animadvertit; id quod ais *poſſe dici a bonis catholicis*. Verum quid ego *politicum* (habeat quidem politicarum rerum prudentiam quantam voles, ſed ſacris Proteſtantium addictum, & acatholicum in modum de Eccleſia differentem, atque ſtatuentem) morer? Acatholicum, inquam, in

in modum. Nam quemadmodum Eccleſiam *Statum* non eſſe, ſed *Collegium* hæreticis doctrinis, pronunciatiſque fretus conſtituat; mox, non opinione quidem, ſed plane ad veritatem me tibi ſpero perſuaſurum. Quod cum demonſtraro, quid erit, quæſo te, reliquum, niſi ut confiteare probata tibi eſſe veluti *Catholica*, atque ab *Catholicis* de Eccleſia *Collegio*, non *Statu* dicenda ea, quæ non niſi e penu ſint deprompta hæreſeos? Nunc animum adverte.

§. V.

Ulla ne ſit certa a Chriſto inſtituta gerendæ Eccleſiæ ratio? Negat Puſendorſius. Hujus eſſe doctrinam hac de re veram, atque catholicam Febronius arbitratur. Febronii ſecum de re eadem certatio, quæ ſane afferre tegendi erroris excuſationem nullam poteſt.

VIII. Certam quamdam gerendæ Eccleſiæ rationem fuiſſe Chriſti Servatoris Decreto, ſive ſententia inſtitutam, negare quiſquam ſine hæreſeos nota non poteſt. Nam eſt illud a Tridentina Oecumenica Synodo definitum Religionis orthodoxae dogma: *In Eccleſia Catholica Hierarchiam* (quæ ſacer eſt Principatus) *eſſe ordinatione divina in-*

Tridentinæ Synodi, Scripturarumque Novi Teſtamenti auctoritate oſtenditur, chriſtianae fidei eſſe dogma, certam formam regendae Eccleſiae fuiſſe divinitus inſtitutam.

inſtitutam; atque ad *hunc* quidem *Hierarchicum ordinem Epiſcopos præcipue pertinere, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, poſitique ſunt a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei* (1). Quamobrem ſextus eſt ab eadem Synodo Seſſionis XXIII. execrationibus publicis ſancitus Canon in eos, qui contra ſtatuere, aut dicere auderent. Sic autem, uti noſti, is Canon habet: „ Si quis dixerit, in Ec„ cleſia Catholica non eſſe HIERARCHIAM DI„ VINA ORDINATIONE INSTITUTAM, quæ con„ ſtat ex Epiſcopis, & Presbyteris, & Mi„ niſtris; anathema ſit „. Age vero is, qui *ſacrum Principatum Divina ordinatione* inlatum negare, intactus ab hæreſi, nequeat, qui tandem certam ejus quampiam rationem divinitus introductam neget? Nam forma quavis, rationeque principatus ſublata, principatus item funditus tollatur neceſſe eſt; ut quem neſcias, non modo quam late pateat, ſed qui ſit etiam, numque ſaltem nonnihil ſecum importet ſive jurium, ſive poteſtatis. Ac ſi ſtabilem Synodi ejuſdem doctrinam tenebimus (tenenda autem cuique fideliter, conſtanter, religioſiſſime eſt, ni velit ad heterodoxos deficere) componi Eccleſiam ab iis, quorum alii, inſtitutio-

(1) Vide Actor. Apoſtolicor. cap. XX. v. 28. & Synod. Tridentinam Seſs. XXIII. cap. IV.

tutione Divina, *regant*, alii *regantur*, confitendum erit. Non enim omnes Chriſtianos Apoſtolos eſſe, Paſtoreſque voluit Chriſtus; ſed quoſdam, qui cœtibus præſiderent (1), qui valerent aliquo genere auctoritatis (2), qui præcepta conderent (3), ſi

N 2 opus

(1) S. Paulus Epiſt. ad Theſſalonic. I. cap. V. v. 12. rogat Fratres, ut noſcant PRÆSIDENTES ipſis in Domino &c.

(2) Idem Apoſtolus II. Epiſtola ad Corinthios cap. XIII. v. 10. poteſtatem a Chriſto ſuis Miniſtris, Eccleſiæ Præſidentibus datam commemorans, monet, ſibi ut Corinthii ipſi caveant: „ ut, inquit, præſens non SEVERE (ſeu DURIUS) „ AGAM SECUNDUM POTESTATEM, QUAM DEDIT „ MIHI DOMINUS in aedificationem, & non in deſtructio- „ nem „. Adpoſite Tertullianus in V. contra Marcionem Libro cap. XII. „ Formam legis, inquit, adhuc tenet Galatarum „ CASTIGATOR (APOSTOLUS) in tribus teſtibus præfi- „ niens ſtatutum omne verbum, qui NON PARSURUM ſe „ PECCATORIBUS COMMINATUR leniſsimi Dei prædica- „ tor. Immo & ipſam DURIUS AGENDI in præſentia PO- „ TESTATEM A DOMINO DATAM SIBI AFFIRMAT. Ne- „ ga nunc HÆRETICE, timeri Deum tuum, cujus APO- „ STOLUS TIMEBATUR „? Rurſum idem Apoſtolus cap. X. v. 8. IN PARATO ſe, ait, habere „ ulciſci omnem inobedien- „ tiam. Nam si & amplius, inquit, glorier de POTESTATE „ NOSTRA, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, „ & non in everſionem veſtram; non erubeſcam „. Confer quæ ſequuntur. Cujuſmodi autem puniendi ſontes poteſtas hæc erat, quæ timorem incuteret, inque officio homines contineret, niſi exterius etiam ſeſe proderet, fieretque conſpicua? Hoc autem genere poteſtatis cum Apoſtoli valerent, valeantque, qui in ipſorum ſucceſſere locum; quid eſt, quod quiſquam certam quampiam formam gubernandae visibilis Eccleſiæ, continendorumque in officio Chriſtianorum, Domini ſententia, inlatam neget?

(3) Onus aliquod imponendo fidelibus. „ Sarcinam „ vocat Cyprianus Lib. III. Teſtimonior. n. CXIX. pag. 91. Edit. Oxon. an. 1682. „ Pondus „ vertit Irenæi Interpres Lib. III. c. XII. n. 14. p. 199. Edit. Venetæ an. 1732. Jam cap. XV. Actorum Apoſtolicorum v. 28. „ Viſum eſt, inquiunt Apoſtoli, Spi- „ ritui Sancto, & nobis, nihil amplius imponere vobis one- „ ris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis ab immolatis ſimu- „ lacrorum, & ſanguine, & ſuffocato &c. „ Paulus PRÆCEPTA hæc vocat, APOSTOLORUM, & SENIORUM, Actor. Apoſtolicor. cap. XV. v. 41. ut eſt in Vulgata, inque Codici-

opus eſſe arbitrarentur ; quibus obtemperandum ab aliis eſſet (1), quibuſque ceteri ſubjacerent (2). Sic enim Apoſtoli, qui a Chriſto accepere diſciplinam; ſic Patres, quorum opera ad nos uſque Apoſtolorum eorumdem permanavit traditio; ſic demum cœtuum quorumvis Catholicorum Antiſtites ubique terrarum nos docuerunt, ac docent; quorum quidem dogmati, ſi quis obſtinate reſiſtere audeat, is implicabit ſeſe hæreſeos crimine: Qua de re §. hujuſce Epiſtolæ VII. ſq. accurate, atque copioſe agam. Jam ita Paulus conſtitutam a Chriſto eſſe affirmat Eccleſiam, ut ea corporis inſtar ſit, in quo & præſit caput, & partes vigeant nobiliores quædam, quædam minus nobiles, ceteræ ignobiliores, quae tamen adeo inter ſe nexae, colligataeque ſint, ut membrorum nullum conſiſtere ſe ipſo poſſit, quin reliquorum ſubſidiis egeat (3). Νυνὶ δὲ ὁ θεὸς ἔθετο, inquit, τὰ μέλη ἓν ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῷ σώματι, καθὼς ἠθέ-

dicibus quibuſdam Græcis, qua de re conſule Millii Nov. Teſtam. ad XV. Actor. v.41. n.41. & in Prolegom. num. 1666. pag. 132. & n. 1312. pag. 139. Edit. Lipſ. an. 1723. Quæ „ præcepta „ eadem a Paullo „ dogmata ab Apoſtolis decreta „ appellata ſunt Actor. c. XVI. v. 4. „ Epitagmata „ quod eodem recidit, atque „ mandata, præcepta, imperia „ Chryſoſtomus vocat Homil. XXXIII. In Acta n. 3. T. IX. pag. 257. Edit. poſtremæ Pariſienſis.

(1) Paulus in Epiſt. ad Hebraeos cap. XIII. v. 17.

(2) Paulus ibid. „ OBEDITE præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis &c. „

(3) I. ad Corinth. cap. XII. v. 18.

ἠθέλησεν. Εἰ δὲ ἦν τὰ πάντα ἓν μέλος, ποῦ τὸ σῶμα; Νῦν δὲ πολλὰ μὲν μέλη, ἓν δὲ σῶμα. Οὐ δύναται δὲ ὀφθαλμὸς εἰπεῖν τῇ χειρὶ, χρείαν σου οὐκ ἔχω, ἢ πάλιν ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσὶ, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω. Ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον τὰ δοκοῦντα μέλη τοῦ σώπατος ἀσθενέστερα ὑπάρχειν, ἀναγκαῖά ἐστι... ὁ θεὸς συνεκέρασε τὸ σῶμα, τῷ ὑστεροῦντι περισσοτέραν δοὺς τιμὴν, ἵνα μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι τὰ μέλη &c. Hoc eſt: „ Nunc autem Deus poſuit membra, UNUMQUODQUE eorum in CORPORE, SICUT VOLUIT. Si vero eſſent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus: Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt... Deus contemperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem dans honorem; ut non ſit ſchiſma in corpore; ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint membra &c. „ Militiae (1) comparat Eccleſiam Clemens Roma-

(1) Clemens Romanus Epiſtola I. ad Corinthios n. 37. pag. 27. Tom. I. Epiſtolarum Romanor. Pontific. Edit. Pariſ. an. 1721. „ Conſideremus, inquit, eos, qui ſub Ducibus noſtris merent, quam ordinate, quam ſtrenue, quam ſubmiſſe imperata exſequantur. Non omnes ſunt Præfecti, neque

manus Petri, Paulique auditor, idemque Pontifex; in qua militia & Imperator ſit, & Præfecti, & Tribuni, & Centuriones, & Quinquagenarii, & gregarii, qui imperata faciant, milites; deindeque eam, cujus Apoſtolus meminit, ſimilitudinem corporis in memoriam Corinthiis revocans: λάβωμεν, inquit, τὸ σῶμα ἡμῶν. ἡ κεφαλὴ δίχα τῶν ποδῶν οὐδέν ἐστιν, οὕτως οὐδὲ οἱ πόδες δίχα τῆς κεφαλῆς. τὰ δὲ ἐλάχιστα μέλη τοῦ σώματος ἡμῶν ἀναγκαῖα, καὶ εὔχρηστα εἰσιν ὅλῳ τῷ σώματι. ἀλλά πάντα συμπνεῖ, καὶ ὑποταγῇ μιᾷ χρῆται εἰς τὸ σώζεσθαι ὅλον. σωζέσθω οὖν ἡμῶν ὅλον τὸ σῶμα ἐν χριστῷ ἰησοῦ, καὶ ὑποτασσέσθω ἕκαστος τῷ πλησίῳ αὐτῦ, καθὼς καὶ ἐτέθη ἐν τῷ χαρίσματι αὐτοῦ: „ Sumamus „ corpus noſtrum: caput ſine pedibus nihil eſt, viciſſimque pedes ſine capite. „ Minima autem corporis noſtri membra „ neceſſaria, & utilia ſunt toti corpori: „ univerſa vero conſpirant, & ad conſervationem totius una ſubjectione utuntur. „ Servetur igitur totum CORPUS NOSTRUM „ in Chriſto Jeſu, & unuſquiſque proximo „ ſuo ſubjiciatur, ſecundum donum, quod „ per

„ que Tribuni, neque Centuriones, neque Quinquagenarii, „ neque in iis conſtitui gradibus, qui conſequuntur; ſed „ unuſquiſque in ſuo ordine, quæ ab IMPERATORE, vel „ DUCIBUS jubentur, peragit. Magni sine parvis exiſtere „ nequeunt. Neque parvi sine magnis. Mutua quædam in „ omnibus neceſsitudo eſt, & in his uſus „.

„ per gratiam illius obtinuit„ . Haec una omnium veterum Eccleſiæ Doctorum vox eſt; quorum etiam multi , non repugnantibus ceteris , rationem *civitatis* , non *abſurde* , neque *inepte* (ut ipſe Pufendorſium imitatus pugnas); ſed convenienter , apteque eidem Eccleſiæ congruere , plane docent. Qua de re quidem alias. *Caput* autem ejus *Corporis* , quod ſit in terris conſpicuum , *Primatem*, *Centrum* extare , in quod quamque Eccleſiam convenire oporteat , cuique jus , & auctoritas continendarum in unitate , paſcendarum , gubernandarum Jeſu Chriſti ovium inſit ; atque id quidem *Centrum*, id *Caput* , eumque *Primatem* Romanum Pontificem eſſe , qui Succeſſor eſt Principis Apoſtolorum ; ecquis tandem erit dignus catholico nomine, qui non ultro Chriſtianæ fidei eſſe dogma & agnoſcat , & fateatur (1)? Id enim Patres, quod quidem in ſequentibus Epiſtolis demonſtrabitur; id cœtus quique orthodoxi freti monumentis

 di-

(1) Confer VIII. Synodum Oecumenicam Action. I. pag. 773. ſqq. Tom. V. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. & Decretum unionis, Synodi Oecumenicae Florentinæ . Tom. IX. Conciliorum Edition. ejuſdem pag. 423. & Profeſsionem Fidei , quæ ubique terrarum apud Catholicos obtinet , quamque Clerus Gallicanus a calumniis vindicat hæreticorum . Tom. I. Actor. Cleri Gallic. pag. 93. ſqq. Edit. Pariſ. an. 1716. & Expoſitionem Fidei eidem Clero probatam . Ibid. pag. 190. & quæ ipſe Epiſcopor. teſtimonia produxi ſupra pag. 172. ſqq. hujuſce Voluminis . Quamquam erit nobis ex inſtituto poſt de eadem re differendum .

divinarum, quae per Apoſtolos ad nos uſque permanarunt, traditionum, ſemper, univerſe, continenter, perſeveranter teſtati ſunt; idque Synodi Oecumenicæ (quarum eſt, Catholicorum omnium confeſſione, *infallibilis* auctoritas) credito opus eſſe definierunt.

Quare negari id ſane ſine hæreſeos nota non poteſt. Negat autem Pufendorfius.

IX. Ubi vero unus omnium eſt, qui (ut dogma fidei poſtulat) primas in ſocietate obtineat partes, qui Caput ſit, qui Centrum, qui auctoritate continendorum ceterorum in unitate, ac fide præſtet; quique paſcat, gubernetque omnes: Rurſum ubi ſunt, qui coetibus præſint, qui regant, qui præcipiant, quibus alii graduum inferiorum, plebeſque ſubjiciantur, & pareant; ibi *certam* quamdam *regiminis* eſſe formam, quo quiſquam modo negabit, quin falſam, & ex adverſo cum ſanctæ Religionis dogmate pugnantem, hoc eſt hæreticam doctrinam probet? Negat autem Pufendorfius. Nam decreto non fuiſſe opus, ut vidimus (1), animadvertit, *ſuper certa regiminis forma introducenda*. Non ergo vult introductam. Si enim (ut dogma fert Eccleſiae) divinitus introductam vellet; non negaret univerſe, opus ordinatione, ſeu decreto fuiſſe; cum divinitus eſſe quidquam inſtitutum, inductumque intelligi nequeat ſine

(1) Vide hujus Voluminis pag. 194.

ſine decreto, ſeu ordinatione Dei. Negat vero Pufendorfius fuiſſe decreto opus. Quid? Si etiam ex ſublato decreto, quaſi ex principio univerſe conſtituto, colligat abſurdum eſſe non ſtatuere modo, ſed etiam quærere, Monarchicum ne, an Ariſtocraticum, Democraticumve ſit Eccleſiaſticum regimen? Id vero qua ratiocinandi facultate colligeret; ni jam univerſe negans, ad introducendam certam quamdam regiminis Eccleſiaſtici formam fuiſſe Decreto opus; una ſimul intelligi univerſe vellet, formam regiminis inductam in Eccleſiam fuiſſe divinitus omnino nullam? Id quod multo etiam clarius poteſt perſpici ex ſerie ipſa rerum, quas libello illo ſuo complexus eſt, ad quem tu provocas, & ex quo aliquot vocabula expiſcare, quibus & tegere poſſis tuam; & ejus, etſi Proteſtantis, involvas tamen, Catholicamque dicas ſententiam. Sed quo exitu, ſequenti §. demonſtrabitur.

X. At enim fateri te, inquies, Epiſcopos (qui ſuos quique coetus vigilantia, poteſtate, juriſdictione moderentur) divinitus eſſe conſtitutos: Neque vero id ſolum, ſed unum quoque, divino jure, omnium Primatem Chriſtianorum eſſe, qui ceteris dignitate praeſtet, quique & Caput, & Centrum ſit unitatis, polleatque continendorum in Catholica conſociatione fidelium aucto-

Pugnantia Febronius loquitur. Contradictio autem non excuſatio eſt erroris, ſed confirmatio.

auctoritate . Quin etiam poni abs te Hierarchiam ita, ut eſt a Tridentina Synodo definitum; atque ſtatui praeterea, dices: *Corpus Eccleſiae ſive adunatum, ſive diſperſum Spiritus Sancti adſiſtentia gaudere*.

Verum ego iſta, ordine ſuis locis, cujuſmodi ſint exponam. Interea hoc tenebo: ſatis aperte, tamque obfirmate, numquam ut hæſites, ſemel, iterum, tertium, quartum, quintum *Catholicam* abs te praedicari, utque *Catholicam* proponi Pufendorfianam dogmati fidei catholicae ex adverſo (ut vidimus, utque poſt latius oſtendemus) repugnantem, adeoque merito anathemate in hæreticis percullſam ſententiam. Quod ſi alibi, idque ſaepe, ac fuſius, multa de Hierarchia, de Epiſcoporum, deque Primatis, Capitis, Centri Eccleſiae Divina inſtitutione &c. ſcribis; hoc, ſcito (niſi revocato, damnatoque errore) numquam ſatis, ut te apud Catholicos purges, futurum. Nam praeterquamquod de Epiſcopis, de Primate, de Capite, de Centro, de infallibili Eccleſia ſecus loqui plerumque, atque catholica veritas exigat, videare; illud etiam tibi perſuadeas, vehementer velim: proprium fuiſſe novatorum, ut cum negarent, quod dogmatis eſſet fidei, tum idem (ſecum ipſi confligentes) concedere viderentur. Hac enim arte conſequi ſe confidebant poſ-

ſe,

ſe; ut, ſi forte in cujuſquam incidiſſent reprehenſionem, calumniam ſibi inſtructam dicerent. Nam ſe contraria eorum, quæ ſibi objicerentur, tot in locis ſuorum operum defendiſſe. Plena eſt exemplorum Hiſtoria; ſed brevitatis cauſſa, exemplo Neſtorii erimus contenti uno. Ad hunc enim Caeleſtinus Pontifex ſcripſit hoc modo (1).
„ Legimus Epiſtolarum tenorem, & eos Li-
„ bros, quos illuſtri viro filio meo Antio-
„ cho reddente, ſuſcepimus. ἐπὶ ταύταις
„ ἀνιχνευθεὶς μὲν ἡμῖν, καὶ εὑρεθεὶς, καὶ κατα-
„ σχεθεὶς πολυλαλίᾳ τινὶ ἐξωλίσθανες, τὰ
„ ἀληθῆ τοῖς σκοτεινοῖς ἐγκαλύπτων, καὶ πάλιν
„ συγχέων ἑκάτερα, τῷ ὁμολογεῖν μὲν τὰ ἀρνη-
„ θέντα, ἐπιχειρεῖν δὲ ἀρνεῖσθαι τὰ ὡμολογη-
„ μένα: *in his quidem nobis veſtigatus, de-*
„ *prehenſus, & tentus, quodam multiloquio*
„ *labebaris, dum vera involvis obſcuris; &*
„ *rurſus utraque confundens, vel confiteris ne-*
„ *gata, vel niteris negare confeſſa.* „ Noſti, quid

(1) Epiſt. XIII. ad Neſtorium n. 2. Tom. I. Epiſtolar. Romanor. Pontificum col. 1115. Edit. Pariſ. an. 1721. Confer etiam Synod. Alexandrinam in Arium habitam an. 321. Tom. I. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. pag. 398. S. Auguſt. Lib. de Natura, & Gratia contra Pelag. cap. xiv. & ſqq. Tom. X. Opp. Edit. Antuerp. an. 1700. pag. 89. & Lib. de Geſtis Pelagii, cap. v. ſqq. n. 20. pag. 136. & Lib. de Gratia Chriſti Cap. II. ſqq. pag. 155. ſqq. Tomo eod. & Innocentii I. Pont. Max. Epiſt. XXXIV. n. III. pag. 902. Tom. eodem I. Epiſtolar. Romanor. Pontificum, & Epiſtolam S. Flaviani ad Leonem I. contra Eutychen, Tom. II. Opp. S. Leonis pag. 101. Edit. Rom. an. 1755. & Orationem Johannis de Palomar adverſus Wicleſianos habitam in Concil. Baſil. Tom. VIII. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. pag. 1916.

quid tum poſtea egerint Neſtoriani; utque injuria fuiſſe Neſtorium damnatum pugnarint, iis confiſi ſcriptorum ejus Hæreſiarchæ locis, quæ conſentanea doctrinæ Catholicæ, & Hæretici illius dogmatibus contraria viderentur. Id cum de Novatoribus, inſigni, qua præſtabat, Hiſtoriæ totius peritia, plane intellexiſſet Jacobus Benignus Boſſuetius Meldenſium olim in Gallia Epiſcopus; animadvertiſſetque, fuiſſe unum aliquem ætate ſua, qui de rebus graviſſimis, quæ religionem, pietatemq; attingerent, pugnantia loqueretur; hoc ſibi certum, teſtatumque eſſe omnibus voluit: *Sententiarum, atque verborum apertam contradictionem, non erroris excuſationem eſſe, ſed probationem* (1). Idem in altero adverſus Jurieum Calvinianum Monito, de Proteſtantium volubilitate, pugnis, *contradictionibus* in re doctrinæ differens: „ Telle, inquit, eſt la fauſ„ ſe Science, que la Réforme a profeſſée, „ quand elle a cru pouvoir pénétrer tous „ les Myſteres de Dieu; mais voici en mê„ me tems ſes contradictions. Prenez gar„ de, diſoit Saint Paul, *aux contradictions* „ de

(1) In Declaratione Illuſtriſsimorum, & Reverendiſsimorum Ecclesiae Principum Ludovici Antonii de Noailles Archiepiſcopi Parisiensis, Jacobi benigni Boſſuetii Epiſcopi Meldensis, & Pauli de Godet des Marais Epiſcopi Carnotensis circa Librum, cui titulus „ Explication des Maximes des Saints &c.„ pag. 309. Tom. VIII. Opp. Edit. Argentin., ſeu Venetae an. 1755.

„ *de cette fauſſe ſcience* : c'eſt que toute fauſ-
„ ſe ſcience ſe contredit elle-même. Il
„ en eſt ainſi arrivé à la Réforme ; &
„ parceque ſa ſcience eſt fauſſe, elle eſt
„ tombée dans de viſibles contradictions(1):
qui ſane Boſſuetii locus latine reddi ſic poterit. „ Talis eſt falſa ſcientia, quam pro-
„ feſſa eſt Reformatio, dum ea credidit,
„ penetrare ſe poſſe myſteria quævis Dei.
„ Sed en tibi, eodem tempore illius pu-
„ gnas ſententiarum. Cavete vobis, dicit
„ S. Paulus, *a contradictionibus falſæ hujus*
„ *ſcientiæ*. Scilicet falſa quæque ſcientia
„ ſecum ipſa pugnat. Ita contigit Refor-
„ mationi ; & quia ejus eſt falſa ſcientia,
„ in coſpicuas incidit contradictiones „.
Hæc te profecto non fugiunt. Itaque ægre patere, ſi quis tibi objiciat, aut mutaſſe ſententiam te, aut tecum confligere. Sed quid vis dicam, Febroni? Eodem in opere & concedere, & negare formam ullam eſſe regiminis Eccleſiaſtici divino decreto, ſeu ordinatione introductam, hominis eſſe quiſque perſpicit, aut neſcientis quid ſcribat, aut ſecum miſere confligentis. Negari autem abs te palam, *formam ullam eſſe divinitus decretam* regiminis *Eccleſiaſtici*, quis dubitet? Cum moneas lecto-

(1) Second Avertiſſement ſur les Lettres de Monſieur Jurieu, Num.XI. pag.59. Tom.IV.Opp. Edit.Argentin. an. 1738.

ctores tuos, ut ne tibi ſuccenſeant, ſi doctrina utare Pufendorſii pernegantis, ejus eſſe *regiminis decreto* ullo *introductam formam*? Contra, concedi abs te video Hierarchiam (quæ *ſacer* eſt *Principatus*, ſecumque formam regiminis aliquam importat) divina ordinatione inductam; Epiſcopos item inſtitutos divinitus regendorum coetuum Chriſtianorum cauſſa: Centrum denique certum conſociationis, Caput viſibile Eccleſiæ, Primatem unum a Deo Eccleſiæ ſuæ præfectum, ut omnes auctoritate ſua in unitate contineat: quæ quidem formam regiminis Eccleſiaſtici aliquam exhibent conſtitutam, inductamque decreto, ſeu ordinatione Dei. Eſt autem horum, ut cernis, manifeſta luctatio. Cetera, quæ non minus pugnantia ſunt, omitto; nam eſſe mihi video faciendum de tua hoc in genere perpetua tecum conflictione ſcribendi modum. Interea ignoſces, uti ſpero, mihi, ſi Boſſuetio, (quem pendi abs te maximi, certo ſcio) plane aſſentiar ſtatuenti: *contradictionem ſententiarum* ſatis cuique argumenti *non excuſationis*, *ſed probationis* fore.

§. VI.

§. VI.

Puſendorſianum de forma Regiminis Eccleſiaſtici Syſtema proponitur. Id probans Febronius non liberat, quam dedit, fidem confirmandae perpetuo ſententiae cujuſque ſuae auctoritate Majorum.

XI. AT vereri te dices, ne Puſendorſii doctrinam, quam eſſe agnoſcis tuam, aliorſum, atque ipſe vellet, acceperim. Jam iſtuc veniebam. Nam memini promiſiſſe tibi paullo ante me, fore ut ſummam proponerem eorum, quæ is hæreticus Auctor libello illo ſuo de *habitu Religionis Chriſtianae ad vitam civilem* complexus de Eccleſia eſt; indeque multo evidentius demonſtrarem, quam tu ſententiam, quam inanem, quamque Catholico dogmati repugnantem appellare non dubitaris Catholicam. Itaque ut promiſſo ſtarem, iſtuc, inquam, veniebam. Jam ille in *Epiſtola Dedicatoria ad Fridericum Willelmum* Marchionem *Brandeburgenſem*, in eo verti cardinem, ſcribit, diſputationis ſuæ: „ Utrum „ Salvatori noſtro, dum viam ad ſalutem „ æternam perveniendi mortalibus pan- „ dit, pariter introducere placuerit POTE- „ STATEM quampiam SACRAM, quæ idonea, „ ac ſufficiens ſit conſtituendo certo ſtatui „ a vul-

Agitur de ſententia Puſendorſii, quam Febronius appellat Catholicam; demonſtraturque, quâ ſit ea, ex ejus Proteſtantis ſyſtemate, repugnans Eccleſiæ dogmati.

„ a vulgaribus civitatibus ſeparato; num-
„ que adeo unio eorum, queis eadem in
„ Salvatorem fiducia utique in REMPUBLI-
„ CAM ALIQUAM coaleſcere debeat ab illis
„ civitatibus diſtinctam, quas inſtitui hu-
„ mani generis ſecuritas ſubegit „. Mox, ut oſtendat, contra quos id argumenti genus tractandum ſuſceperit, ſic pergit ſcribere: „ Si enim Numinis juſſu, utique ejuſ-
„ modi Regnum Sacrorum fuit conſtituen-
„ dum, quale ab iis qui EPISCOPI ROMANI
„ SECTAM ſequuntur, obtruditur, in quo
„ (*quae certe inſignis calumnia eſt*) huic
„ SOLI divinitus commiſſa ſint imperandi
„ arbitria, reliquis omnibus obſequii glo-
„ ria relicta, nil ſupereſt, quam ut duro
„ quantumvis jugo, QUOD MAJORES NOSTRI
„ EXCUSSERUNT, cervices iterum ſubmitta-
„ mus „. Nae id illuſtre initium eſt, quo ſibi, te judice, Pufendorfius viam ad *ſententiam*, quam Catholicam appellas ſternit! Eccleſiam porro Catholicam Romanam carpens: „ unde, *inquit*, & ratio haud fugit
„ eos, qui præſenti maxime tempore do-
„ minatum Epiſcopi Romani propugnant,
„ quod, repoſita fere diſputatione circa ſin-
„ gula doctrinæ Chriſtianæ capita, ECCLE-
„ SIAE VOCABULUM PRAECIPUE CREPENT, ID-
„ QUE SUAE SECTAE UNICE COMPETERE CON-
„ TENDANT; RELIQUIS OMNIBUS HAERESEOS

„ CON-

„ CONVITIO, REBELLIONIS NOTAM IMPINGANT.
„ Hoc quippe ſolum ubi pervicerint, to-
„ tam cauſſam obtinuerunt; & ſi qui lae-
„ ſos ſe, aut male habitos putent, iis præ-
„ ter ſupplicare, ac vota fundere, nil eſt
„ relictum „. Attende nunc, quam ob cauſ-
ſam inductus in eam ſententiam fuerit,
quam tu uti veram celebras; intelligeſque,
non alio conſilio ejus fuiſſe ab ipſo ſuſceptam
defenſionem, quam ut everteret orthodo-
xum dogma de vera Eccleſia, quae non-
niſi Societatis Chriſtianorum ſit creden-
tium Pontificem Romanum Primatem eſſe,
Caput, Centrum catholicæ unitatis; eoſ-
que, qui ſecus ſentiant, reos ſchiſmatis,
errorisque agentium. „ Ad hanc igitur, *in-*
„ *quit*, adverſæ partis velut arcem ſubruen-
„ dam, neceſſum eſt ad fundamenta Regni
„ Sacrorum penetrare, & ſi quid ſolidi iſta
„ contineant, excutere: QUAE SI COMMENTI-
„ CIA ESSE DEMONSTRATUM FUERIT; TOTAM,
„ QUÆ SUPER EXTRUCTA EST, MOLEM ULTRO COR-
„ RUERE OPORTEBIT. „ Atque commenticia
quidem ab ſe demonſtrata eſſe deinceps ja-
ctat, Proteſtantiumque proinde in integro
exiſtimationem futuram addit; quaſi *hi illegi-*
timum dominatum abdicarint, juſque ſuum ri-
te vindicatum iverint, nihilque *adverſus Di-*
vinum inſtitutum moliti ſint, neve *ſe, ci-*
veſque ſuos in *exitium* ſempiternum *pertra-*

 xerint.

xerint . In Scriptores deinde Catholicos omnes, qui ſeceſſionis reos hæreſeos arguerunt, velut in mercenarios, adulatores, pecuniæ cupidos (quod in nos tute etiam perſæpe facis) invehitur; „ iiſque latratoribus, *in-* „ *quit*, os obturare ſane par eſt, demon- „ ſtrato, principes Proteſtantes, & quo- „ rum miniſterio iſti hoc in negotio uſi fue- „ runt, honeſtis, ac neceſſariis cauſſis mo- „ tos, EXTRANEI Præſulis importuna imperia „ excuſſiſſe „. Ex his quiſque perſpiciet, quo ſpectet, & in quæ deſinat Puſendorfianum illud doctrinæ caput, quod toties *Catholicum* dicere non verere. Effert inde Puſendorfius ſe, perindeque ac ſi unus omnium, qui antehac floruerunt, hoc in genere verum viderit: „ Sed cumprimis, *inquit*, „ Principum intereſt noſſe, quibus finibus „ Eccleſia a Republica diſcernatur; & quid, „ quantumque POTESTATIS ſibi in ECCLE- „ SIAM, ET SACRA IURE COMPETAT. Nam ſi „ verum fateri citra invidiam liceat, LIMI- „ TES ISTOS ab ERUDITIS HACTENUS HAUD ITA „ ACCURATE RECTOS IN APRICO EST, INSCITIA „ RERUM, aut VERITATE OB RESPECTUS HUMA- „ NOS TENEBRIS ULTRO INVOLUTA „. Propoſitis porro variis Scriptorum ſive Catholicorum, ſive Proteſtantium de re eadem ſententiis, quarum nullam, oſtendit, probari ſibi; hæc ad extremum (ſejunctionem ab Eccleſia

Ca-

Catholica commendans) docet : „ Qui jugo „ Romani Præſulis cervices ſubduxerunt „ Principes, merito libertatem, ac JURA „ ſibi DEBITA IN INTEGRUM RESTITUTA gau- „ dent, ac parta ſemel bona deinceps illi- „ bata conſervare ſtudent. Ac QUO MAGIS „ DE SUO JURE CERTI SUNT, eo animoſius „ obviam ire nitentur conatibus eorum, „ qui Regi Sacrificulo (*nempe Romano Pon-* „ *tifici*) mancipati, in par ſecum ſervitium „ ceteros abſtrahere ardent. Quibus me- „ rito meliorem mentem precamur ; ſal- „ tem ut ſi ipſis infelici ſervitio immori „ dulce eſt, reliquis ſuam libertatem ne „ invideant „. Jam ab homine, qui ita in- ſtitutus animo ſit, ut ſchiſma merito fuiſſe conflatum cenſeat ; invaſionemque Princi- pum heterodoxorum in jura Eccleſiae, uti debitam ipſis, adprobet ; eoſdemque Prin- cipes hortetur, ut iis *animoſius* pergant reſiſtere, qui ſtudio conciliandae pacis per- moti, avulſas ab grege, erranteſque oves ad unitatem reducere conentur, quo fiat *unum ovile, & unus Paſtor* ; ab homine, in- quam, qui ita ſit animatus male, iſtoque conſilio opuſculum illud ſuum ediderit, ecquid tu *Veri*, *ecquid Catholici*, præſtolere ? Sed de *Epiſtola Dedicatoria* Pufendorfii ad Fridericum Marchionem Brandeburgicum hactenus.

De ſyſtemate Puſendorſiano continuatur oratio.

XII. Ad ejus libellum de *Habitu Religionis Chriſtianae &c.* redeo. In hujus ille §. XIV. de Chriſto diſſerit. Hunc novum (1) ſibi populum feciſſe, *ideſt inſignem hominum multitudinem* collegiſſe *unius imperii vinculo diu connectendam* negat. Jam Apoſtolos, Fideleſque ceteros *haud ita* ab Chriſto ipſo *dependiſſe*, animadvertit, ut a Domino vel *Principe ſubditos* (2), ſed *ut diſcipulos a Magiſtro*. Non enim voluiſſe Chriſtum imperio ſuo quemquam ſubjicere. §. XV. ſtatuit: *Rempublicam, ſeu* STATUM *condituro, neceſſum eſſe, ut terrarum quid habeat, ubi cives ſui ſedem fortunarum, novamque patriam figere poſſint*: Chriſtum autem nullum ſibi, ſuiſque territorium conſtituiſſe (3). Ita rem implicat. Rempublicam nos modo dici-

(1) At Paulus Epiſt. ad Titum Cap. II. v. 14. „ Dedit, inquit (Chriſtus) ſemetipſum pro nobis ut ... mundaret ſibi „ POPULUM acceptabilem &c. „ & Petrus Epiſt. I. Cap. II. v. 9. „ Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, „ POPULUS ACQVISITIONIS &c. „

(2) Verum Joh Evang. c. XIII. v. 13. Chriſtus ait: „ Vos „ vocatis me Magiſter, & DOMINE, & bene dicitis; SUM „ ETENIM. Si ergo ego DOMINUS, & Magiſter &c. „ De Principatu, confer Apoſtoli Epiſtolam ad Epheſ. c. I. v. 20. ſqq. & S. Petri 1. Cap. V. v. 4. & Daniel Cap. II. v. 44. ſqq. & Pſ. CII. v. 29. & CXLIV. v. 13. &c.

(3) Ridiculum! Quaſi vero quiſquam ſit noſtrum, qui, inſtar Secularium Rerumpublicarum fuiſſe conditam a Chriſto Rempublicam Chriſtianam putet. Rem ille ſacram publicam ſibi conſtituit, quæ non territorii unius anguſtiis contineretur; ſed quæ in univerſum terrarum orbem manaret, illæſaque ſecularium Principum auctoritate; quæ diſcrepantis eſt generis; legibus iis pareret, eoſque Praeſides haberet, qui alterius generis poteſtate excellerent, quique duces ceteris ad ſempiternum Regnum conſequendum eſſent.

dicimus, non qualem hic ſibi fingit, ſed qualem deſcribi a Majoribus noſtris novimus; peregrinam quidem in terris, nihil ut opus territorio ſit; ſed quæ ſuis legibus regatur, ſervetque, ubi ubi eſt, ordinem, rationemque gubernationis, quam ſummus ejus Princeps ſtatuerit. Verum de hoc alias. Pergam Pufendorfiana deſcribere. §. XVI. & XVII. Chriſtum, ait, non *geſſiſſe perſonam Principis, ſed Doctoris*. Quaſi vero qui *Legislator* (1) eſt, idem non ſit *Princeps ſuorum*; & qui *ἐξουσίαν poteſtatem* (2) habet in eos, quos doceat, qui *ἐντέλλεται præcipit* (3), qui *κύριος Dominus* eſt (4), is careat Principatu. Quamquam non *Legislatorem* quidem Chriſtum, ſed *ad inſtar Legislatoris* fuiſſe Pufendorfius ibidem doceat. Abutitur autem Matthæi loco e XX. Evangelii Capite v. 20. *Principes gentium dominantur eorum ... Vos autem non ſic*, eoque effici, ſcribit, ut *ne ad modum Principum* PRAEEMINENTIAE QUID *affectarent, ac fraterna invicem æqualitate agerent*. Id vero cujuſmodi ſit, poſt oſtendam. Verum ſic ille omnia involvit, modo de

(1) Vide Matth. Cap. V. v. 21. & 1. ad Corinth. Cap. IX. v. 20. & 21. Synod. Trid. Seſs. XIII. Can. XXI. „ Si quis dixerit, Chriſtum Jeſum a Deo hominibus datum fuiſſe, ut Redemptorem, cui fidant; non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema sit „.

(2) Matth. c. VII. v. 29.

(3) Joh. XV. v. 14.

(4) Johan. cap. XIII. v. 13.

Principatu Chriſtum dejiciat. Nec tamen ſibi conſtat. Nam Chriſtum Servatorem *officio Doctoris poteſtatem Regiam conjunxiſſe* monet. Scilicet, Puſendorfio auctore, qui *poteſtatem Regiam officio Doctoris conjungit*, is non *gerit perſonam Principis*. Quid hoc pugnantius? Sed perſtat, *Principiſque* perſonam ipſum geſſiſſe Chriſtum, inficiari, ſecum luctans, pergit; ſublaturuſque deinceps formam quamvis Regiminis Eccleſiaſtici, atque Principatus, §. XVIII., Apoſtolos, ait, *fuiſſe propagatores doctrinæ a Chriſto traditæ*, ita ſane, ut *ne hi quidem pro imperio, & pro* AUCTORITATE *dogmata propoſuerint*. Hæc autem, quam e regione Catholicum dogma impetant Scriptura, Traditioneque Majorum comprehenſum, ſatis eſt ſupra, ut arbitror, demonſtratum, poſtque etiam clarius demonſtrabitur. §. XIX. haec affert vera: *Apoſtolis poteſtatem docendi divinitus eſſe collatam, ab imperio humano haud dependentem. Recte ipſos fuiſſe aſpernatos interdicta ſummorum imperantium talem doctrinam tradi prohibentium; quod Deo magis oporteat obedire, quam hominibus: unde ſi qui imperantes doctrinæ ſe Chriſtianæ oppoſuerunt, tantum abeſt, ut actum aliquem legitimum imperii civilis exercuiſſe dicendi ſint, ut potius majeſtatem divinam læſerint, velut violatis ejuſdem legatis, cum etiam ab hominibus miſſi, inviolabiles habeantur.*

Sed

Sed ſ. XX. errans docet: *Præter poteſtatem Evangelium annunciandi, etiam ingratiis ſummorum Imperantium, nihil penes Apoſtolos imperii, aut coactionis deprehendi*, ne ejus quidem generis, quo ludimagiſtri in pueros uti ſoleant. *Paſcendi* porro *vocabulum* nihil *imperii*, *poteſtatiſque* involvere; ſed unam idonei *pabuli ſuggeſtionem notare*. Quae res, ut Scripturis Novi Teſtamenti repugnent, utque proinde dogmati Catholico adverſentur, & conſtitit ſupra (1), & conſtabit deinceps apertius. ſ. XXI. Negat munus docendi vel *indirecte vim imperii habere*. Hujuſce rei cauſſa, inſtitutum divinitus ordinem, juriſdictionemque ſacerdotalem funditus everſurus, ſic adjungit: *Poſt ſemel promulgatum Evangelium, ſi vel maxime unius civitatis Sacerdotes inter ſe conſpirent, prædicatione, ſacrorumque adminiſtratione abſtinere, niſi in certa eorum poſtulata reliqui cives conſenſerint; nihil tamen efficient; cum ſi inſævire pertendant, alii poſſint inveniri, qui miniſterio fungantur.. Neque enim Chriſtus ſuam doctrinam penes ſolos Sacerdotes eſſe voluit, ab his de manu in manum tradendam; ſed codice eam conſignari voluit, qui non a certo collegio paucorum cuſtodiendus ...; ſed quem omnibus evolvendi jus foret: ſic ut ex illo*

 aliis

(1) Pag. hujus Vol. 193. ſeq.

aliis quoque doctrinam Chriſtianam haurire liceat, eamque informationem capere, que obeundo Eccleſiae miniſterio ſufficiat. Hac poſita doctrina, tute conſidera: num non ſolum auctoritas Hierarchiæ, ſed Hierarchia etiam ipſa ullo modo poſſit conſiſtere? Pergit (Pontificem Romanum, Proteſtantium more carpens) ſcribere: Quod ſi EXTRANEUS (1) *quiſquam Sacerdos ſacrorum uſu civitati alicui interdicere aggrediatur, nemo talia auſa curabit, niſi vecordi plane ſuperſtitione laboret*. §. XXII. & XXIII. de clavibus a Chriſto datis primum Petro, deindeque Apoſtolis diſſerit, idque genus auctoritatis proprium eſſe Sacerdotum negans: „ Ut hæc verba, inquit, *amen di-* „ *co vobis, quæcumque ligaveritis ſuper ter-* „ *ram &c.* de ſolis diſcipulis intelligantur, „ antecedentia non permittunt, quæ non „ ad

(1) Extraneum hic Eccleſiis ait, eſſe Pontificem Maximum. Id cujuſmodi ſit, utque a Clero Gallicano reprobatum, conſtat ex hujus apud Regem Ludovicum XIV. an. 1651. conqueſtione. Tom. XII. Actor. Cleri Gallicani pag. 590. „ Votre Majeſté qui „ porte le titre auguſte du Fils ainé de l'Egliſe, permettra-t el- „ le que le Pape (par une entrepriſe nouvelle) ſoit traité dans „ ſon Roiaume de Prince etranger, de puiſſance partiale, ou „ ſuſpecte dans les interets de ſe Couronne, apres y avoir eté „ reveree depuis tant de siecles comme le Chef visibile de l' „ Egliſe, le Succeſſenr du Premier des Apotres, le ſouverain „ Paſteur des ames, & le Pere commun de tous les Fideles? „ A quoi peut donc tendre l'obſcurite affectée de cette clau- „ ſe: qui pretent ſerment à autres Princes que le Roi: si ce „ n'eſt OU a EXCITER UN SCHISME SI NOUS BLES- „ SONS LA COMMUNION que nous devons entretenir, AVEC „ LE SAINT SIEGE, OU AETUFFER DANS VOS CON- „ SEILS, LES LUMIERES CELESTES DE L'ORDRE „ LE PLUS ETROITEMENT UNI A DIEU DE VOTRE RO- „ IAUME, SI NOUS Y PERDONS NOS ENTREES &c. „.

„ ad ſolos Apoſtolos, ſed QUOSVIS FIDELES „ SPECTANT(1)„. Abi, Febroni, atque hujus ſententiam de Regimine Eccleſiaſtico ne ceſſa, ſi potes, *catholicam* dicere. § XXIV. & XXV. multa de facultate remittendorum peccatorum Apoſtolis tributa turbat. Illud graviſſimum, quod pag. 90. fidenter pronunciat: *ſi univerſum*, inquit, *novum Inſtrumentum excutiamus, apparebit, neque Chriſtum, neque Apoſtolos remiſſionem peccatorum exercuiſſe per modum juriſdictionis, ac velut pro tribunali excuſſis delictis; ſed ubicumque fides adfuit, ibi & immediate remiſſio pecccatorem ſequuta fuit* (2). Et pag. 95. *Omnia*, inquit, *ſi probe conſiderentur, apparet, claves Regni Cælorum Apoſtolis* COMMISSAS, ESSE NIHIL ALIUD, *quam doctrinam Evangelii de Remiſſione peccatorum per fidem in Chriſtum*; QUAM DUM PROPONUNT APOSTOLI CREDENTIBUS, EORUM PECCATA REMITTERE DICUNTUR, QUIBUS EVANGELIUM CREDENTIBUS ANNUNCIANT; ET VICE VERSA, QUIBUS EVANGELIUM ANNUNCIANT NON CREDENTIBUS, ILLOS LIGARE

(1) At Synodus Tridentina Seſs. XIV. de Sacram. Poenit. Canone X. ſic habet: „ Si quis dixerit, non ſolos Sacerdotes „ eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Fide„ libus eſſe dictum: quæcumque ligaveritis &c. Et quorum „ remiſeritis peccata &c. quorum verborum virtute quilibet „ abſolvere poſsit peccata &c. Anathema ſit.

(2) Eadem Synod. ibid. Canone IX. „ Si quis dixerit, ab„ ſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judi„ cialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declaran„ di remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat, ſe „ eſſe abſolutum &c. Anathema ſit „.

RE DICUNTUR : *ita ut in* CAELIS LIGATI SINT : *Reſerarunt igitur* Apoſtoli *Regnum cælorum* , QUANDO ANNUNCIARUNT CREDENTIBUS GRATIAM DEI , & REMISSIONEM PECCATORUM PER CHRISTUM ; *occluſerunt illis* , qui *eam doctrinam per infidelitatem aſpernati ſunt* (1). Eodem pertinent , quæ Pufendorfius inde perſequitur . §. XXVI. Negat Petro aliquam prærogativam conceſſam muneris , quae non in alios Apoſtolos caderet. Nam quod eſt in Cap. XVI. Matthæi : *Tu es Petrus &c.* nihil continere ait , *ex quo Petro , multo minus Epiſcopis Romanis* , PRIMATUS ALIQUIS IN UNIVERSAS ECCLESIAS EXTRUI QUEAT . §. XXVII. pugnat , *Excomunicandi* poteſtatem NIHIL JURISDICTIONIS INVOLVERE , ne ejus quidem , qua Paulus inceſtuoſum Corinthium ſatanæ tradere conſtituerat ; quare id poteſtatis genus *non ſufficere ad formandum ſtatum* . §. XXVIII. De ſtatu conſtituendo agens , *ad ſtatum*, inquit , *requiritur imperium* , *ex quo promanat* PRÆEMINENTIA UNIUS PRAE ALTERO . . . *Status quoque certos redditus exigit ſumtibus ejuſdem tolerandis* . Tollit proinde , contra atque Chriſtus in Evangelio ſtatuat , quodvis præminentiæ genus ; modumque adimit Eccleſiae

(1) Ibid. Canone III. „ Si quis dixerit , verba illa Domini „ Salvatoris : accipite Spiritum Sanctum , quorum remiſeritis „ peccata &c. non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi , „ & retinendi peccata in Sacramento Poenitentiæ . . detorſerit „ autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium ; Anathema sit „ .

ſiae,quo & tolerati fuerint, & tolerari ſumtus poſſint; quod item Evangelio, Actibuſque Apoſtolorum repugnat. Sed de hoc alias. Invehitur mox in Romanam Eccleſiam, quam vertiſſe pietatem in quæſtum, & φιλαργυρίαν, hoc eſt *pecuniæ ſtudium* conſectari, reamque eſſe *abuſuum*, atque *ſuperſtitionum* jactat: qua ex re quiſque intelliget, eo ne tu Magiſtro profeceris; nam ſunt hae perinde ſignificationes pietatis in eamdem Eccleſiam, elegantiaeque tuæ. ſ. XXIX. *Regnum Chriſti imperium ullum involvere* inficiatur. ſ. XXX. Quærit, *num Eccleſia ſit Status*. Qua de re quam multa turbet, ac miſceat, difficile eſt exiſtimare. ſ. XXXI. Ad id, quod caput eſt quæſtionis, quodque rem maxime continet, accedit. Rogat, *debeat ne ex intentione Salvatoris Eccleſia eſſe Status, ſeu Reſpublica? Accipi* autem ab ſe, monet, STATUS *vocabulum populari modo pro ſocietate hominum independente, quæ ſummo imperio*, hoc eſt auctoritate, & juriſdictione, quæ nulli Principum laicorum obnoxia ſit, *continetur, & regitur*. Hinc Eccleſiam Catholicam Romanam notans, hunc ſibi eſſe propoſitum ſcopum, dicit, *ut poſtquam demonſtratum fuerit, Eccleſiam ex intentione Chriſti, & Apoſtolorum non fuiſſe, nec debuiſſe eſſe ſtatum* (id quod profecto oſtendet numquam) *inde colligatur, eam Eccleſiam, quæ ſtatus eſt, & qua ſtatus eſt,*

non eſſe a Chriſto. Miſcet porro multa de voce Eccleſiæ, quæ neque ſunt accurate dicta, neque pertinent ad inſtitutum. Scribit inde, actionem eſſe Eccleſiæ, *conſtituere Doctores* (nam hoc ille Presbyteros indicat nomine) nonniſi *per ſuffragia cœtus*, ſeu plebis cum Miniſtris junctæ, *quomodo in democratiis decreta fieri ſolent*. Eam vero *actionem* quoniam, non *imperio* cujuſquam *fit*, *eſſe Status propriam* non poſſe. *Nam id juris etiam in privatum* Collegium, *quod civitati ſubeſt*, competere. Poſt de Concilio loquens ab Apoſtolis habito Hieroſolymis: *Quæſtiones*, inquit, *diſcutere*, *& definire actiones ſunt*, *quæ ſummum*, *& independens imperium non inferunt*, SED IN PRIVATOS QUOQUE HOMINES, & in PRIVATA COLLEGIA CADUNT, *ubi quod expediendum ſuſcipitur*, *non pro* IMPERIO INJUNCTUM, SED VELUTI ULTRONEO CONSENSU ADMISSUM HABETUR. Progreditur deinde longius, negatque ullam *ſubordinationem unius Eccleſiae ſub alia dari*. Adimere ad extremum conatur Eccleſiæ univerſæ *columnæ*, ac *firmamenti veritatis* decus, idque ut efficiat, ad unum, alterumque (ſecus atque poſcat ratio) codicem vetuſtiſſimum, ut dicit, provocat; concluditque, *ſi omnia expendantur*, *nihil occurrere*, *quod Statum aliquem*, *& Imperium mundanum*, AUT *huic* COMPAR, ſive uti tu arbitrare, ANALOGUM, *ar-*

arguat. His vero doctrinis conſtitutis, quotuſquiſque non videat, everti funditus Catholica dogmata de juriſdictione Eccleſiaſtica, ſeu de clavium poteſtate non obnoxia Principum ſeculi auctoritati; de ſacris Ordinationibus (1); deque UNITATE Chriſtianæ ſocietatis? In quam quidem unitatem vehementius commotus ſ. XXXI. ſcribit hoc modo: *Scopus Religionis Chriſtianæ obtineri poterit, ſi* VEL MAXIME QUIS NON SIT CONJUNCTUS NUMEROSO ALICUI FIDELIUM COETUI: NEC CONJUNCTIO CUM TANTA FIDELIUM MULTITUDINE, *quanta ad Statum conſtituendum requiritur, ut conjunctis animis, viribuſque aliorum injuriae arceantur*, conſiſtatque *ſecuritas, quae finis eſt primarius Status; nec conjunctio*, inquam, PER SE FACIT, AUT NECESSARIA EST AD FINEM RELIGIONIS CHRISTIANAE OBTINENDUM. SED UT QUIS SALVUS FIAT, NIHIL INTEREST, IN MAGNO, AN IN MODICO COETU VIVAT. Neque heic ille ſtatuit errandi modum. ſ. enim XXXII. quo tu uno omnium maxime niteris: *Toto cae-*

---

(1) Synod. Tridentina Seſs. XXIII. de Sacram. Ordinis Can. VII. sic ſtatuit. „ Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent. illis eſſe cum Presbyteris communem, vel ORDINES ab ipsis COLLATOS, SINE POPULI, VEL POTESTATIS SECULARIS CONSENSU, AUT VOCATIONE, IRRITOS ESSE: aut eos, qui NEC ab Eccleſiaſtica, & Canonica poteſtate rite ordinati, nec miſsi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi, & Sacramentorum Miniſtros; Anathema sit „.

caelo, inquit *compages interna* STATUS *alicujus*, *& vincula, queis membra eorum inter ſe connectuntur, differunt ab ea ſtructura, quae in corpore alicujus Eccleſiae reperitur*. Qui tandem? Mirare hominis Scripturas in primis jactantis, exque Ethnicorum Poetarum, Philoſophorumque inani opinione de *civitatum* originibus differentis, contra Scripturam judicium. *Circa primam*, inquit, *ſtatuum, ſive civitatum originem conſtat, homines animadverſis vitæ ſegregis incommodis, atque periculis, quærendæ ſecuritatis cauſſa inter ſe conveniſſe ſuper ſua in unam civitatem conjunctione: inde facto Decreto ſuper modo regiminis, certum hominem, aut conſilium conſtituiſſe, penes quem, vel quod ſocietatis regimen foret, eidemque voluntatem & uſum virium ſuarum circa procurandum ſocietatis bonum ſubmiſiſſe*. Mirum, ni is rationem appellationemque *Status*, ſeu Civitatis iis eſſe populis negandam putet, qui non iſtas ob cauſſas (1), ſed ob alias longe etiam diſcrepantes in unam ſocietatem coaluerint, in qua aut unus aut plures principatum teneant, legeſque ferant iis, quos ſibi ſubjecerint, quibus proſpiciant, quoſque auſpicio, nutuque ſuo regant, ac moderentur. De decre-

(1) Nempe negabit is, Judaeorum ullam fuiſſe Rempublicam, Civitatem, Statum, propterea quod non ad ſegregis vitae incommoda adverterint animum, ſed quoniam omnes ex uno Jacobo profecti erant, unam ſervarint ſocietatem.

creto, video, quid ſibi velit. Non enim edictum ſolum, ſed placitum quodvis, pactum, conventionem, ordinationem, inſtitutum &c. decreti indicat nomine. Atque decreto, ſeu ordinatione, eaque divina, formam Regiminis Eccleſiaſtici non fuiſſe introductam dicere, hæreticum dogma eſt, quod eſſe ab Synodo Tridentina damnatum, diriſque devotum conſtat. Nihilo ſecius pergit ille, cujus tu ſententiam catholicam eſſe prædicas, atque *aliter plane*, inquit, *circa plantandas Eccleſias ſeſe res habet. Non enim homines ultro, agnita miſeria ſua, inter ſe convenerunt de Converſione ſui ad Deum; ſed cum ignorantiæ tenebris circumfuſi* (1), *ſalutiſque ſuæ ſecuri agerent, Deus demum per miſſos a ſe annunciavit, & præcepit, ut omnes ubique reſipiſcerent. Nulla ergo eſt conventio hominum inter ſe ad ſubeundam, & conſtituendam Eccleſiam; ſed ſinguli pro*

(1) Quid? Originem eam Civitatum, ſeu Statuum Pufendorfius negabit fuiſſe futuram, si vera eſſet, quam indicat Cicero in I. de Inventione Rhetorica Libro Cap. II.? Non enim homines, qui in ſumma inſcientia primum verſati fuerint, ipſos per ſe ſuam agnoſſe miſeriam, conveniſſeque ſcribit Cicero; ſed „ quo, inquit, tempore quidam magnus videlicet „ vir, atque ſapiens cognovit, quæ materia eſſet, & quanta „ ad maximas res opportunitas animis ineſſet hominum, si quis „ eam poſſet elicere, & præcipiendo meliorem reddere: qui „ diſperſos homines in agris, & in tectis silveſtribus abditos „ ratione quadam compulit in unum locum, & congregavit, „ & eos in unamquamque rem inducens utilem, atque honeſtam, primo propter inſolentiam reclamantes; deinde propter rationem, atque orationem ſtudiosius audientes, ex feris, & immanibus, mites reddidit, & manſuetos „.

pro ſe citra reſpectum ad alios , Sacramento Chriſti ſuccedunt . Unde cum alias in civitatibus , Patremſamilias membra ſuæ familiæ ſequantur , & hac per iſtum jure civitatis potiantur ; in Eccleſia ſecus ſe res habet . Hic enim maritus non trahit ſecum uxorem , nec Dominus ſervum . Sic in Narciſſii infidelis familia erant Chriſtiani ſervi , quos ſalutat Paulus Rom. XVI. 11. *& indignus Chriſto eſt , qui Patrem ; aut Matrem, Filium , vel Filiam plus , quam ipſum diligit.* Matth. X. 37. Luc. XIV. 26. Matth. XII. 50. *& de hac ſeparatione , diviſione , ac diſſidio , quod per Chriſti doctrinam excitandum dicitur, explicandum eſt* Matth. X. 34. Lucæ XII. 51. *quod nempe obligatio erga Chriſtum potior , & validior ſit aliis neceſſitudinis inter homines vinculis ; unde & deficiens ab Eccleſia Pater , Maritus , aut Dominus, Filium, Uxorem , aut ſervum ſecum non trahit .* Poſteaquam hæc (quæ ſane , ut liquet, nihil obſtant , quin ſocietas, ſtatus , civitas conſiſtant) uti impedimenta quaedam civitatis conſtituendæ perſequutus eſt ; unitatem ſuſtulit , conſociationemque Eccleſiæ univerſæ ; eaque miſcuit , atque turbavit contra dogma fidei , quæ ſupra deſcripta ſunt; mox illud adjungit , in quo tu , velut in oraculo veritatis catholicæ pleno , locas reſponſionis tuæ præſidium , quodque eſt hujuſmodi : *Deinde in Eccleſiis formandis*

dis non opus eſt Decreto ſuper certa regiminis forma introducenda; abſurdæque adeo ſunt quæſtiones : Monarchica , Ariſtocratica , an Democratica forma competat Eccleſiæ. Hæ quippe formæ cadunt in ſtatum aliquem, ſeu civitatem: Eccleſia autem ſtatus non eſt. Cum porro diſparem a civitatibus finem habeat Eccleſia , diſparia quoque ſunt munia , quæ utrinque proveniunt . Quam perſonarum varietatem finis Civitatum producat, nemini eſt ignotum . Aſt perſonarum , quæ reſpectu Eccleſiae oriuntur, ſimpliciſſima eſt diviſio, in Doctores, & Auditores.

XIII. Jam cernis, quam Pufendorfius deſcribat Eccleſiam. Satin' *juridice?* Annues, credo. Non enim commites, ut non plane *juridice* actum ab eo fuiſſe ſtatuas, cujus tu doctrinam , ſi non minus *juridico* , quam *theologico oculo* conſideretur, cenſes haberi veram , atque catholicam oportere . Age : Iſto ipſam oculo , tibi ut ſatisfaciam , egomet etiam videro . At me proprio iſtiuſmodi oculo carere , fortaſſe dices. Caream , nec ne , non laboro . Utar commodato. Commodabit autem Pufendorfius. Viſne hujus tu oculo *juridicum oculum* perſpicaciorem? Sed heus tu, dum hoc utor, hæreſim, mihi crede , non *jus* invenio. Negas? At ex ſerie ejus paragraphorum perſpicio , quid ille ſibi propoſuerit quæſtionis,

Pufendorſiani ejuſdem ſyſtematis Synopſis.

nis ; quibuſque gradibus ad iſtam deſcenderit *veram*, quam vocas, *catholicamque* ſententiam. Nam huc ſuam potiſſimum quæſtionem ſpectare ait: *poteſtas ne ulla ſacra* introducta fuerit voluntate Chriſti, qua Eccleſia conſtituta ſit *ſtatus*, an contra? Affirmare, indicat, Catholicos; ſe negare. Iiſdem noſtris Catholicis vertit vitio, quod unam ſuam Eccleſiam dicant veram; reliquas hæreſeos, aut ſchiſmatis arguant. Fatetur inde, ſi id noſtri pervicerint, ſe profecto cauſſa caſurum. Dat igitur, Eccleſiam fore *ſtatum* (nam de hoc eſt cauſſa) ſi una Catholica Romana Eccleſia vera ſit. Qua ex re illud plane exſiſtit, ut vel non una Eccleſia Catholica Romana ſit vera (id quod Catholici quique damnant hæreſeos); vel ſi eſt, jam, Pufendorfii confeſſione, Eccleſiam eſſe *ſtatum*. Id poſtremum cum ille nolit, probat primum; quod ut efficiat, negat Romanam Catholicam Eccleſiam a Chriſto eſſe; Principeſque Proteſtantes, qui ſe, ſuoſque ab ea ſejunxerint, defendit egiſſe jure. Commenticia porro dicit eſſe, quæ Romana ipſa Eccleſia de regimine Eccleſiaſtico profitetur. Hoc ceteris perſuaſurus, Chriſtum, addit, ſibi *populum* (*imperii*, ſeu *juriſdictionis* alicujus vinculo nectendum) feciſſe omnino nullum. Non *dependiſſe* porro Apoſtolos a Chriſto ut a Domino

no ſubditos, ſed ut Diſcipulos a Magiſtro: Chriſtum enim, etſi poteſtatem Regiam Doctoris officio conjunxerit, non geſſiſſe tamen perſonam Principis, ſed Doctoris. Venit deinceps ad Apoſtolos. Hos *pro auctoritate propoſuiſſe* dogmata, pernegat. Nam præter poteſtatem annunciandi Evangelii, nihil his juriſdictionis, nihil auctoritatis, qua ſontes reprimerent, conceſſum, docet, ne tam exiguæ quidem, quam eſt ludimagiſtrorum in ſegnes, aut pervicaces pueros. Jam *paſcendi vocabulum*, non *imperium*, *poteſtatemve involvere*, ſed ſolam *pabuli ſuggeſtionem notare*, animadvertit. Quare poſt promulgatum Evangelium, nihil plus ineſſe Sacerdotibus jurium, quam ut doceant. Neque ſolis Sacerdotibus creditum eſſe ſervandæ, cuſtodiendæque doctrinæ officium. Patere divinos codices omnibus, atque inde haurire quemque dogmata, Doctoriſque munere fungi poſſe, ſi Doctores, ſeu Sacerdotes ſecus aut præcipiant quidpiam, aut velint, aut agant, ac populus cenſeat. Nam hos tum, cujuſquemodi tandem ſint, aut contemni, aut populi juſſu dejici de gradu poſſe. Nihil vero inde obventurum mali. Pugnat mox, *clavium*, præter doctrinæ prædicationem, nullam poteſtatem, aut juriſdictionem eſſe. Ne Apoſtolos quidem, neve Chriſtum ipſum, *per modum juriſdictionis peccata remiſiſſe.*

Remiſſionem peccatorum ſtatim ſequi, ac exſiſtat fides. Jam *excommunicandi* facultatem nihil importare, aut involvere jurisdictionis. Quare ſatis ipſam non eſſe ad *formandum ſtatum*. Qua ex re intelligitur, *juriſdictionem* ejuſmodi (ſi qua ſit, ut eſt revera) ſatis (Pufendorfio judice) ad *ſtatum*, ſeu *civitatem* quampiam aliqua ratione formandam, fore. Nam *ſtatus*, & *civitas* (eodemmet auctore Pufendorfio) reciprocantur. Ad *ſtatum* porro, ſeu *civitatem* conſtituendam requiri, docet, *imperium*, ſeu juriſdictionis poteſtatem, ex qua *praeminentia promanet unius præ altero*. *Præeminentiam* vero ejuſmodi nullam jubet eſſe; propterea quod juriſdictionis (*independens* præſertim) poteſtas, *ex intentione Chriſti*, extet omnino nulla; nec Eccleſia, qua Eccleſia eſt, *ſocietas ſit hominum independens*, cujus *ſummum ſit imperium*, ſeu poteſtas juriſdictionis, qua *regatur*. *Actionem* deinde conſtituendorum Sacerdotum, ſeu Doctorum ſuffragiis populi fieri addit, non imperio cujuſquam; proindeque non *ſtatus propriam* ipſam eſſe, ſed ejus plane generis, quod in *privatum* etiam *Collegium civitati*, ſeu ſeculari Imperio ſubjectum queat competere. Collegiis item, neque Collegiis modo, ſed *privatis* etiam hominibus quæſtiones de religione diſcutiendi, decidendique jus, atque poteſta-

tem

tem eſſe. Quare id poteſtatis genus, nihil ſecum imperii, ſive juriſdictionis ferre. *Subordinationem* præterea *unius Eccleſiæ ſub alia* nullam dari, dicit; negatque *ſcopum eſſe religionis Chriſtianæ*, ut ulla ſit Eccleſiarum conjunctio. Nihil enim *intereſſe*, ſtatuit, *in magno ne*, quiſquam, *an in modico cœtu vivat*. Dixerat ánte de Petro; atque huic, Romaniſque deinceps Pontificibus *primatum in Eccleſias univerſas* conceſſum a Chriſto non fuiſſe pronunciarat. Dederat deinde, Eccleſiam Catholicam Romanam eſſe *ſtatum*; ſed eam *quæ ſtatus eſt*, & *qua ſtatus eſt*, negarat *a Chriſto* eſſe. His non jam conſtitutis; ſed mire conſictis, turbatiſque rebus, concludit: Eccleſiam non eſſe *Statum ex intentione Chriſti*. Nam inde conſtare putat: *toto cælo compagem internam* STATUS alicujus, & *vincula*, *queis membra inter ſe connectuntur*, differre *ab ea ſtructura*, *quæ in corpore alicujus Eccleſiæ reperitur*. Itaque Pontificum Primatu rejecto: Damnata Catholica Romana Eccleſia, ac ſi a Chriſto non ſit: negata omni *clavium*, *remittendorum peccatorum*, *excommunicationis* infligendæ, conſtituendorum Sacerdotum, definiendarum quæſtionum de religione, poteſtate independenti juriſdictionis: Diſciſſa unitate catholica: Atque illa (quæ *intentione* Chriſti, juſſuque conſtat) cœtuum

Chriſtianorum conſociatione , conjunctioneque ſublata : Nullaque re (præter docendi poteſtatem) conceſſa , quæ in privatum quodque Collegium Civitati *laicae* , ſeu *ſeculari* , ut vocant , ſubjectum , non poſſit cadere ; ad eam ſententiam deſcendit , quam tu in veris , atque catholicis fidenter numeras : Cumque ex intentione Chriſti, Chriſtianorumve decreto nullam certam formam eccleſiaſtici regiminis dari , oſtenſum ab ſe putet fuiſſe (non enim ſeriem , ordines , claſſes ullas in Eccleſiis eſſe , præterquam Doctorum , & Auditorum putat) ; tum demum conſequutum ſe arbitratur eſſe , ut *in Eccleſiis formandis non opus ſit Decreto ſuper certa regiminis forma introducenda &c.* Tenes, qua via Puſendorfius iſtuc pervenerit. Nega modo , ſi potes , ſumma omnium Catholicorum conſenſione , hæreticam eſſe , exque hæreticis doctrinis ab Synodo Tridentina damnatis , & anathemate confixis , manantem ſententiam. Quod ſi nequis negare , ut nequis profecto , ecquid erit , rogo te , reliqui , niſi ut hæreticum dogma probatum tibi , propoſitumque abs te uti Catholicum fateare ?

Effugia præcluduntur , quæ Febronius fortaſſe quaeret , declinandae cenſuræ cauſſa.

XIV. At hunc unum, quem attuliſti Puſendorfii locum uti verum , atque catholicum probari tibi , dices ; non omnes . Itaque conſulto te animadvertiſſe , *hac in*

par-

parte eum vera , atque etiam *catholica tradere* .

Sed ſic habeto, Febroni: 1.° *hac in parte* , quæ ille *tradat* , ex iis eſt dignoſcendum , quæ antecedunt , quæque conſequuntur , & quibuſcum aliqua ei ſententiae ſit , quam tu afferas , colligatio . Non enim unum ipſum per ſe , ſeparatim ab aliis , ſumendum Pufendorfius volet locum , quem idem ita junxerit antecedentibus , ut ſeries quædam eſſet, continuatioque ſententiarum. Jam vero ex his quæ præcedunt , & quibus veluti gradibus in iſtum Pufendorfius deſcendit locum , & quibuſcum is idem locus , quemadmodum vidimus , nexus, colligatuſque eſt , plane perſpicitur , quo ſenſu , quam a doctrina catholica alieno , quam hæretico , negarit ille : *in Eccleſiis formandis opus fuiſſe Decreto , ſuper certa regiminis forma introducenda* . 2.° *Hac in parte* , ecquis Catholicus credat, *vera tradidiſſe* Pufendorfium, generatim, atque univerſe negantem, *fuiſſe opus decreto* , ſeu ordinatione ulla &c. cum contra , Synodus Tridentina doceat : *Principatum ſacrum* , in quo Epiſcopi primas obtineant , *regantque* ceteros ; *Principatum* , inquam , *ſacrum* (nam id fert *hierarchia* vocabulum) inſtitutum eſſe *ordinatione* Dei (1) ; neque doceat ſolum ; ſed eos etiam,

(1) Vide ſupra pag. 193. ſq. hujus Vol.

qui contra exiſtiment, anathemate feriat? 3.° Quo tu modo neges, habitam abs te rationem eorum, quæ præcedunt, fuiſſe; ſi unius Pufendorfianæ ſententiæ tuendæ cauſſa, ad eadem ipſa quæ præcedunt, confugeris? Undenam enim, niſi ex antecedentibus didiciſti, noſſe Pufendorfium, *in quo diſferat regimen Imperiorum, & Regnorum a gubernatione Eccleſiæ, etiam Catholicæ* (1)?

Verum (gratia fortaſſe apud Catholicos purgandi tui) non eo te ſenſu locum iſtum probaſſe cauſabere, quo probatus eſt Pufendorfio. Sed qua id tu ratione fretus, dices? Nam ita ſi eſſet, non Pufendorfii te ſententiam afferre, ſcriberes; ſed tuam. Rurſum ſi alio tu, non Pufendorfiano ſenſu loquerere; quo, amabo te, modo, *vera hac in parte a Pufendorfio tradi* affirmares? Quin etiam ſi non eadem tua, atque Pufendorfii mens eſſet, non in eos inveherere, qui Pufendorfium ipſum vera tradidiſſe negarent; neve ipſos *cavillari ſententiam catholicam viri docti, licet non Catholici*, diceres. Jam cernis, nihil te hoc genere defenſionis proficere. Itaque, ſi modo poſſis, alio utere. Mihi certe nullum in mentem venit. Excogitabis tu quidem aliquod. Patiar. Sed cave, rogo, ne ſit inanius.

Ac

(1) Vide pag. 156.

Ac forte, videndum eſt, inquies, quid Puſendorfius ſibi velit *civitatis*, *ſtatuſve* nomine. Sic enim facile *vera*, atque *catholica tradi* perſpiciemus ab eo, qui non *debuerat ignorare*, *in quo differat regimen Imperiorum*, *& Regnorum a gubernatione* Eccleſiæ *etiam Catholicæ*. Quid *civitatis*, *ſtatuſque* vocabulis Puſendorfius intellexerit, vidimus. Præminentiam, poteſtatem juriſdictionis, intentionem Dei, vel decretum populi requirit ad ſtatum, ſeu civitatem conſtituendam: Eam præeminentiam, eam poteſtatem, id quidquid eſt intentionis, & decretorum, de Eccleſia differens, funditus tollit. Haec tu, doctrinae portenta hæretica eſſe concedes, ni definitionibus Synodi Tridentinae velis reſiſtere. Norat ille quidem rationem *gubernationis Eccleſiæ Catholicæ*; eamque ſecum ferre rationem *Status*, ut eſt demonſtratum, conceſſerat; ſed ipſam, quæ *Status eſt*, *& qua Status eſt*, non eſſe a *Chriſto*, hæretico ore pronunciarat.

At ad rationem, formamque ſtatus, ſeu civitatis conſtituendam, populorum Decretum deſiderat Puſendorfius. Nam fuiſſe eam ſtatuum originem primam, ſcribit (1). *Aliter* autem *circa plantandas Eccleſias ſe rem habere*. Nullam enim *eſſe conventionem hominum*

(1) Vide Puſendorfii locum integrum pag. 222. ſq. hujus Voluminis.

num inter ſe ad ſubeundam & conſtituendam Eccleſiam; ſed ſingulos pro ſe, citra reſpectum ad alios ſacramento Chriſti ſuccedere.

Ego vero, id ſi objeceris, proſpicio, quorſum evadet. Nempe eo tendit, ut verborum inter nos videatur eſſe, non ſententiarum diſſenſio. At hoc, mihi crede, fruſtra conabere. Non enim de origine ſtatuum, ſeu civitatum, quæ omnium prima fuerit, quærimus; ſed *quid ſtatus, civitaſque* ſit, ſive quid exigatur, ut ſocietas quæpiam hominum *ſtatus*, ſeu *civitas* appellari & eſſe poſſit. Jam vero non dubitat Puſendorſius, quin conſociationis Hebræorum ratio & potuerit recte dici, & fuerit revera *Status* (1). Verumtamen ad hunc inducendum *Statum* nullum ejuſmodi Decretum populorum, nulla rerum earum (concedente Puſendorſio (2) intervenit, quas idem de *Statu* diſputans, memorat; ſed una miniſterio Moſis promulgata Dei ordinatio ſatis fuit. Quid? ſi Eccleſiam Catholicam Romanam ille ipſe Puſendorſius *Statum* dicat eſſe; in quam tamen nihil ejuſmodi cadere cognorat, quæ ipſe de *populorum* decreto, de *periculis*, quæ ipſi per ſe homines noverint, de *marito trahente ſecum uxorem* &c. congerit? Unitatem ille multitudinis, *ſeu numeroſum coetum* deſiderat ad con-

(1) Puſend. §. IX. & XV.
(2) §. XII.

conſtituendum ſtatum, *a quo quidem coetu, conjunctis viribus, atque animis aliorum injuriae arceantur*; & in quo alii ſive decreto populi; ſive ordinatione Dei, *praemineant*, alii *ſubſint*; alii *imperio*, ſeu *juriſdictionis* poteſtate præſtent & regant, alii regantur &c. ut ſupra eſt animadverſum. Sed hæc Eccleſiæ ex intentione Chriſti congruere prorſus negat; ac ſi congruerent, fatetur, Eccleſiam ipſam futuram *Statum*; ut *Statum* agnoſcit eſſe Catholicam Romanam Eccleſiam, quam tamen eſſe a Chriſto inficiatur; id quod, ut ante dixi, hæreticum eſſe liquet. Quid autem iſtud eſt extremum de iis, qui ſacris ſeſe addicunt Chriſtianis, quaſi *hi pro ſe citra reſpectum ad alios ſacramento Chriſti ſuccedant*? *Reſpectus* ne erga Præſides Eccleſiæ nullus accedenti ad ſacra Chriſtiana erit, etſi Paulus obedire quemque his Præpoſitis, ſeu Præſidibus; iiſdemque ſubjacere moneat, qui *poſiti a Spiritu Sancto ſunt regere Eccleſiam Dei*? *Reſpectus* item nullus erga Caput, & Membra reliqua; cum tamen idem Paulus corpus unum Eccleſiam eſſe; & unum membrum opus eſſe alteri, doceat; edicatque, alterum alterius portare onera oportere, ut adimpleant legem Chriſti? Sed iſtud quale ſit video. Nam eo recidit, quo illud alterum Puſendorfianum *de ſcopo religionis Chriſtianæ*, qui *obtineri poſſit*,

ſit, ſi vel maxime quis non ſit conjunctus numeroſo alicui fidelium cœtui. Hoc vero opinionis portentum ecquis orthodoxus non indigne ferat? Nam ea poſita opinione, everti funditus quiſque cernet *articulum* fidei, quo *unam*, credimus, *Sanctam*, *Catholicam*, *Apoſtolicamque Eccleſiam*. Verum hoc alias. Intereà illud tenebo: etiam non admiſſis iis, quæ de populi *decreto*, deque *periculis*, quæ ipſi per ſe homines cognorint, Pufendorfius narrat; modo tamen ſit hominum inter homines ſocietas, in qua (ut in Romana Catholica Eccleſia) ſint, qui *præemineant*, qui *juriſdictionis independentis* valeant poteſtate, qui regant, quibus alii pareant, parereque debeant &c. *Statum*, ſeu *civitatem* (Pufendorfio eodem fatente) poſſe conſiſtere.

At opus *territorio* eſt. Nihil minus. Non enim unius territorii finibus coanguſtanda Eccleſia eſt, quam & Prophetae prænunciarunt, & Dominus in Evangelio confirmavit, eſſe propagandam in univerſum terrarum orbem. Sed quid plura? Eccleſiam Catholicam Romanam ubique gentium vigere Pufendorfius plane noverat, & eam tamen *ſtatum*, ſeu *civitatem* eſſe conceſſit. Ecquod autem territorium Catholicæ Eccleſiæ in Galliis eſt, ecquod in Hiſpaniis, ecquod in Luſitania, ecquod in Aſia, ecquod in

Afri-

Africa , ecquod in America ? Non ergo ita opus eſſe *territorio* Puſendorfius cenſuit, ut ſine illo *ſtatus*, ſeu *civitas* formari, diuque manere non poſſit.

Sed , auctore Puſendorfio , opus communi pecunia eſt, qua *civitas* ſumptus , uti par eſt , in rem ſuam publicam faciat . Pecunia autem nulla certa conſtituta a Chriſto eſt, quæ perpetuos Eccleſiæ ſumtus ſuppeditet , non ſolum liberales ; ſed etiam neceſſarios .

Ne time , Febroni . Nam ſic tecum ſtatuas , vehementer velim : Chriſtum , qui diſcipulis (quos ſine pera , & calceis Evangelium nunciatum miſerat) numquam defuit; non eſſe umquam Eccleſiæ ſuæ,quam perpetuam dixit fore , quod ad neceſſarios ſumtus attinet , defuturum . Meminiſti , ut Eccleſiæ Hieroſolymitanæ , ut aliis , ut univerſae, qua late patebat , Chriſtianorum Societati primis etiam ſeculis proſpexerit , cum vexati ubique gentium noſtri , atque ita quæſiti etiam ad necem eſſent , nullum ut reperirent locum , in quo ſatis tuto poſſent conſiſtere .

At enim de *formis* illis *tribus* Ariſtotelicis Monarchia , Ariſtocratia , Democratia, non de quavis alia regendæ Eccleſiæ ratione te (qui auſcultaris Puſendorfio fuiſſe) loquutum, dices . De tribus his ego formis poſt agam, oſtendamque cujuſmodi ſint , & an earum ul-

ulla in Eccleſiam competat. Hoc interim ſcito negari tibi, de his te tribus *formis* tantum egiſſe. Nam generatim, Pufendorſium ſequutus, edixiſti: *ad certam formam regiminis in Eccleſiis formandis introducendam non fuiſſe decreto opus*; atque hoc univerſe conſtituto principio, deinceps concludendum putaſti: *abſurdas* eſſe *quæſtiones*, num *Monarchicum*, *Ariſtocraticum*, *Democraticumve* ſit Eccleſiæ Regimen. Itaque non has modo, ſed certam etiam quamlibet regendæ Chriſtianæ reipublicæ (vade Pufendorſio) ſuſtuliſti formam. Vade, inquam, Pufendorſio. Non enim ſolum in 1. Volumine (1) operis tui, ejus te una reſponſione contentum fore indicaſti; verum etiam, cum de voce *ſtatus* neſcio quid tibi obiectum eſſet, evaſurus inde, in Pufendorſii rurſum confugiſti præſidium; inque quarto tuo volumine (2): *Quid per verbum ſtatus*, dixiſti, *Pufendorſius hoc loco intellexerit, ſatis explicat per verbum Civitas. Status, inquit, ſeu Civitas*. Atqui Pufendorſius, ut eſt ſupra demonſtratum, ita *Civitatis* explicat nomen, ut ea poſita explicatione (præter *prædicationem divini verbi*) nihil Eccleſiæ ſuperſit aut certæ regiminis formæ, aut poteſtatis. Itaque iſto reſponſionis genere nihil ages: quare alio

(1) Vide pag. 183. ſq. huius Vol.
(2) Confer pag. 189. hujus Vol.

alio utare neceſſe eſt, ſi tibi conſultum velis, qui in ejus te unius hæretici hominis fidem permiſeris.

Ullum ne vero tibi ſit reliquum, quo te apud Catholicos excuſare poſſe videare, neſcio. Non enim ſuccurrit. Si quid erit; volo, me facias quam diligentiſſime certiorem. Sed cura, obſecro, ne dum cavillari alios ſcribis, tu ipſe, ut reprehenſionem effugias, cavillere. Atque ſi ex iis, quæ animadverſa hactenus ſunt, conjecturam facere licet, plane metuo. Nam ita eſt abs te inſtituta ratio, ut quidquid tetigeris, id ſane proſpiciam, ulcus fore.

Fidem Febronius non liberat. Non enim adScripturarũ, Patrumque, ut promiſit ſaepe, ſed ad Synodi Baſileenſis, Euſebiique Amortii auctoritatem confugit, ut Puſendorſii ſententiam catholicam efficiat; ſed fruſtra.

XV. Quin tu (qui plus millies promiſiſti, nihil te umquam affirmaturum, quod non Scripturarum, Patrumque auctoritate muniveris) unum ſaltem aliquod teſtimonium adhibes aut Scripturarum, aut Patrum? Cur fidem non liberas? Viſne, ut Puſendorfium in Patribus numeremus? Hoc etiam reſtat ſcilicet. Cur igitur, præter hunc, non modo Patrum, ſed Scriptorum etiam recentium (reſponſionem illam tuam confirmaturus) teſtem adducis omnino neminem? At adduxiſſe te poſtmodum, inquies, in eo libro, quem, *Flores ſparſi ad Juſtinum Febronium*, inſcripſiſti (1); dediſſeque *viro delicato*, qui

(1) Cap. II. §. V. pag. 382.

qui Scriptoris acatholici auctoritatem recuſaret, *auctoritates mere catholicas, eaſque irrefragabiles*. Nam ad Patres Synodi Baſileenſis provocaſſe te, qui Patres negarant: *Eſſe comparandum corpus Eccleſiæ aliis politicis corporibus civitatum, & univerſitatum: quia in medio hujus corporis eſt Chriſtus, qui ipſum regit, ne erret. Alia autem politica corpora humanis, & variis voluntatibus gubernantur:* Quid? An eſt quiſquam alius, qui ſuppetias afferat? Etiam, inquis. Eſt autem is P. Euſebius Amortius, qui in III. Volumine *Elementorum Juris Canonici*, *Differt.* 1. *p.* 6. ſic habet: *Ex his ſequitur, formam regiminis Eccleſiaſtici, proprie loquendo nec eſſe Monarchicam, nec Ariſtocraticam, nec Democraticam. In his enim tribus formis regiminum reperitur poteſtas dominativa, hoc eſt poteſtas* PRO LIBITU *regendi, obligandi, legibus ordinandi, & cogendi invitos... E contra in regimine Eccleſiaſtico nihil fit pro libitu, ſed omnia ſolum fiunt miniſterialiter pro executione legum anteriorum, puta naturalium, divinarum, & conciliarium, ſeu collegialium, quas vel Deus anteriore jure naturali, ac Divino, vel conſenſus Eccleſiarum, vel conſuetudo populorum ſenſim pro lege induxit*. Jam hæc cujuſmodi ſint, mox expendam. Illud nunc miror, qua tu confidentia, his adductis teſtibus, quaſi magni quidpiam conſequutus

tus ſis, adverſário tuo inſultans, ſcripſeris: *Videat nunc, an, & quid, attentis gravibus his Catholicorum auctoritatibus, in cauſſam ſuam lucretur, cavillando ſententiam viri docti* (Puſendorfii) *quamvis non catholici*. Nam conſiderandum potius tibi majorem in modum erat, quid iſtinc tu poſſes lucri capere. Non enim tanti auctoritas Baſileenſium eſt, ut eam *irrefragabilem* dicere, non invitis pleriſque catholicis, liceat. Noſti de Synodo Baſileenſi quid tandem Julianus Cardinalis, qui ei diu præfuerat; quid poſt reſipiſcens Aeneas Sylvius, qui magna ejus Synodi pars fuit (1); quid Scriptores permulti

(1) Multa ſunt de Juliano in promptu, quæ libens prætereo, ne longus ſim. Uno utar teſtimonio Aeneæ Sylvii Piccolominei, qui hæc ſibi ab ipſo Juliano dicta ſumma ſide narrat in ea Retractatione, quam ad Colonienſes, cum Pontificatum adeptus eſſet, Piique II. ſibi nomen adſciviſſet, ſcripſit. Atque is §.V. pag. 845. Hiſtor. Dogmat. & Concordator. Part. II. „ Forte, inquit, per id tempus (quo Aeneas in aula verſabatur Imperatoris, dubitareque de Baſileenſibus cœperat) „ Julianus S. Angeli Cardinalis .. Flavinianum venit, quæ hodie Vienna dicitur. Sæpe cum eo ſermonem .. „ miſcuimus; ſæpe de rebus Baſileenſibus diſputavimus .. „ Extollebamus Generalis Concilii auctoritatem; ille Apoſtolicæ Sedis poteſtatem magnopere collaudabat. Dicebamus, Concilium Baſileenſe jure perſeveraſſe; quamvis Eugenius Præſidentes revocaſſet .. Ille diſſolutum, ſeu tranſlatum rite Concilium affirmabat, & Baſileenſium OPERA „ MULTIS MODIS DETESTABATUR; BASILEÆQUE „ NON SYNODUM ECCLESIÆ; ſed SATANÆ ET MINISTRORUM EJUS SYNAGOGAM REMANSISSE DICEBAT ... Ad extremum, cum ſuis ſcriptis, dictiſque „ Cardinalem vinceremus ... ſubridens ille: .. Præſumpſi de „ me ipſo, inquit, dum eſſem Baſileæ, nimis; quamvis „ deceptus decepi; & credens prodeſſe, nocui. In medio „ Eccleſiæ docens, quæ non didici, cæcus erravi, & in „ tenebris ambulavi. RELIQVI TANDEM ECCLESIAM „ MA-

ti (1), quos recenſere non vacat, quid Pontifices Maximi ſenſerint (2). Sed fac tanti eadem habeatur, quanti tu ipſam pendendam cenſes; ecquid in eo, quo tu abutere, illius loco eſt, quod ſit Puſendorfianæ ſententiæ ſimile? *Principatum* illa, ſeu Primatum agnoſcit Pontificis Maximi: *Poteſtatem* ejus, ac poteſtatem juriſdictionis in Eccleſias quaslibet orthodoxi orbis concedit (3): Unitatem

„ MALIGNANTIUM, ET CUM IMPIIS SEDERE RECU-„ SAVI. .. Cognovi priorem errorem, & QUANTUM A „ VERO PROCUL ABIISSENT BASILEENSES, PLANE „ INTELLEXI. Adii Romanam Curiam, & Eugenio, cum „ fuiſſem REBELLIS, SUBMISI CERVICEM ... Cognito „ errore, non perſeveravi, ſed mox in viam redii.. & VE-„ RÆ MATRIS lacte nutritus, ad FONTEM VERI PER-„ VENI, quem SS. Doctores oſtendunt Græci, & Latini, „ quorum una vox eſt, ſalvari non poſſe, qui S. R. Eccle-„ ſiæ non tenet unitatem; omneſque illas virtutes mancas „ eſſe ei, qui Summo Pontifici obedire recuſat .. quia .. „ omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta eſt, & Ro-„ manum Præſulem in Eccleſiæ vertice conſtitutum eſſe „ conſtat, a quo nullam ex ovibus Chriſti exemptam novi-„ mus. Ego ad ovile redii, qui diu erraveram extra caulas, „ & Paſtoris Eugenii vocem audivi. Tu ſi ſapias, idem fa-„ cies „. Cognitum inde fuiſſe, Aeneas narrat, quid Baſileenſes agerent; inſignemque Theologum Germanum Aſſelbachium dixiſſe: NUNC SCIO BASILEENSES SPIRITUM SANCTUM non habere ductorem; additque proinde, ſe pene laicum veniſſe Romam, & caput Pontifici Maximo ſubmiſiſſe, rejeciſſeque dogma Baſileenſe &c.

(1) In his numerandi ſunt Eugenii P. M. defenſores, quorum extant Aſſertiones T. IX. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. De ceteris nonnullos alibi nominabimus.

(2) Confer Joh. de Turrecremata Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Reſponſionem ad II. Articulum Baſileenſium n. 23. Tom. IX. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. pag. 1273. quo loco demonſtratur, cur Pontifex Maximus renuerit confirmare Decreta Baſileenſium. De Reliquis, agemus alibi diligenter.

(3) Tom. VIII. Conciliorum pag. 1325. Edit. ejuſd. in eadem illa Synodali Baſileenſium Reſponſione, ad quam Febronius provocat, ſic habetur: „ Epiſcopus Tarentinus late explicat „ JURISDICTIONEM, ET POTESTATEM SUMMI PONTI-

„ FI-

tem Eccleſiæ Catholicæ prædicat ; ac creditu, obſervatuque neceſſariam ad ſalutem conſequendam eſſe profitetur : Nihil tam ſeſe horrere, ait, quam *ſchiſma in corpore* (1). Nam *extra Eccleſiam, nullam* eſſe, defendit, virtutem veram (2). Præfert ſe, fateor, Pontifici; at eſſe in Præfectis Eccleſiarum, qui in Synodum præſertim oecumenicam rite convenerint, affirmat, divinitus datam *ſtatuendi, ordinandi, præcipiendi, puniendi* (3) poteſtatem; averſaturque chriſtianos, *qui ab obedientia Petri nitantur ſeſe ſubducere* (4). Jam Eccleſiam *imperium, ac juriſdictionem* obtinere docet (5); nam hanc indicari *clavibus*,

 quo

„ FICIS, quod Caput ſit, & Primas Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, & „ a Chriſto, non ab hominibus, vel Synodis, aliis prælatus, & „ Paſtor Chriſtianorum, & ei datæ ſunt a Domino Claves, & „ uni dictum eſt : TU ES PETRUS : & ſolus in plenitudinem „ poteſtatis vocatus ſit, alii in partem ſollicitudinis, & multa hujuſmodi : quae cum vulgatiſsima ſint, minime neceſ- „ ſarium erat recenſere. ISTA PLANE FATEMUR, & CRE- „ DIMVS, OPERAMQVE in hoc Sacro Concilio DARE IN- „ TENDIMVS, VT OMNES EAMDEM SENTENTIAM „ CREDANT „. De principatu, confer pag. 1322. Non enim diſputare ſe velle de Eccleſiae principatu Baſileenſes ibid. ajunt. Nam & neceſſariam iſtam diſputationem non eſſe, & ſemper ſe reddidiſſe DEBITVM ſuæ Sanctitati.

(1) Pag. 1319. ſqq.

(2) Pag. 1323.

(3) Ibid. pag. 1323. & 1335.

(4) Ibid. pag. 1328.

(5) Ibid. pag. 1327. „ Ne puteris, inquiunt Baſileenſes, „ quin Eccleſia C L A V E S habeat, & IMPERIVM SVPER „ OMNES, quod ideo ſunt multi Principes, contra philoſo- „ phicum dictum : entia nolunt male diſponi. Pluralitas prin- „ cipantium mala; unus ERGO PRINCEPS „ (I modo Febroni, atque Monarchiam &c. a Baſileenſibus prorſum negatam, ſi potes, dicito) „ Ipſa enim eſt unus Princeps, & unitati fidelium, non ſingulis (hoc quale ſit poſt videro) non ſingulis

„ hæc

quæ uni datæ primum fuerint , ut *perfecta unitas , atque unanimitas* deſignaretur . Nihil tale Eccleſiæ Pufendorfius datum putat ; immo ei quæcumque hujus ſunt generis (ut eſt demonſtratum) adimit ; propterea quod metuat , ne *ſtatum* ipſam , *civitatemve* eſſe , concedere cogatur . Pergit porro Synodus , atque *eam unitatem Eccleſiæ* , extra quam ſalvus quiſquam eſſe, catholicuſque non poſſit (1) , cujuſque confeſſio contineatur in Symbolo (2) , & in qua ſit Caput miniſteriale Pontifex (3) , qui CLAVES (4) , *magnamque poteſtatem* habet (5) ; hujus , inquam Eccleſiæ *unitatem* , atque *unanimitatem* multo perfectiorem , atque potiorem eſſe , quam *unitatem unius Regis , atque Imperatoris terreni* . Nihil heic , ut cernis , de Monarchico , aut Ariſtocratico , aut Democratico regimine eſt , neve de *civitate* , *ſtatuve* , quod negetur Eccleſiæ . Immo poteſtatis , jurſdictionis , imperii &c. in ea agnoſcitur a Baſileenſibus ratio ; quæ quidem

---

„ hæc juriſdictio a Domino conceditur ; & ideo ab uno incipere voluit , ut perfectam unitatem , atque unanimitatem deſignaret ; quia unitas Eccleſiæ multo major eſt , atque perfectior , quam unitas unius Regis , aut Imperatoris terreni . Hic enim & errat , & in varias ſententias , atque contrarias ſaepe ſcinditur : Eccleſia autem nec errat , nec ſibi ipſi contradicit „ .

(1) Ibid. pag. 1323. 1324.
(2) Pag. 1323.
(3) Pag. 1326.
(4) Pag. 1327.
(5) Pag. 1334.

dem ratio, Pufendorſio conſitente, propria eſt *ſtatus*, ſeu *civitatis*. Jam vero non aliud quidpiam, quam unitatis Eccleſiæ *Principatum, Jurisdictionem, Imperium* multo præſtantius *unitate unius Regis, atque Imperatoris* demonſtraturi, atque confirmaturi Baſileenſes, id afferunt, quod tute exultans deſcribis: *Nec comparandum eſſe Corpus Eccleſiæ aliis politicis corporibus* CIVITATUM, *& Univerſitatum*. Cur autem? *Quia in medio hujus Corporis eſt Chriſtus, qui ipſum regit, ne erret. Alia autem politica corpora humanis, & variis voluntatibus gubernantur* (1). Viden? ut *corpus* eſſe Eccleſiam, & *corpora eſſe* politica ſecularium Principatuum animadvertat; ſed illud his eſſe adeo præſtantius, ut comparandum cum iiſdem non ſit, eo uno dicat nomine, quod illud Chriſtus regat ne erret; hæc contra humanis voluntatibus gubernentur? Qua ergo tu fide de Eccleſia non Monarchia, neve Ariſtocratia, neve Statu, ſeu Civitate ſententiam defenſurus tuam, ad hunc confugis locum Baſileenſium, in quo non modo de his gerendæ Chriſtianæ reipublicæ rationibus nihil Pufendorſiani contineri; ſed ea conſtitui plane videas (ſi verum fateri velis) quibus, quod e Pufendorſio hauſiſti, ac verum, atque catholi-

 cum

(1) Loco a Febronio indicato, nempe pag. 1328.

cum non es veritus appellare, funditus uti doctrinæ catholicæ inimicum evertitur?

De Amortio paucis accipe: Novum hominem ſuo arbitratu de re theologica ſtatuentem nil moror. Tantum abeſt, ut ejus *irrefragabilem* eſſe *auctoritatem*, aut *gravem* putem. Atque ſunt ejus inventa quædam tam aliena a doctrina Patrum, quam perplura tua. Ea ſi in judicium deducantur, non video, quemadmodum poſſint cenſuram evadere. Quod ſi (uti Patrum eſt regulis conſtitutum) diligenter ille antiquitatis, univerſitatis, conſtantis Majorum traditionis inveſtigator, ſectator, obſervator fuiſſet; non tamen (præteritis non priſcis modo, ſed iis etiam omnibus, qui recentiore memoria claruerunt, divinorum dogmatum illuſtratoribus) unus ille ipſe tibi contra, atque nobis confirmaras, nominandus erat, qui neque eruditionis, doctrinæque exiſtimatione tanti haberetur, quanti plures ſuperiorum; neque cum ullo veterum Doctorum conferendus eſſet magiſterii nomine. Profecto præter Amortium unus ſaltem quiſpiam alius ſubſidio tibi vocandus erat, Gallorum maxime, quos te auctores in primis ſequi gloriare. Id cum non feceris, quid, Febroni, vis cenſeam, niſi te, qui Patrum, recentiumque Doctorum Catholicorum Hiſpanorum, Italorum, Germa-

norum, Gallorum nullum repereris, quem tibi præſidio eſſe poſſe conſideres, ad unum iſtum Scriptorem Germanum perfugiſſe & poſtremum omnium, & plus aequo interdum ſuis conjecturis, ac ſuſpicionibus indulgentem? Atque ut ad rem propius accedam, quæ illius, quæſo, eſt ratio, cur regimen Eccleſiae *Monarchicum proprie*, atque *Ariſtocraticum* neget eſſe? Quia, inquit, in his regiminum formis *reperitur poteſtas dominativa*. Cujuſmodi autem hanc eſſe *dominativam poteſtatem* putat? *Pro* LIBITU, inquit, *regendi, obligandi, legibus ordinandi, & cogendi invitos*. Quid iſtud, rogo, eſt: *pro libitu*? An uno Monarcharum, Optimatumve arbitratu juberi fas eſſe, non habita ratione juris naturæ, aut divinarum legum, aut eorum, quæ ad ſalutem, felicitatemque reipublicæ conferant? Si ſtandum illius verbis eſt, huc iſtud ſane *pro libitu* pertinet. Nam Eccleſiaſtico *regimini* ideo *dominandi* denegat poteſtatem, quod *in eo nihil pro libitu fiat*; *ſed omnia fiant pro executione legum anteriorum*, PUTA NATURALIUM, DIVINARUM, ET CONCILIARIUM, QUAS VEL DEUS ANTERIORE JURE NATURALI, AC DIVINO, VEL CONSENSUS ECCLESIARUM, VEL CONSUETUDO POPULORUM SENSIM PRO LEGE INDUXERIT. Non ergo Monarchicus, Ariſtocraticus, Democraticuſque dominatus pertinebit ad *executionem* juris aut

 na-

turæ, aut divini, neve ad tuitionem legum aut exactorum Regum, aut Senatuum ſuperiorum, aut Plebiſcitorum antecedentium, quæ ut recta ratio poſceret, condita fuerint; ſed ad ſtatuta, præceptioneſque ſpectabit, quæ *pro libitu* ferantur. Quare non video, fingine quidquam poſſit a communi ſenſu remotius? Niſi forte Amortius Monarchiæ, Ariſtocratiæ, &c. vocabulis injuſtum dominatum, ſeu *tyrannidem*, aut *deſpotiſmum*, quem vocant, intelligat: quæ ſi valuerit ſignificationis verborum perverſio, quis dubitet, ſapientem, æquum, Chriſtianum principem nullum fore, qui *monarchice*; Senatum nullum, qui *ariſtocratice*; nullum denique Populum, qui *democratice* ab ſe geri aut dicat, aut dici patiatur rempublicam.

At dices: qui Monarchicam, Ariſtocraticam, Democraticamve poteſtatem obtinent, leges etiam eas juſte poſſunt condere, quæ, quamvis ipſæ per ſeſe non ſint juris naturæ, aut Divini; utrique tamen eidem juri minime repugnent, immo conſentaneæ ſint, ſpectentque ad Civitatum, Regnive commune bonum. Hoc non dicit Amortius. Nam Conciliis Eccleſiaſticis poteſtatem ferendarum legum concedit, quibus tamen ariſtocraticum &c. *proprie* dominatum negat. Conciliorum autem leges permultæ non ad *executio-*

cutionem naturalis, divinique juris, ſed ad diſciplinam pertinent; neque tamen repugnant alterutri horum jurium, ſed conſonæ ſunt, redundantque in Eccleſiæ commune bonum. Atque Conciliis quidem id poteſtatis condendarum legum ab Amortio concedi liquet; alioqui legum ille *Conciliarium* non meminiſſet. Si his igitur, quibus leges ejuſmodi ferre liceat, dominatus deripitur ab Amortio, quia non *agunt* pro *libitu*; conceditur vero Monarchis, iiſque etiam, qui ariſtocratice, democraticeve imperent; fit ita ſane ut quem Monarchis, Optimatibus, Populis dominatum, ſeu quam poteſtatem Amortius *pro libitu* condendi leges attribuit, ea ſit omnis de ſanciendis legibus quæ ſecus habeant, atque jus naturæ, ac divinum, & ratio ipſa, bonumque Regnorum, aut Civitatum poſcat.

Sed addit Amortius: in *regimine Eccleſiaſtico* omnia fieri *miniſterialiter*, adeoque ei concedendum non eſſe *dominatum*, quem tamen Monarchico, Ariſtocratico, Democraticoque regimini competere plane conſtat. Diverſo autem charactere deſcribi abs te *τὸ miniſterialiter* video, quaſi quidquam animadverſione ſingulari dignum comprehendat, cuius firmo præſidio tua ſententia tegi poſſit.

Verumtamen quæro, quid iſtud ſit *mini-*

ſterialiter? An quia Pontifex Maximus, Præſuleſque Eccleſiarum *miniſtri* (1) Chriſti ſunt, idcirco Eccleſiæ regimen caret dominatu? Hoc ſi ita eſt, careant item dominatu Monarchæ, Principeſque ceteri populorum neceſſe eſt, quod hi quoque in ſacris litteris appellentur *miniſtri* (2) *Dei*. Rurſum quæro: Etſi ſummum caput Eccleſiæ Chriſtus eſt, ut eſt revera; at quoniam tamen in cælum aſcendens aſpectui noſtro ſeſe ſubduxit, ullumne divino decreto, ſeu ordinatione ſua reliquerit, qui ſub aſpectum cadens, loco Chriſti paſcat, gubernet, regatque plena poteſtate Eccleſias, quarum *viſibile caput*, *centrumque* ſit *unitatis*? Rurſum Epiſcopoſne, qui juncti Capiti eidem ſint, ſingulis Eccleſiis præfecerit, qui & ſparſi, & in Synodos, præſertim Oecumenicas congregati non modo moderentur dioeceſes privatas ſuas; ſed de rei etiam Chriſtianæ publicæ ſalute, commodis, bono junctim, interque ſe conſentientes

---

(1) Vide Epiſtolam Pauli ad Romanos c. xv. v. 16. & 1. ad Corinthios cap. III. v. 5. & cap. IV. v. 1. ubi ſic habetur: „Sic „ nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti &c. „

(2) Rurſum Paulus in Epiſt. ad Romanos cap. XIII. v. 4. de Principum ſeculi poteſtate agens: „ DEI, inquit, MINI„ STER eſt tibi IN BONVM ... DEI MINISTER eſt, vin„ dex in iram ei, qui malum agit; ideo neceſsitate ſubditi „ eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter con„ ſcientiam „. In ſacro Sapientiæ Libro cap. VI. ſic habetur: „ Audite Reges, & intelligite, diſcite judices finium terræ. „ Præbete aures vos, qui continetis multitudines ... quo„ niam data eſt a DOMINO poteſtas vobis, & virtus ab Al„ tiſsimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcru„ tabitur, quoniam cum eſſetis MINISTRI REGNI EJVS &c.„

tes decernant, contineantque in officio omnes juridica auctoritate ſua? Si neget Amortius, definitioni ſeſe opponet Synodi Florentinæ œcumenicæ (1); Reſponſiſque ipſis, quæ tanti abs te pendi video, Baſileenſium (2). Sin concedat, quo demum ore, nullam earum, quas meminit, gerendæ reipublicæ rationem *proprie* in Chriſti Regnum, hoc eſt in Eccleſiam dicet cadere, quam Chriſtus idem ſummum ejus Caput, ac Princeps abſoluto jure *inviſibiliter* tueatur, moderetur, gubernet; & in qua, loco ſui, *viſibile Caput* conſtituerit plena poteſtate Romanum Antiſtitem; cumque eo Epiſcopos poſuerit, qui ſive diſperſi, ſive congregati in Synodum, conſenſione, auctoritate, jure divinitus ſibi dato decidant, quid facto opus ſit, ſtatuant, coerceant repugnantes, inque pervicaces animadvertant? Nam principatum, juriſdictionem, puniendorum, atque adeo cogendorum ſontium poteſtatem, Eccleſiæ Paſtoribus divinitus tributam eſſe, non modo Patres, Pontifices, Synodi profitentur (qua de re poſtmodum copioſe dicam) ſed etiam Baſileenſes, eo ipſo in loco, quo tu modo, Febroni, Puſendorſianam ſententiam obducere conare.

Quo

(1) In Decreto unionis Græcor. de quo alias.
(2) Vide, quæ ſupra ex Actis Baſileenſibus deſcripſi, hujus Voluminis pag. 243. ſq.

Quo in genere non ſatis tuam iſtam perpetuo luctandi tecum rationem mirari poſſum. Nam ut erroris invidiam, notamque vites, teſtibus utere Baſileenſibus, & Amortio, qui certe non conveniunt inter ſe, & cum Pufendorfio, hoc eſt tecum confligunt. Ut enim hactenus docui, Baſileenſes juriſdictionem, puniendi poteſtatem, imperium Eccleſiæ multo etiam ſeculari præſtantius agnoſcunt; at id imperium, eam juriſdictionem, eam puniendi, ſeu cogendi poteſtatem ipſi Eccleſiæ ab Amortio aut negari prorſus, aut in dubium, controverſiamque revocari patet. Jam Amortium cum Pufendorfio, proindeque etiam tecum pugnare, idem ipſe illius, quem affers, locus demonſtrat. In eo ſcilicet (cum Conciliorum fiat mentio, quibus poteſtas inſit condendarum legum) informata, uti cernis, datur certa quædam, conciliorum auctoritate, regendæ Eccleſiæ notio, quæ nonniſi ordinatione, decretove aliquo conſtituta ſit. Non enim hæc poteſtas Synodis conceſſa poteſt intelligi, quavis ordinatione, decretove, quibus ſit conceſſa, ſublato. Atqui in condendis Eccleſiis non opus fuiſſe decreto ad formam cujuſpiam regiminis introducendam, te plane conſentiente, Pufendorfius arbitratur. Quid? Si Amortius primatum Petro, atque adeo ejus ſucceſſoribus fuiſ-

ſe

ſe a Chriſto datum affirmet ; eaque ratione Pontificem Romanum Caput eſſe omnium Chriſti Eccleſiarum, Centrumque unitatis, ac pollere juriſdictionis auctoritate *ſaltem directiva* credat (1); id quod negari a Pufendorſio vidimus? Prætereo, quæ Amortius idem de Epiſcopis, de Clavibus &c. prædicat, quæ ita inſtituta, atque comparata ſunt, ut non modo non confirment, ſed labefactent etiam, funditusſque tollant Pufendorſianam, quam tu catholicam jactas eſſe, doctrinam. Hoc addam breve: negari quidem ab Amortio Eccleſiæ Regimen *proprie* Monarchicum, Ariſtocraticumque eſſe; at ne *analogice* quidem eſſe, id vero nullo modo negari; quod tu tamen omne, Pufendorſium ſequutus, vehementer negas.

(1) Vide Amortium Tom. eodem til. Diſſert. De Primatu Papæ pag. 6. ſqq. Editionis Auguſtæ Vindelicor. an. 1757.

§. VII.

§. VII.

Quam id Puſendorfianæ doctrinæ genus repugnet Catholico dogmati, demonſtrat Divina per Apoſtolos, Patreſque latiſſime propagata, atque ad nos uſque continenter perducta traditio.

Deſcribitur rurſum, ſed brevius, Puſendorfianum dogma, ut illud Febronius memori mente teneat.

XVI. SAtis multa de Amortio. Redeo ad Puſendorfium. Jam ejus hanc eſſe meminiſti doctrinae ſummam: Non opus eſſe, ut multitudo ſit ingens Chriſtianorum, quae conſtituere Statum, ſeu Civitatem poſſit. Nam, *ex intentione Chriſti*, parvi referre, in *magnone quiſquam, an in modico cœtu vivat*. Duos, treſve componere Eccleſiam poſſe, quae Chriſti ſit; quamquam nulla ſit eis cum coetibus chriſtianis univerſis conjunctio, conſociatioque ſacrorum. Non ſolum enim Eccleſiam unam alteri, *ex intentione Chriſti*, non *ſubordinari*; ſed ne unum quidem Chriſtianum alteri, niſi ut Doctori Auditorem; propterea quod finis Chriſtianiſmi obtineri queat, non habito *unius ad alterum reſpectu*. Neque vero Sacerdotum ullam dignitatem conſiſtere inſtituto Chriſti; neve ipſis ullam poteſtatem divinitus eſſe datam; juriſdictionem autem ullam multo minus; ſed uno eos fungi docendi munere, quo tamen fungi etiam

etiam cuique Chriſtiano liceat, ſi modo in ſacris litteris verſatus ſit, habeatque, qui ipſum audire velint. Hanc Eccleſiarum, uti ſunt a Chriſto formatæ, notionem eſſe, quæ præ ſe nullam regiminis formam ferat, quæ forma *ex intentione Chriſti*, in *Statum* poſſit, ſeu *Civitatem* cadere. Quare ad Eccleſias conſtituendas non fuiſſe decreto opus *ſuper certa regiminis forma introducenda*, quæ *Statum* exhibeat; ideoque ineptire eos, qui eſſe ſibi quærendum putent, Monarchicum ne, an Ariſtocraticum, Democraticumve ſit regimen Eccleſiarum. Quod ſi umbra fortaſſe aliqua in his eſt regiminis; id nonniſi ejus eſſe generis, quod meris *Collegiis* ratione quapiam competat; *Statibus* autem nullo modo. Haec dummodo mente memori teneas, non moleſte feram, ſi ſemel a me, iterum, tertium dicta querare.

Multitudo Chriſtianorum tanta eſt, ex intentione Chriſti, quanta ſatis eſſe ad conſtituendum Statum, ſeu Civitatem poſsit. Id negans Pufendorfius cum Scripturis, Traditioneque Majorum pugnat.

XVII. Jam primum, quod eſt de multitudine Chriſtianorum, quæ tanta non requireretur, *ex intentione Chriſti*, quanta ſatis ad conſtituendum *ſtatum*, ſeu *civitatem* eſſet; cognoſce, quam cum Sacris Litteris, Traditioneque a Chriſto per Apoſtolos, ac Patres ad nos uſque tranſmiſſa pugnet. Nam eſt hoc a Pſalmiſte de Chriſto fuſum oraculum (1): *dominabitur a mari*

(1) Pſalm. LXXI. v. 8. ſqq. Confer & Pſalm. LXXXI. v. 8. LXXXV. v. 9. LXXXVI. v. 2. ſqq. XCVII. v. 3. ſq.

ri uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum: coram illo procident Aetiopes . . . Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei . . Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum? Eodemque pertinet illud Iſaiæ e Cap. II. (1). *Et in noviſſimis diebus erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt* POPULI MULTI, *& dicent: venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas &c.* Mitto cetera veteris Teſtamentis loca. Cum enim pervulgata ſint, non eſt cur eſſe mihi deſcribenda putem. Afferam quædam e Novo. Juſſos a Chriſto Apoſtolos fuiſſe Matthæus narrat: ut *euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos &c.* (2) Quin etiam, ut eſt apud eumdem Evangeliſtam, prædixerat Chriſtus ipſe fore, ut *prædicaretur Evangelium Regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus* (3). Quo ſane ſpectant, quæ ſunt item ab Evangeli-

(1) V. 2. ſq. Vide etiam Cap. XI. v. 9. ſq. & XXV. v. 6. ſqq. XLIX. v. 1. ſq. & LI. 5. ſqq. LII. v. 10. LV. v. 4. 5. LX. v. 3. ſqq. & LXII. v. 2. 11. 12. & LXVI. v. 18. & Hierem. Cap. III. 17. & XVI. v. 19. & Oſeae c. I. v. 10. & c. II. v. 24: 28. & Amos Cap. IX. v. 11. 12. & Micheae Cap. IV. v. 1. & ſq. & Sophoniæ Cap. III. v. 9. ſq. & Aggei Cap. II. v. 7. ſq. Zachar. Cap. VIII. v. 20. ſqq. &c.

(2) Matth. Evang. Cap. XXVIII. v. 19.

(3) Ibid. Cap. XXIV. v. 14. Marci c. XIII. v. 10.

geliſtis Marco (1), & Luca (2) litterarum mandata monumentis. Jam huc illud præterea pertinet, quod Johannes in Evangelio (3) ſcribit a Chriſto fuiſſe dictum: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet Unum Ovile, & Unus Paſtor: Moriturus enim erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum* (4): atque veluti doctrina inſtinctu Dei iis litteris, quæ ſunt ad Romanos, a Paulo comprehenſa poſtulat (5): ut *ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui Pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt: quia Patrem multarum gentium poſui te &c.* Ac *Chriſtus* quidem *Jeſus*, ut idem nos docet Paulus (6), *Miniſter fuit circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas* PROMISSIONES PATRUM; *gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: propterea confitebor tibi in gentibus Domine. Et iterum dicit: lætamini* GENTES *cum plebe ejus; Et iterum: laudate* OMNES GENTES *Dominum*, & MAGNIFICATE EUM

R OMNES

(1) Cap. XVI. v. 15. ſqq.
(2) Cap. XXIV. Evang. v. 47. ſq.
(3) Cap. X. v. 16.
(4) Joh. Evang. Cap. XI. v. 51. ſeq.
(5) Cap. IV. v. 16. ſq.
(6) Ad Rom. c. XV. v. 8. ſq. & Cap. XVI. v. 25. ſq. & Epiſt. ad Galatas Cap. III. v. 8. & 14. & Cap. IV. v. 22. ſq.

OMNES POPULI: *Et rurſus Iſaias ait: erit radix Jeſſe*, ET QUI EXURGET REGERE GENTES. *In eum* GENTES SPERABUNT. De Patribus longum eſt dicere, quorum ſtudio, opera, diligentia ea, quæ Apoſtoli a Chriſto acceperant, ad noſtra uſque tempora permanarunt. Horum aliquos commemorabo. Clemens is, qui Petri, ac Pauli auditor, idemque Antiſtes Romanorum fuit, in Epiſtola, quam ad Corinthios dedit: (1) *Jeſus Chriſtus* inquit, *non venit in jactantia arrogantiæ, neque ſuperbia* καἰπερ δυνάμενος QUAMVIS POTENS; *ſed in humilitate, quemadmodum Spiritus Sanctus loquutus eſt*. Ait *quippe*: „ Domine quis cre-„ didit auditui noſtro?. Et vidimus eum, „ & non habebat ſpeciem neque decorem ... „ Iſte peccata noſtra portat. Propterea ipſe „ HÆREDITATE POSSIDEBIT MULTOS, & for-„ tium dividet ſpolia, pro eo quod tradita „ eſt ad mortem anima ejus &c. „. Horum ſunt ſimilia, quæ ſeculi II. illuſtris ſcriptor Juſtinus Martyr complexus eſt in eo Dialogo, quem adverſus Tryphonem Judæum ſcripſit. Is oracula Prophetarum exitu in Chriſto comprobata fuiſſe demonſtrans: *Poſtquam*, inquit, *juſtus ille occiſus eſt, nos populus alter reſloruimus, quemadmodum dixe-*

(1) Num. XVI. pag. 17. Tom. 1. Epiſtolar. Romanor. Pontificum Edit. Paris. 1721.

dixerunt Prophetæ : „ *& confugient* GENTES „ MULTÆ ad Dominum in die illa εἰς λαὸν „ IN POPULUM , & habitabunt in medio „ univerſæ terræ „ . *Quapropter non contemnendus populus* ſumus , *nec barbara natio , nec quales Carum , aut Phrygum nationes . . Haec enim illa gens eſt , quam olim Deus pollicitus eſt Abrahæ , eumque* MULTARUM GENTIUM *Patrem a ſe inſtitutum iri promiſit* (1) . Et paullo poſt (2) : *Quænam igitur , inquit , hæreditas Chriſti ? Nonne gentes ? . . Quemadmodum etiam alibi dicit* : „ Poſtula a me , & „ dabo tibi gentes hæreditatem tuam , & „ poſſeſſionem tuam terminos terræ „ . Idem adductis (3) Zachariæ, & Malachiæ Prophetarum locis : *& applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa , & erunt mihi in populum* (4) : Et : *ab ortu ſolis uſque ad occaſum nomen meum glorificatur in gentibus* (5) : oſtenſurus , ut haec ipſa loca confirmata rei exitu fuerint : *Nullum* , inquit , *omnino genus eſt ſive Græcorum , ſive Barbarorum , ſive quolibet nomine appellentur , vel Amaxobiorum , qui in plauſtris degunt , vel Nomadum , qui domibus carent , vel Scenitarum , qui pecora paſcentes habitant in tentoriis , nul-*

 lum,

(1) Num. CXIX. pag. 223. ſqq. Edit. Operum Venetæ an. 1747.
(2) Num. CXXIII. pag. 227.
(3) Vide Juſtini Dialogum cum Tryphone n. CXV. & CXVII. pag. 219. & 221.
(4) Zachar. Cap. II. v. 18.
(5) Malachiæ c. I. v. 10.

lum, inquam, ejuſmodi genus eſt, in quo non per nomen Crucifixi Jeſu preces, & gratiarum actiones Patri, & Creatori univerſorum fiant (1). Juſtino concinit Irenaeus gravis auctor in primis, idemque Polycarpi Smyrnenſium Antiſtitis ſeculo II. diſcipulus, in III. contra hæreſes libro (2). Atque is quidem: *Quid*, inquit, *ſi neque Apoſtoli Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias: cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charta, & atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis, ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes &c.* Accedit Clementis Alexandrini auctoritas, qui claruit extremo fere ſeculo II. & qui in ſecundo *Stromateon Libro*: multo majorem multitudinem Chriſtianorum fore, prænunciatum divinitus fuiſſe tradit, quam multitudo Judæorum eſſet (3): Non diſcrepat Tertullianus cujus hæc eſt in VII. *Capite Libri Contra Judæos* (4) ſententia: *Nec de*

(1) Juſtin. ibid. n. CXVII. pag. 222. Confer ejuſdem Apologiam I. n. XXXIX. pag. 68. & n. XV. pag. 53. quo loco innumerabilem multitudinem Chriſtianorum memorat. Nec alio ſpectant, quæ Hermas Clementis Romani æqualis ſcripſit in III. Paſtoris libro cap. IX. num. XVII. pag. 290. Edit. Londin. an. 1746. „Vniverſæ, inquit, nationes, quæ ſub cœlo ſunt, audierunt, & crediderunt, & uno nomine filii Dei vocati ſunt.

(2) Cap. IV. pag. 178. Tom. I. Opp. Edit. Venetæ an. 1734.

(3) Clem. Alex. pag. 372. Edit. Opp. Pariſ. an. 1641.

(4) Tertull. pag. 188. ſq. Edit. Operum Venetæ an. 1744. Vide etiam Apologet. c. XXXVII.

de Chriſto pluribus quærendum, cum retro omnes Prophetæ de eo præcinuerint . . . quod ipſum adimpletum videmus. Cui enim dexteram tenet Pater Deus, niſi Chriſto filio ſuo, quem exaudierunt omnes gentes, id eſt cui omnes gentes crediderunt, cujus & prædicatores Apoſtoli in Pſalmis David oſtenduntur? In univerſa, inquit, terra exiit ſonus eorum, & uſque ad terminos terræ verba eorum. In quem enim alium univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? Cui & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam Cappadociam, & incolentes Pontum, Aſiam, & Pamphiliam, immorantes Aegyptum, & Regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenen inhabitantes? Romani, & incolæ, tunc & in Jeruſalem Judæi, & ceteræ gentes, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & additarum multarum gentium, & Provinciarum, & Inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus? In quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat. Inde Origenes, ſeculi III. ſcriptor ſane celebris, in III. *Contra Celſum Libro*, inſignem multitudinem commemorat Chriſtiano-

norum (1), quæ admirabilem in modum congregata fuerit (2). Id a Cypriano (3) quoque, eodem ſeculo III. dictum conſtat. Congruunt, quæ initio ſeculi IV. ab Arnobio (4), deinde ab Auctore *Libri de Mortibus Perſequutorum* (5), ab Euſebio Cæſarienſi (6), ab Athanaſio (7), ab Hilario Pictavienſi (8), a Baſilio Magno (9), a Gregorio Nazianzeno (10), ab Ambroſio Me-

(1) Lib. III. n. VIII. pag. 250. Edit. Venetæ an. 1743. Tom I.
(2) Lib. VIII. n. XLVII. pag. 387.
(3) Libro I. Adverſus Judaeos cap. XX. pag. 26. Edit. Opp. Oxon. an. 1682. quo loco Prophetarum oraculis re a Chriſto impletis demonſtrat: „ quod Eccleſia plures filios habitura eſſet ex „ gentibus, quam quot synagoga ante habuiſſet. „
(4) Libro II. Adverſus Gentes pag. 50. Edit. Lugdun. Batavor. an. 1651. ubi „: Virtutes, inquit, ſub oculis politæ, & „ inaudita illa vis rerum vel quæ ab ipſo (Chriſto) fiebant pa„ lam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto, ea „ ſubdidit appetitionum flammas, & ad unius eredulitatis aſſen„ ſum mente una concurrere Gentes, & populos fecit, & mo„ ribus diſsimilimas nationes. Enumerari enim poſſunt, atque „ in uſum computationis venire ea, quæ in India ſunt apud Se„ ras, Perſas, & Medos, in Arabia, Aegypto, in Aſia, Sy„ ria, apud Galatas, Phrygas, in Achaja, Macedonia, „ Epiro, in Inſulis, & Provinciis omnibus, quas Sol Oriens „ atque Occidens luſtrat; ipſam denique apud Dominam Ro„ mam, in qua cum homines ſint Numae Regis artibus, atque „ antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res „ patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianae.
(5) In Nerone Cap. II. Tom. II. Opp. Lactantii Edit. Pariſ. an. 1748. pag. 183. ſqq.
(6) Demonſtrationis Evangelicae Lib. I. Cap. VI. pag. 18. ſqq. Edit. Opp. Colon. an. 1688. & Præparationis Evangelicae Lib. I. Cap. I. pag. 3. & Cap. III. pag. 7. ſqq. Edit. Colon. an. 1688. & in Eſaiae Cap. XLIX. pag. 541. ſqq. Tom. II. Collection. Veter. Patrum Edit. Pariſ. an. 1706.
(7) De Incar. Verbi Dei n. XL. LII. LV. pag. 81. 92. 95. Tom. I. P. I. Edit. Pariſ. Opp. an. 1698.
(8) In Pſalm. CXXXVIII. n. 40. pag. 523. Edit. Opp. Pariſ. an. 1693.
(9) In Pſalm. XLVIII. n. 1. p. 177. Tom. I. Edit. Pariſ. an. 1721.
(10) Orat. XLIII. p. 969. T. I. Opp. Edit. Colon. an. 1690.

Mediolanenſi (1), ab Optato Milevitano (2), a Cyrillo Hieroſolymitano (3); ab Epiphanio (4), ab Hieronymo (5), ab Johanne Chryſoſtomo (6): & quæ ſeculo V. ab Auguſtino Hipponenſi (7), a Paulino Nolano (8), a Cyrillo Alexandrino (9), a Leone Magno (10), a Proſpero Aquitáno (11): & quæ VI, inſequentibuſque ſeculis a Fulgentio Ruſpenſi (12), a Gregorio Magno (13), uno verbo ab omnibus, qui de Ghriſtiani nominis propagatione ſcripſerunt, memoriæ tradita ſunt; quos

(1) Apolog. David. Cap. XVII. n. 83. pag. 856. T. I. Edit. Venetæ an. 1748. & in Pſalm. I. n. 50. pag. 33. Tom. II. & in Pſ. CXVIII. n. XXXII. pag. 359.

(2) Lib. II. De Schiſmate Donatiſtarum cap. I. pag. 29. ſq. Edit. Antuerp. an. 1702.

(3) Catech. XVI. de Spiritu Sancto Paracleto I. n. XXII. Edit. Pariſ. an. 1720. pag. 255.

(4) Hæreſi XXXI. quæ eſt Valentinianor. n. XXXI. pag. 202. Edit. Opp. an. 1622.

(5) Dialogo Contra Luciferianos pag. 91. T. 2. Opp. Edit. Rom. an. 1564. & pluribus aliis in locis.

(6) Homil. Contra Judæos, & Gentiles, quod Chriſtus ſit Deus n. XII. pag. 575. ſq. T. 1. Opp. Edit. Pariſ. an. 1713. aliiſque in locis prope innumerabilibus.

(7) Lib. XVIII. de Civ. Dei Cap. XXIX. ſq. pag. 387. Edit. Antuerp. an. 1700. Mitto cetera ejus loca, ne longior ſim, quam ratio ferre videatur.

(8) Epiſt. XXIII. ad Severum n. XXXIII. pag. 140. Edit. Veron. an. 1736.

(9) Lib. V. in Iſaiam pag. 755. Tom. II. Edit. Pariſ. an. 1638. Vide etiam S. Iſidorum Peluſiotam Lib. IV. Epiſt. CIII. pag. 314. Edit. Opp. Venetæ an. 1745.

(10) Serm. LXXXII. Cap. V. pag. 236. T. 1. Opp. Edit. Roman. an. 1753. & Append. Serm. V. cap. II. pag. 341.

(11) Ad Capitula Gallor. Cap. IX. pag. 123. Edit. Venetæ Opp. an. 1744. & in Pſal. CII. v. 22. pag. 224. ſq.

(12) Reſponſ. Contra Arianos pag. 30. Edit. Venetæ opp. an. 1741.

(13) Lib. IV. Moralium in Job. pag. 103. Tom. 1. Edit. an. 1705. ſexcentiſque aliis in locis.

equidem, ut brevitati conſulam, prætermitto; eorum tamen teſtimonia quam diligentiſſime deſcripturus, ſi e re tibi fore putaveris. Sed ſit interea ex his, quæ proxime attuli, Scripturarum, Patrumque locis perſpicuum: afflatu, inſtinctuque Dei prænunciatam a Prophetis; deincepſque voluntate Chriſti Servatoris ab Apoſtolis, ceteriſque Præconibus Evangelii collectam e terrarum orbe univerſo fuiſſe multitudinem Chriſtianorum longe majorem, quam populus fuerit Hebraeorum. Quid? Prædictum ne divino inſtinctu Puſendorfius exiſtimet id, quod non eſſet conſtitutum decreto Dei; aut quod voluntate, juſſuque Chriſti coeptum, expletumque eſt, id perfectum neget *ex intentione* Chriſti? Ecquis, quæſo, hæc tam abſurda defendet? Age vero ſi numerus Hebræorum is fuit, qui & ſatis, concedente Puſendorfio, fuerit ad conſtituendum, & conſtituerit reipſa *Statum*; cur ſatis non ſit ad *Statum* conſtituendum multo major numerus Chriſtianorum? Cum igitur collectus is numerus Chriſtianorum fuerit *ex intentione Chriſti*; ſane *ex intentione Chriſti* collectus tam ingens numerus Chriſtianorum fuerit neceſſe eſt, qui ſatis, ſuperque ad conſtituendum *Statum*, ſeu *Civitatem* eſſet.

At id abs te facile concedi, dices. Ita ne

ne vero? Cur ergo Puſendorfii, quæ ducta heinc eſt, veram prædicas eſſe, totieſque inculcas ſententiam? Quod ſi huic contraria non uno loco, neque paucis complectere, quid tibi vis dicam, niſi pugnantia te loqui; atque ita agere, ut mihi rurſum uſurpare liceat Boſſuetianum illud de *contradictione, quæ non excuſatio ſit erroris, ſed probatio?*

Multitudo Chriſtianorum Eccleſiam conſtituit, quæ una ſit, & extra quam ſalus eſſe non poſſit.

XVIII. Verum ſine, perveniam, quo volo. Itaque veniam ad Chriſtianorum conſociationem, atque unitatem. Hanc, ut meminiſti, inſtituto Chriſti, neceſſario ſervandam Puſendorfius negat. Non enim magni intereſſe, inquit, in modico ne quiſquam coetu, an in numeroſo vivat. Nam ubi duo treſve ſint, quamquam a cœtibus ceteris disjungantur, Eccleſiam tamen eſſe veram poſſe, in qua ſint *media* (1), quæ viam ad ſalutem ſempiternam parent. Hac vero doctrina ecquid eſt, Febroni, a dogmate Catholico, Sacris Litteris, Traditioneque Majorum, comprehenſo disjunctius? Nam conſociationis, unitatiſque indicandæ cauſſa, Chriſtus Eccleſiam *gregem* vocat, aliaſque ſe *habere*, confirmat, *oves*, quas *adducere oporteat*,

(1) Puſendorfius n.XXXI. pag.132. Tertullianum jam Montaniſtam, atque adeo hæreticum auctorem ſequutus: „ Vnde, inquit, Tertullianus: tres faciunt Ecclesiam, sicut collegium. „ Vbi autem Chriſtus eſt in medio, ibi utique ſufficientia erunt „ ſalutis media Verbum, Miniſter, Sacramenta, adeoque ſcopus „ Religionis Chriſtianæ obtineri poterit, si vel maxime quis „ non sit conjunctus numeroſo alicui fidelium cœtui „.

teat, ut ſiat unum ovile, & unus Paſtor (1). Idem, ut ejus conjunctionis conſtans, atque perpetua ſit colligatio, ſuis, ut pacem colerent, ac ſeſe mutuo diligerent, imperavit; idque ſi facerent, omnes inde cognituros, dixit, ipſi ſibi eos in retinenda diſciplina fideles fore (2). Dilectionem autem eam undenam omnes poſſent cognoſcere, niſi e mutua, eademque conſpicua certatione officiorum, qua quiſque ceteris veluti fratribus omni opera, ſtudio, pietate etiam ſatisfaciat? Haec enim (ut ex Actis Apoſtolorum, exque Patrum Commentariis perſpici plane poteſt) conſpicua illa indicia ſunt devinctæ inter ipſos, manentiſque ſocietatis. Itaque ego is, qui ſtudioſos civium ſuorum non modo non vituperandos, ſed etiam magnopere laudandos puto; rem eo demum adduci nollem, ut non jam ſociorum ab unius civitatis Chriſtianis, ſed hoſtium numero habeantur ii, qui alienæ ſint patriæ. Nam & decederetur longius ab eo genere officiorum;& adeo, quorumdam rei politicæ Tractatorum opera, inflammaretur, gliſceretque in dies *patriotiſmi*, quem barbare vocant, invidia, ut metuendum etiam eſſet ab iis, qui cum catholici ſint,tum nihil inde ſuſpicantes obventurum mali, rerum politicarum Tractatoribus

(1) Joh. c. X. v. 16.
(2) Cap. XV. v. 12. ſqq.

bus iiſdem aſſentiuntur, idque eniti, ac laborare videntur, ut quemadmodum ſecularium Rerumpublicarum unius ab altera, ſic fiat Eccleſiarum disjunctio, nulla ne utilitatis quidem habita ratione, quæ major, ſi non plerumque, ut olim, at interdum redundare in populum ab advena miniſtro ſacrorum, quam a cive poſſet. Sed ad rem, Jam unum corpus Eccleſiam univerſam a Paulo Apoſtolo dictam (1) conſtat. Quemadmodum autem ea corpus erit unum, niſi ordine, ſerie, copulationeque membrorum? Quid? Si *domum* unam (2) eſſe, & *arcam*, extra quam ſalus non ſit (3), Scriptura dicat; & Paulus doceat, ab Jeſu Servatore generis humani, everſo diviſionis *pariete*, eſſe *utraque, facta unum* (4)? Domus autem quæ tandem eſt, niſi eorum, qui juncti aut ſanguine ſint, aut ſaltem ſocietate? Jam Arca, extra quam qui manſerunt, interiere, cuinam hominum, præter quam uni Noemi familiæ ſaluti fuit? *Paries* denique diviſionis, qui de-

(1) Vide ſupra pag. 196.
(2) Petri I. c. II. v. 5.
(3) I. Petri c. III. v. 20.
(4) S. Paulus Epiſt. ad Epheſ. Cap. II. v. 14. „ Nunc autem, „ inquit Gentes alloquens, in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando „ eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim „ eſt pax noſtra, QUI FECIT UTRAQUE UNUM, & ME- „ DIUM PARIETEM MACERIÆ SOLVENS, inimicitias in „ carne ſua.. Ergo Jam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis „ cives Sanctorum, & domeſtici Dei ſuperædificati ſuper fun- „ damentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angu- „ lari lapide Chriſto Jeſu &c. „

demum ſublatus a Chriſto eſt, niſi una conſtituta ex Judæis, Gentibuſque Eccleſia, in qua qui maneant (1), noſtri conſociatione fuerint; ſecus, qui nobiſcum manere recuſarint? Age vero quo ore Chriſtianos diviſos a quovis numeroſo coetu, dicet Puſendorſius, eſſe poſſe; cum (Johanne Evangeliſta teſte) mortuus Chriſtus fuerit, ut *filios Dei, qui erant diſperſi congregaret in unum* (2)?

Deſcendo ad Patres. De Clemente Romano Petri diſcipulo, primique ſeculi Scriptore ſatis dictum jam eſt pagina hujus Voluminis 197. ſqq. Videamus quid Hermas ferat celebris auctor, & æqualis temporum illo-

(1) Johan. Epiſt. I. Cap. II. v. 19. „ Ex nobis prodierunt, „ ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent „ utique nobiſcum „. S. Auguſtinus Epiſt. CXLII. al. CCLVII. ad Saturninum &c. Num. I. pag. 350. Tom. II. Opp. Edit. Antuerp. an. 1700. „ In illa Eccleſia ſumus, quæ propitio Deo, licet uſquequaque porrecta, & toto orbe diffuſa ſit, UNVM tamen „ CORPVS eſt MAGNVM unius Capitis Magni, quod Caput ejus „ eſt ipſe Salvator, ſicut Apoſtolus dicit. De hujus autem Capitis „ glorificatione, quæ poſt ejus reſurrectionem futura fuerat, „ tanto ante Propheta prædixit: Exaltare ſuper cælos Deus: & „ quia illo ſuper cælos exaltato, ECCLESIA ejus OMNEM TER„ RAM copioſa fecunditate fuerat impletura, conſequenter „ idem Pſalmus adjunxit: & ſuper omnē terram gloria tua. Proin„ de ſtabili mente, & firmiſsimo corde ſub tam excelſo Capite „ IN TAM GLORIOSO CORPORE PERSISTAMVS, in quo „ invicem MEMBRA SVMVS; unde etſi remotiſsimis terris „ mea longinqua eſſet abſentia, in illo ſimul eſſemus, a cujus „ CORPORIS VNITATE RECEDERE NON DEBEMVS. „ Si enim nos una domus haberet, utique ſimul eſſe diceremur: Quanto magis ſimul ſumus, cum uno corpore ſimul „ ſumus? Quamquam etiam in una DOMO NOS ESSE VERI„ TAS IPSA TESTATVR; quoniam S. Scriptura, quæ COR„ PVS Chriſti eſſe dicit Eccleſiam, ipſa itidem dicit, Eccle„ ſiam eamdem eſſe domum Dei „.

(2) Evang. Cap. XI. v. 52.

illorum. Hic autem ſic habet : *Domine hoc mihi demonſtra : cum ſint tam varii hi montes, quonam pacto in ſtructuram hujus turris convenerint, unoque redigantur colore, & non minus ſplendidi ſint, quam qui aſcenderunt ex profundo ? Quoniam, inquit, univerſæ nationes, quæ ſub cælo ſunt, audierunt, & crediderunt, & uno nomine filii Dei vocati ſunt. Accepto igitur ejus ſigillo, eamdem omnes prudentiam, eumdemque ſenſum acceperunt, & una fides, atque caritas eorum fuit, & ſpiritus virginum harum cum ejus nomine ferebant: Ideoque ſtructura turris concolor videbatur, & fulgebat uſque ad ſolis claritatem. At vero poſtquam ita ſenſerunt, unum corpus eorum cœpit eſſe omnium* (1). S. Ignatius Johannis Apoſtoli auditor, Antiſtes Antiochenorum, idemque Martyr fortiſſimus, *Eccleſiam Catholicam*, hoc eſt ubique gentium vigentem nominat in Epiſtola (2), quam, brevi Martyrium ſubiturus, ad Smyrnaeos dedit. Deceſſit autem non multo poſt initium ſeculi ſecundi. Monet porro Polycarpum Smyrnaeorum Antiſtitem ut τὴν ἕνωσιν *unionem* curet; nam *nihil*, inquit, *hac eſſe melius* ἧς οὐδὲν ἄμεινον (3). Atque eo quidem *judaiſmum* in Chriſtianiſmum crediſſe animadver-

(1) Lib. III. Paſtoris Cap. IX. n. XVII. pag. 290.
(2) Num. VIII. pag. 31. Tom. II. Patrum Apoſtolicor. Edit. Londin. an. 1746.
(3) Epiſt. ad Polycarpum n. I. pag. 65.

madvertit, ut πᾶσα γλῶσσα πιστεύσασα εἰς θεὸν συνήχθη. *Ut omnis lingua credens in Deum congregaretur* (1). *Congreganda* igitur omnis erat lingua, idque fieri debebat voluntate, atque ſententia Servatoris Chriſti. Eos enim, qui ſecus putarent, judaiſmumque colere non vererentur, dixit perverſe agere; quod ἄτοπον, *abſurdum* ſit tale quidpiam conari, καὶ ἰησοῦν χριστὸν λαλεῖν & *perfari*, ſeu *loqui Servatorem Chriſtum*. Jam vero *quotquot in unitatem Eccleſiæ veniunt* ἔλθωσιν poenitentes ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, hi, ait, θεοῦ ἔσονται *Dei erunt* [2]; Fratres autem ſerio monet, *ne errent*, atque ſic habeant: εἴ τις σχίζοντι ἀκολουθεῖ, βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομεῖ: *qui ſchiſma conflantem ſequitur, is hæres non eſt Divini Regni*. *Unum* enim eſſe quod ex *judaeis*, & *gentibus* coaluit *corpus Eccleſiae*: εἴτε ἐν ἰουδαίοις, εἴτε ἐν ἔθνεσιν ἐν ἑνὶ σώματι τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ [3]. Ignatio condiſcipulo [nam uterque Magiſtro uſus eſt Johanne] Polycarpus Smyrnaeorum Antiſtes ut inſtitutione omni vitæ, ita doctrina hoc etiam in genere concors fuit. Nam huic, ut ex *Actis* Martyrii, exque Irenæi Epiſtola ad Victorem Papam intelligi plane poteſt, cordi conjun-

(1) Epiſt. ad Magneſianos n.X. pag. 139.
(2) Epiſtola ad Philadelphienſes n. III. p. 149.
(3) Epiſt. ad Smyrn. n. I. pag. 39.

junctio, unitaſque fuit ἁπάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας, *totius per orbem univerſum Catholicæ Eccleſiæ* [1]. Eodem Seculo Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone: *Eorum, qui in Chriſtum credunt* μίαν συναγωγὴν *unamCongregationem* dicit eſſe, μιὰν ἐκκλησίαν UNAM ECCLESIAM, quam ἐκκλησίαν ECCLESIAM Chriſtus e ſuo nomine *conſtitutam* ut FILIAM ὡς θυγατέρα *compellat* [2]. Illo ipſo ſeculo liber eſt editus a Melitone Sardenſium Antiſtite de Eccleſia, ut auctor eſt Euſebius in IV. Libro Hiſtoriæ [3]. Quo etiam ſpectant, quæ Irenæus eorumdem temporum illuſtris Scriptor complexus eſt I. Adverſus Hæreſes libro [4]. Is ἡ ἐκκλησία, inquit, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη: ECCLESIA QUAMVIS IN TOTO MUNDO DISSEMINATA, *ſummo ſtudio, & cura, perinde atque* UNAM DOMUM INCOLENS ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα, *acceptam prædicationem, & fidem conſervat &c.* Libro vero III. *Tantæ*, inquit, *oſtenſiones quum ſint, non oportet quidem adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere: Hæc eſt* ENIM VITÆ INTROITUS; OMNES AUTEM RELIQUI FURES SUNT, & LATRONES. *Propter quod oportet devitare quidem illos;*

(1) Num. VIII. pag. 337. Tom. eodem II. Patrum Apoſtolicor. Vide etiam Lib. V. Hiſt. Eccl. Euſeb. c. XXIV.
(2) Num. LXIII. pag. 237. ſupra indicatæ Edition. Confer & Num. XLII. pag. 145.
(3) Cap. XXVI. pag. 161. Edit. Taurin. an. 1746.
(4) Cap. X. n. 2. pag. 49. Tom. I. Edit. Venetae an. 1734.

illos; quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum ſumma diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem [1]. Et aliquanto poſt: *fidem perceptam ab Eccleſia cuſtodimus, & quæ ſemper a ſpiritu Dei quaſi in vaſe bono eximium quiddam depoſitum juveneſcens, & juveneſcere faciens ipſum vas in quo eſt. Hoc enim* ECCLESIÆ CREDITUM EST DEI MUNUS.. AD HOC, ut OMNIA MEMBRA PERCIPIENTIA VIVIFICENTUR; *& in eo diſpoſita eſt communicatio Chriſti, id eſt Spiritus Sanctus; cujus* NON SUNT PARTICIPES OMNES, QUI NON CURRUNT AD ECCLESIAM; *ſed ſemetipſos fraudant a vita*.. UBI ENIM ECCLESIA IBI, & SPIRITUS DEI [2]. Clementis Alexandrini, qui extremo, ut dixi, eodem ſeculo tertio claruit, hæc eſt in ſeptimo Stromateon Libro ſententia: Manifeſtum eſſe: μίαν εἶναι τὴν ἀληθῆ ἐκκλησίαν, UNAM ESSE VERAM ECCLESIAM *eam, quæ vere eſt antiqua.. Nam cum unus ſit Deus, & unus Dominus, propterea id etiam, quod eſt ſumme venerabile* [nempe Eccleſia] SECUNDUM UNITATEM, ſeu *rationem* SOLIUS μόνωσιν *laudatur, imitatio cum ſit Principii, quod eſt unum. In unius ergo naturæ ſortem cooptatur* ἐκκλησία ἡ μία ECCLESIA, QUÆ EST UNA, ἣν εἰς πολλὰς κατατέμνειν βιάζονται, QUAM CONANTUR HÆRESES

(1) Cap. IV. pag. 178.
(2) Cap. XXIV. pag. 222. ſq. Vide etiam Lib. V. cap. XX. pag. 317.

RESES IN MULTAS DISCINDERE. *Et ſubſtantia ergo, & cogitatione, & principio, & excellentia* SOLAM *μόνην eſſe dicimus antiquam, & catholicam in unitatem fidei, quæ eſt ex propriis teſtamentis.. Ceterum Eccleſiæ quoque eminentia ſicut principium conſtructionis κατὰ τὴν μονάδα ἐστὶν* SECUNDUM UNITATEM EST &c.[1]. Eodem fere ſeculo ſcripſit is, cujus Euſebius [2], etſi tacitus prætermittit nomen, locum tamen in Cataphrygas adducit, qui ſummo ſcelere *Univerſam, que per orbem terrarum ſparſa eſt, Eccleſiam maledictis appetere, docti ab arrogantiſſimo ſpiritu*, audebant, *eo quod nec honorem, nec aditum ullum ad ipſam pſeudoprophetias eorum ſpiritus reperiret*. Non poſt multo Tertullianus, cum Catholicus adhuc eſſet, de unitate Eccleſiæ non minus egregie quam Clemens ſenſit, veluti cum ex aliis ejus locis, tum ex celebri de Præſcriptionibus Libro [3] perſpicitur. Origenes autem, qui ſeculo tertio claruit, in octavo libro contra Celſum. *Chriſtianos*, ait, *modo quodam incredibili in* SOCIETATEM *coaluiſſe* [4]. Idem Libro VII. *Dicimus*, inquit, *ex Divinis Scripturis* TOTAM DEI ECCLESIAM eſſe *Chri-*

S *ſti*

(1) Pag. 765. Edit. Pariſ. an. 1641. Vide Irenaeum Lib. I. contra Haereſes Cap. XXVIII. p. 197. qui Tatianum accuſat, quod ſe ab Eccleſia ſepararit.

(2) Lib. V. Hiſt. Eccl. c. xv. p. 198.

(3) Cap. V. ſqq.

(4) Num. XLVII. pag. 387.

ſti corpus . . membra autem illius corporis , ut totius , eos eſſe omnes , qui credunt &c, [1] In Actis Sanctorum Martyrum Montani Lucii &c. qui paſſi anno circiter 260. fuerunt, hæc a Flaviano item Martyre Plebi Chriſtianæ dicta feruntur: *Habetis, Fratres dilectiſſimi, nobiſcum pacem , ſi noveritis Eccleſiæ pacem , & dilectionis unitatem ſervaveritis* [2]. Sed Majorum omnium copioſiſſime Cyprianus Antiſtes Carthaginienſium , idemque Martyr , de Unitate Eccleſiæ neceſſario ſervanda ſcripſit. Is in Epiſtola IV. ad Antonianum: *Non habet*; inquit, *Eccleſiaſticam ordinationem*, qui *Eccleſiæ non tenet Unitatem* [3]. Quin etiam eſt ejus hac una de re Liber ſingularis, in quo eſſe video ſcriptum hoc modo: *Excogitavit inimicus novam fraudem , ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo* FALLAT INCAUTOS. *Hæreſes invenit, & Schiſmata, quibus ſubverteret fidem , veritatem corrumperet , &* SCINDERET UNITATEM. *Hoc eo fit , fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur , nec caput quæritur* [4].. *Loquitur Dominus ad Petrum : Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus &c.* [5] *Su-*

(1) Num. XLVIII. pag. 343. ſq.
(2) Apud Ruinartium pag. 207. Edit. Veron. an.1731.
(3) Pag. 104. Edit. Oxonien. an. 1682.
(4) P. I. Opp. pag. 105. Edit. ejuſd.
(5) Pag. 106.

Super unum ædificat Eccleſiam ſuam.. [1] *Ut* UNITATEM *manifeſtaret*, UNITATIS EJUSDEM ORIGINEM AB UNO INCIPIENTEM SUA AUCTORITATE DISPOSUIT... *Exordium ab* UNITATE PROFICISCITUR, ut ECCLESIA UNA MONSTRETUR.. HANC ECCLESIÆ UNITATEM QUI NON TENET, TENERE ſe FIDEM CREDIT? *Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quando & Beatus Apoſtolus Paulus hoc idem doceat, &* SACRAMENTUM UNITATIS OSTENDAT DICENS: UNUM CORPUS &C... *Quam* UNITATEM FIRMITER TENERE, & VINDICARE DEBEMUS MAXIME EPISCOPI... *Eccleſia* UNA *eſt, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur: quo modo ſolis multi radii, ſed lumen unum: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine*. AVELLE RADIUM SOLIS A CORPORE, DIVISIONEM LUCIS UNITAS NON CAPIT. AB ARBORE FRANGE RAMUM, FRUCTUS GERMINARE NON POTERIT. A FONTE PRÆCIDE RIVUM, PRÆCISUS ARESCET. *Sic Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit*, UNUM *tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur*, NEC UNITAS CORPORIS SEPARATUR. *Ramos*

---

(1) Ibid. p. 107. ſqq.

mos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit; UNUM TAMEN CAPUT EST, ET ORIGO UNA, ET UNA MATER FECUNDITATIS SUCCESSIBUS COPIOSA .... Nec PERVENIT AD CHRISTI PRÆMIA, qui RELINQUIT ECCLESIAM CHRISTI .. *Si potuit evadere quiſquam, qui extra arcam Noe fuit; &, qui extra Eccleſiam foris fuerit, evadet .. Et quiſquam credit hanc* UNITATEM DE DIVINA FIRMITATE VENIENTEM .. SCINDI IN ECCLESIA POSSE, & VOLUNTATUM COLLIDENTIUM DIVORTIO SEPARARI? *Hanc* UNITATEM QUI NON TENET, DEI LEGEM NON TENET; NON TENET PATRIS, & FILII FIDEM; ET VERITATEM NON TENET AD SALUTEM. *Hoc* UNITATIS *ſacramentum, hoc vinculum concordiæ* INSEPARABILITER *cohærentis oſtenditur, quando in Evangelio tunica Domini Jeſu Chriſti non dividitur omnino, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti, quis ipſam potius indueret, integra veſtis accipitur, & incorrupta, atque individua tunica poſſidetur ... Monet ipſe in Evangelio ſuo, & docet dicens: & erit unus grex, & unus paſtor. Et eſſe poſſe uno in loco aliquis exiſtimat aut* MULTOS PASTORES, AUT PLURES GREGES.? Paulus, *obſecro, inquit vos fratres ... ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata ..: Stare tu & vivere putas poſſe de Eccleſia recedentem? Sedes ſibi alias, & domicilia condendende-*

dentem? Sed ſi omnia, quæ ſunt egregie a Cypriano hac de re diſputata, vellem deſcribere, integer mihi huc eſſet illius transferendus liber. Cyprianum excipiet Lactantius, qui non multo ſeculo IV. vixit: Nam in *IV. Divinarum Inſtitutionium* Libro (1): *Sola*, inquit, *Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet. Hæc eſt fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei, quo ſi quis* NON INTRAVERIT, *vel a quo* SIQUIS EXIVERIT, A SPE VITÆ, AC SALUTIS AETERNÆ ALIENUS EST. *Neminem enim ſibi oportet pertinaci concertatione blandiri*. Eadem aetate Alexander Antiſtes Alexandrinorum iis in Litteris, quas contra Arium ad Alexandrum Coſtantinopolitanum Epiſcopum dedit, an. 321. Arium ipſum, atque Achillam accuſat, quod Eccleſiam, hoc eſt Chriſti *inconſutilem tunicam, quam carnifices noluerunt diſcindere, auſi ſunt ipſi dividere* [2]. Jam μίαν, ait, καὶ μόνην καθολικὴν τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, UNAM, & SOLAM CATHOLICAM ESSE APOSTOLICAM ECCLESIAM, *quæ ſicut numquam expugnari poteſt, etiam ſi totus mundus eam oppugnare inſtituat, ſic omnem impiam aliter ſentientium incurſionem evincit, ac pro-*

(1) Cap.XXX. p.354. Tom.I. Opp. Edit.Pariſ. an.1748.
(2) Tom.I. Concilior.Edit.Pariſ. an.1714. pag.395. Vide & Theodoriti Hiſtoriam Eccleſiaſticam Lib.I. Cap.IV.

profligat (1) . Non diſcrepant , quæ aequalis Alexandri Euſebius Cæſarienſis complexus eſt Capite VII. Libri IV. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* (2); quæquæ Athanaſius , qui Alexandro ſucceſſit, diuque rexit Alexandrinorum Eccleſiam , ſcribit [3] . Hilarius autem Pictavianſis (4) : *quia* , inquit, *unum Eccleſiæ corpus eſt, non quadam corporum confuſione permixtum, neque ſingulis in indiſcretum acervum, & informem cumulum adunatis &c.* Hinc idem Eccleſiam *& corpus Chriſti, & magni Regis civitatem* eſſe docet ; eamdemque Eccleſiam , quæ *corpus Chriſti eſt, cujuſque nos membra ſumus, ipſam eſſe montem Sion, montem Domini, Civitatem ſanctam vivis lapidibus in fundamento Prophetarum, & Apoſtolorum ædificatam. Hanc porro quiſquis odit , eum odiſſe cuius corpus eſt &c.* [5] . Suppar huic Cyrillus Hieroſolymitanus in XVIII. Catecheſi [6] , quæ eſt de Eccleſia Catholica; credis, inquit, *μίαν* UNAM *Sanctam Catholicam Eccleſiam , ut eorum abominanda collegia fugiens , adhæreas ſemper Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ .. & ſi quando peregrinatus fueris* in

(1) Ibid. p. 306. Vide , quæ idem de uno Eccleſiae corpore ſcribit Alexander apud Athanaſium Tom.I.Opp.P.I.p.397.Edit. Pariſ. an. 1695.

(2) Pag. 129. Edit. Taurin.

(3) Loco indicato .

(4) Vide Hilarium in Matth. Cap. IV. Num. XII. pag. 624. Edit.Opp.Pariſ.an.1693. & in Pſalm. CXXI. n. v. p.356.

(5) In Pſalm. CXXVIII. n. 9. pag.433.

(6) Num. XXVI. ſqq. pag. 297. ſqq. Edit. Pariſ. an. 1720.

in civitatibus , ne ſimpliciter requiras , ubi ſit Dominicum [nam & ceteræ impiorum ſectæ, atque hæreſes ſuas ipſorum ſpeluncas Dominicorum nomine honeſtare nituntur] neque ubi ſit ſimpliciter Eccleſia , ſed ubi ſit catholica Eccleſia . Hoc enim proprium eſt hujus ſanctæ, & matris omnium veſtrum ... quumque Reges diſtributarum diverſis locis gentium , ſuæ poteſtatis limites habeant ; μόνης δὲ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας κατὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσαν ἀπεριόριστον ἐχούσης τὴν δύναμιν SOLIUS EST ECCLESIÆ CATHOLICÆ INDEFINITAM PER UNIVERSUM ORBEM HABERE POTESTATEM.... *In hac Sancta Catholica Eccleſia cum præceptis , tum moribus præclaris inſtructi , cælorum regnum habebimus*: His conſentanea ſcripſere Baſilius Magnus [1] , Gregorius Nazianzenus [2] , Ambroſius (3), Hieronymus [4], Epiphanius (5) Optatus Milevitanus [6] , ceteri denique ſeculi IV. Scriptores orthodoxi , a quibus eſt Eccleſiæ facta mentio . Quarto autem ſeculo magnus Auguſtinus contra Donatiſtas diſputans , copioſius ceteris id

 eſt

(1) Epiſt.CLXI. al. CCCXCIII. num.1. pag.252. Edit. Pariſ. an.1730. Tom.III.
(2) Orat.XX. pag. 345. Edit. Colon. an. 1690.
(3) De obitu Satyri Fratris Lib. I. pag. 188. Edit. Venetæ an. 1751. & Epiſt.XII. n.III. Tom. III. pag.852.
(4) Dialogo contra Luciferianos pag.100.Tom.II.Opp.Edit. Rom. an.1564.
(5) Hæreſi LX. pag.507. n.2. Tom. I. Opp.
(6) Libro II. de Schiſm. Donatiſt. n.II. p.30. ſq

eſt perſequutus argumentum. Is in *CV. al. CLXVI. Epiſtola* [1]: *Diligamus*, inquit, *& teneamus unitatem*. Nos [*Chriſtus*) *per Apoſtolum obſecrat, ut idipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata.. Quod uſque adeo Cæleſtis Magiſter cavendum præmonuit, ut etiam de Præpoſitis malis plebem ſecuram faceret, ne propter illos doctrinæ ſalutaris Cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali vera dicere. Neque enim ſua ſunt, quæ dicunt, ſed Dei, qui in Cathedra Unitatis doctrinam poſuit veritatis* [2]. In Pſalmo autem contra Donatiſtas (3): *Scitis*, inquit, *catholica quid ſit, & quid ſit præciſum a vite. Si qui ſunt inter vos cauti, veniant, vivant in radice: antequam nimis areſcant, jam liberentur ab igne.. Quid illi prodeſt forma, ſi non vivit in radice? Venite, fratres ſi vultis, ut inſeramini in vite. Dolor eſt, cum vos videmus præciſos jacere*. At ſi Auguſtini loca eadem de re (4) omnia percenſere nume-

(1) Num. XI. pag. 227. Tom. II.
(2) Num. XVI. pag. 229.
(3) Tom. IX. Opp. pag. 5. Edit. Antuerp. an. 1700.
(4) Confer ejus Lib. II. contra Epiſtolam Parmeniani cap. XIX. n. 38. pag. 34. T. IX. & Lib. III. cap. IV. n. 21. pag. 46. & c. V. n. 24. ſqq. pag. 48. & n. 27. ſqq. pag. 49. ſq. & Lib. IV. cap. VI. n. 8. ſqq. pag. 56. ſqq. & Lib. I. contra Donatiſtas cap. X. n. 14. ſqq. pag. 58. ſqq. & Lib. II. c. VII. ſqq. n. 12. ſqq. pag. 69. ſqq. & Lib. III. cap. XVI. ſqq. n. 21. ſqq. pag. 73. ſqq. & cap. XVIII. n. 26. ſqq. pag. 81. ſq. & Lib. IV. cap. II. ſqq. p. 81. ſqq. & Lib. V. cap. XVII. n. 22. ſqq. pag. 102. ſqq. & Lib. VII. cap. LI. ſq. pag. 135. ſqq. & Lib. I. contra Litteras Petiliani c. XIII. ſqq. n. 14. ſqq.

merando vellem, vix umquam facerem ſcribendi finem. De ceteris, qui poſt floruerunt, Patribus expecto, quid jubeas. Sed ſcito eorum teſtimonia tam eſſe ſimilia ſuperiorum, ut qui hæc norit, illa etiam noverit. Id tu, volo, credas periculo meo. Si credes, ea pretermittam. Ita equidem minuam & tibi legendi moleſtiam, & ſcribendi laborem mihi. Sin recuſes credere, afferam, reque faciam, ut experiare habuiſſe me in numerato quidquid eſt ejuſmodi teſtimoniorum.

Ne ſis anxius, obſecro, de loco Evangelii Matthæi e cap. XVIII. (1): *ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: quo loco Puſendorfius, Tertullianum jam transfugam ad caſtra Montaniſtarum imitatus, abutitur, ut diffiſis ab Eccleſia Catholica viam ad ſalutem patere ſtatuat. Non enim Chriſtus duobus, tribuſve, qui deſeruerint unitatem, promiſit, in medio ſe ipſorum futurum; ſed iis, qui conjuncti Eccleſiæ Catholicæ ſint, inque Chri-

ſqq. pag.143. ſqq. & Lib.II. cap.VIII. ſqq. n.20. ſqq. p.130. ſqq. & cap.XXXII. n.74. p. 163. & cap.XLVII. n.110. pag.171. & cap. LIX. n.133. ſqq. & cap.LXIV. n.146. p.176. & cap.CIV. n.238. p.198. & cap. CVIII. n. 247. p.202. & Lib. III. c.XXXVI. ſqq. p. 216. ſqq. Et Lib. contra Donatiſtas de Unitate Eccl. c. II. ſqq. pag.229. ſqq & Lib.I. contra Creſonium Cap.XXVIII. pag.275. ſqq. & Lib.II. Cap.XXXIV. n.42. p.293. & Lib.III. Cap.LXIV. n.42. p.293. & Lib.III. Cap.LXIV. ſqq. p.320. ſqq. & Lib. de unico Baptiſmo contra Petilianum Cap.XIV. p.366.

(1) Verſu 20.

Chriſti ejuſdem revera nomine congregentur. Sic enim, quæ præcedunt ei loco, Jeſu Chriſti verba poſcere, Cyprianus (1) animadvertit, cujus apud te plurimum, ſi modo tibi conſtes, valebit auctoritas. Sed quorſum iſta, inquies? Non enim exprobra-

(1) Lib. de Unitate Eccleſiae pag. 112. Edit. Opp. Oxonien. an. 1682. ,, Nec ſe quidam vana interpretatione decipiant, quod
,, dixerit Dominus: ubicumque fuerint duo, aut tres collecti
,, in nomine meo, ego cum eis ſum: CORRUPTORES EVAN-
,, GELII, atque INTERPRETES FALSI extrema ponunt,
,, & ſuperiora prætereunt; partis memores, & partem ſub-
,, dole comprimentes. Ut ipſi ab Eccleſia ſciſsi ſunt, ita ca-
,, pituli unius ſententiam ſcindunt. Dominus enim cum diſci-
,, pulis ſuis unanimitatem ſuaderet, & pacem: dico, inquit,
,, vobis, quoniam ſi duobus ex vobis convenerit in terra, de
,, omni re, quamcumque petieritis, continget vobis a Patre
,, meo, qui in caelis eſt. Ubicumque enim fuerint duo, aut
,, tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum: oſtendens,
,, non multitudini, ſed unanimitati deprecantium plurimum
,, tribui: Si duobus, inquit, ex vobis convenerit in terra.
,, Unanimitatem prius poſuit. Concordiam pacis ante præmi-
,, ſit; ut conveniat nobis, & fideliter, & firmiter docuit. Quo-
,, modo autem poteſt ei cum aliquo convenire, CUI CUM
,, CORPORE IPSIVS ECCLESIÆ, ET CVM VNIVERSA
,, FRATERNITATE NON CONVENIT? Quomodo poſſunt
,, duo, aut tres in nomine Chriſti colligi, QVOS CONSTAT
,, A CHRISTO, ET AB EJVS EVANGELIO SEPARARI?
,, Non enim nos ab illis; ſed illi a nobis receſſerunt. Et cum
,, hæreſes, & ſchiſmata poſtmodum nata ſunt, dum conventicu-
,, la ſibi diverſa conſtituunt, veritatis caput, atque originem
,, reliquerunt. Dominus autem de Eccleſia ſua loquitur, & ad
,, hos, qui SVNT IN ECCLESIA LOQVITVR, ut ſi ipſi con-
,, cordes fuerint; ſi ſecundum quod mandavit, & monuit,
,, duo, aut tres licet, collecti unanimiter oraverint, duo,
,, aut tres licet ſint, impetrare poſsint de Dei majeſtate, quod
,, poſtulant: Vbicumque fuerint duo, aut tres collecti in no-
,, mine meo, ego, inquit, cum eis ſum: Cum ſimplicibus
,, ſcilicet, atque pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præ-
,, cepta ſervantibus. Cum his duobus, vel tribus licet, eſſe
,, ſe dixit... Quando ergo in præceptis ſuis ponit, & dicit:
,, ubi fuerint duo, aut tres &c.: NON HOMINES AB EC-
,, CLESIA DIVIDIT, QVI INSTITVIT, ET FECIT ECCLE-
,, SIAM; ſed exprobrans diſcordiam perfidis, & fidelibus
,, pacem ſua voce commendans, oſtendit, magis eſſe ſe cum
,, duobus, aut tribus unanimiter orantibus, quam cum diſſi-
,, dentibus plurimis ,, .

Digitized by Google

brari tibi meditati diſcidii crimen poſſe, defendes, qui, *reunionis* componendæ cauſſa, tantum laboris, odiique ſuſceperis.

Ego vero, Febroni, *reunionis* (quam id polite, viderint latine docti) at *reunionis* tamen, ac ſi tibi curæ unice fuerit, & creberrime te, & palam meminiſſe, non patior ſolum, ſed etiam plane fateor. Verum ſi de te ipſo ex opere, ac labore tuo ferendum judicium eſt; ne dubita, fore pleroſque, quibus fide non ſatis bona egiſſe videare. Quam enim verbo te dicis unice cupere, eamdem ita re convellis, ut non modo illius reſtituendæ nullam nobis ſpem reliquam facias; ſed majorem etiam in modum eam diſcindere conere (1). Quamquam ſi dem, nihil te fraude dixiſſe, quod ultro dabo [non enim tecum mihi de voluntate tua, vel conſilio eſt, ſed de tuo libro contentio] ſi dem, inquam, nihil te fraude dixiſſe; hoc tamen certum, atque exploratum eſſet, uti *veram* abs te conſtanter proponi, atque uti *catholicam* Puſendorfii de Eccleſiæ *certa forma* ſententiam. Atqui hoc ſecum illa fert ſententia Puſendorfii: nihil eſſe opus conſociatione, conjunctioneque cum Eccleſia late per orbem univerſum orbem diffuſa; propterea quod idem putet, iis, qui ſe-

(1) Vide, quæ ſcripſi pag. hujus Vol. 59. ſeq., ſed hac de re fuſius differam, ubi ſermo erit de ſchiſmate.

ſejuncti ab ipſa Eccleſia ſint, etiamſi duorum, triumve numerum non excedant, patere viam ad ſalutem ſempiternam poſſe. Id cum tam clarum, tamque perſpicuum ſit, ut celari ulla circuitione verborum nequeat, quid vis curem, ſi plus decies-millies contraria loquare? Equidem impetrari a me numquam feram, ut ne aſſentiar Boſſuetio ajenti: *apertam contradictionem non excuſationem erroris, ſed probationem eſſe*. Erroris vero, qui ne tegi quidem excuſatione queat, cur non neceſſariam exiſtimem oppugnationem? Oppugnari autem is error qui tandem poterit valide, niſi armis Patrum, & Scripturarum? Profecto etiamſi pro Pufendorfio egiſſes obſcurius, tamen omittenda mihi catholici dogmatis contra errorem accurrata defenſio non fuiſſet. Novi ego quid hoc tempore quorumdam hominum opinandi ferat perverſitas. Hi etſi tam ſunt imperiti dogmatum chriſtianorum, vix ut ullum norint; marte tamen ſuo dijudicare fidenter audent; & ſi forte ab uno quopiam (qui catholicum ſe dicat eſſe) obiter, titubanter, implicate etiam quidquam, non uti verum quidem, ſed uti ſimile veri proponi cernant, id continuo, ſi minus ut certo verum, atque orthodoxum, at ut *indifferens* ſaltem habendum arbitrantur; atque ita imprudentes in graviſſimos errores plerumque incidunt.

dunt. Atque hos, ne animi præcipites ſint, neve ſibi imponi patiantur, cur tandem muniendos Patrum, Scripturarumque præſidiis non putaſſem? Jam hoc teneo, haud fruſtra me, contra te diſputantem, id, quod eſt de unitate Eccleſiæ Catholicæ, extra quam ſalus eſſe nequeat, Majorum, Sacrorumque Bibliorum teſtimoniis confirmaſſe.

XIX. Qua quidem unitate, conſtituta, ſequitur, ut de *præeminentia* aliquorum in Eccleſia, & *ſubordinatione* ceterorum agam. Nam harum una ſublata, altera tollatur neceſſe eſt, qua ex re fiet, ut plane etiam unitas diſtrahatur. *Præeminentiam* autem, atque adeo *ſubordinationem* tolli a Pufendorfio vidimus, cujus tamen (ut ſæpe monui) veram tu dicis eſſe, catholicamque doctrinam. At contra, Scripturæ ſtatuunt alios eſſe in Eccleſia, qui *præſideant*, *qui præpoſiti* ſint, *qui præcepta condant*, qui judicent [1], qui *puniant* auctoritate divinitus ſibi data; alios quos ſubiici, & parere oporteat (2). *Præſidere* autem quemquam, *præponi*, *præcipere*, *judicare*, *puni-*

Chriſtianæ Eccleſiae ea conſociatio eſt, ut alii in ea praeſint, regant, præcipiant &c; alii ſubjiciantur, regantur, pareant &c.

(1) Nam ut procedendam in inſtituendo judicio ſit, oſtendit Paulus in Epiſt. I. ad Timoth. Cap. V. v. 19. monens, accuſationem adverſus Presbyterum non recipiendum ab Antiſtite Timotheo, niſi in duobus, vel tribus teſtibus. Confer Theodoritum Lib. I. Hiſt. Eccl. Cap. XXI. pag. 47. Edit. Taurin. an. 1748. & Acta Cleri Gallicani Tractat. de Juriſdictione Eccleſiaſtica P. II. pag. 30. ſqq. T. VI. Edit. Pariſ. an. 1716.

(2) Vide quæ ſcripſi pag. 195. ſqq. in Adnotationibus.

punire poteſtate divinitus ſibi data, ſine *præeminentia*, intelligere qui poſſumus? Clemens Romanus, qui extremo fere ſeculo I. Epiſtolam ad Corinthios priorem ſcripſit, eos redarguit, quod commota in Epiſcopos, Præsbyteroſve ſeditione, unitatem Eccleſiæ ſcidiſſent: & ὑποτάγητε SUBJICIAMINI, inquit, *Præsbyteris, & in poenitentiam corripiamini; flectentes genua cordis veſtri* μάθετε ὑποτάσσεσθαι DISCITE SUBJICI *deponentes arrogantem, & ſuperbam linguæ veſtræ jactantiam: melius ſiquidem vobis eſt in ovili Chriſti parvos, & probatos inveniri, quam altum ſapientes, e ſpe illius ejici* [1]. Hunc enim ordinem eſſe, ait, in Eccleſia, qui eſt in corpore; ut alii *capitis* fungantur munere, alii *pedum*: vel ut in exercitu, gregariorum militum inſtar τὰ ἐπιτασσόμενα IMPERATA faciant [2]. Alioqui *ſervari* negat poſſe *totum corpus noſtrum in Chriſto Jeſu* [3]. *Diduci* namque, *ac diſtrahi membra Chriſti, & contra proprium corpus fieri ſeditionem* [4]. Clementi conſentit Ignatius Martyr. Is haud multis annis poſt initium ſeculi ſecundi Epiſtolam ſcripſit ad Polycarpum.

(1) Num. LVII. pag. 211. Tom. I. Apoſtolicor. PP. Edit. Londin. an. 1746.
(2) Num. XXXVIII. pag. 141.
(3) Num. XXXVIII. pag. 145.
(4) Num. XLVI. pag. 179.

pum. In hac *unanimem* ſe eſſe affirmat τῶν ὑποτασσομένων τῷ ἐπισκόπῳ *ſubjectis Epiſcopo* [1]. Idem in Epiſtola ad Epheſios: *quantum*, inquit, *videt quis tacentem Epiſcopum, plus ipſum* φοβείσθω TIMEAT. *Omnem enim, quem mittit dominus domus in propriam diſpenſationem, ſic oportet ipſum nos recipere, ut ipſum mittentem. Epiſcopum igitur* δῆλον MANIFESTUM eſt, *quoniam ut ipſum Dominum* OPORTET δεῖ *recipere* [2]. Paulloque poſt: *Convenitis*, inquit, IN OBEDIRE εἰς τὸ ὑπακούειν *vos Epiſcopo* [3]. In Epiſtola autem ad Magneſios: *Zotione*, inquit, *fruar*, *quoniam* ὑποτάσσεται τῷ ἐπισκόπῳ SUBJECTUS EST EPISCOPO, ut *gratiæ Dei* [4].. *Sed & vos decet non concuti ætate Epiſcopi*, ſed *ſecundum virtutem Dei Patris omnem reverentiam ei tribuere, ſicut agnovi & Sanctos Presbyteros non aſſumentes apparentem juniorem ordinem, ſed ut prudentes in Deo cedentes ipſi, non ipſi autem, ſed Patri Jeſu Chriſti omnium Epiſcopo. In honorem igitur illius* VOLENTIS θελήσαντος *nos decens eſt* ὑπακούειν OBEDIRE *ſecundum nullam hypocriſin; quia nequaquam Epiſcopum hunc conſpectum decipit quis, ſed inviſibilem paralogizat*. Idem *preſidere*, dicit, *Epiſco-*

(1) Num. VI. pag. 75. Tom. II. Apoſtolicor. PP. Edit. ejuſd.
(2) Num. VI. pag. 93.
(3) Num. XX. pag. 117.
(4) Num. II. pag. 123.

ſcopum in loco Dei (1). In Epiſtola ad Philadelphenſes: *Unum altare*, inquit, *& unus Epiſcopus* (2). In ea vero, quæ eſt ad Trallianos ſic habet: *Quum Epiſcopo* ὑποτάσσεσθε SUBJECTI SITIS, ut *Jeſu Chriſto*, *videmini mihi non ſecundum homines vivere*, *ſed ſecundum Jeſum Chriſtum* (3). Et, *omnes revereantur* .. *Epiſcopum ut Jeſum Chriſtum*: *Presbyteros autem ut concilium Dei*, *& conjunctionem Apoſtolorum*. SINE HIS ECCLESIA NON VOCATUR. Sed de Ignatii, quæ huc pertinent, teſtimoniis plura me dixiſſe memini in IV. Antiquitatum Chriſtianarum Libro (4). Eadem deinceps orthodoxorum de Eccleſiarum ratione doctrina fuit. Nam Epiſcopi, qui *poſitos ſe a Spiritu Sancto* Rectores noverant (5), non modo coetus quique ſuos moderabantur, ſed concilia etiam celebrabant, communique ſententia de diſciplina ſtatuebant, ſuaque ſtatuta promulgabant, inflicta iis, qui obſiſterent, juſta poena

(1) Ibid. Num. VI. p. 127.
(2) Num. IV. p. 151.
(3) Num. II. p. 171. Vide & Num. XIII. p. 187.
(4) Pag. 363. Vol. IV. & pag. 517. ſq.
(5) Confer Acta Apoſtolorum Cap. XX. v. 28. S. Irenaeus in III. contra Haereſes Libro. Cap. XIV. pag. 201. Edit. Venetae an. 1734. „ In Mileto, inquit, cum S. Paulus) convocatis Epi„ ſcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheſo, & a reliquis „ proximis Civitatibus (quoniam ipſe feſtinaret Hieroſolymis „ Pentecoſten agere) multa teſtificans eis, & dicens, quæ „ oporret ei Hieroſolymis evenire, adjecit: .. Attendite „ igitur & vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus San„ ctus PRÆPOSVIT Epiſcopos REGERE Eccleſiam Domini, „ quam ſibi conſtituit per ſanguinem ſuum &c. „

na. Eſt ejuſmodi Synodorum a Tertulliano in Libro *de Jejuniis* (1), & ab Euſebio Cæſarienſi in Hiſtoria [2] facta mentio; extantque earum etiamnum inſtituta quædam in Codice Canonum (3), quos Apoſtolicos vulgo vocant, e quibus facile perſpici poteſt, quae, quas ob cauſſas, quibus modis præcepta tulerint, quibuſque conſtitutis poenis Miniſtros ſacrorum, & Plebes ipſas continuerint in officio, caverintque, ne quidquam ageretur, quod non ad rei Chriſtianæ publicæ bonum, decoremque Domus Dei conduceret. Fuiſſe præterea, qui Fratribus præſſent, Præſidenteſque appellarentur, non uno in loco oſtendit ſuppar Ignatio Juſtinus Martyr in *Priore Apologia* [4]. Epiſcoporum item meminere veluti Præfectorum, Præſidentium, Gubernatorumque Eccleſiæ, Hegeſippus (5), & Dionyſius Antiſtes Corinthiorum apud Euſebium in Hiſtoria (6). Quin etiam Epiſcopis commiſſas ab Apoſtolis

T fuiſ-

(1) Tertullian. Lib. de Jejuniis Cap.XIII. pag. 551. „ Bene „ autem quod & Epiſcopi VNIVERSAE PLEBI MANDARE „ JEJVNIA aſſolent „. Et Cap.XIV. p. 552. „ Aguntur præterea per Græcias illa certis in locis Concilia ex univerſis Ec- „ cleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, „ & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna vene- „ ratione celebratur „.

(2) Hiſt. Lib.V. Cap:XVI. pag.198. & Cap.XXIII. pag.210. Edit. Taurin. an. 1746.

(3) De his copioſe agit Beveregius in Libris Vindiciar.Cod. Canon. Eccl. Primitivae P.II. PP. Apoſtolicor. Edit.Amſtelod. an.1724. Cap. II. ſqq. num.IV. ſqq. pag. 10. ſqq.

(4) S. Juſt. Apol.I. n. LXVII. pag.86.

(5) Lib.IV. c.XXII. p.155.

(6) Lib.IV. c.XXIII. p.158. ſq.

fuiſſe Eccleſias, tradit Irenaeus in III. Contra Haereſes Libro (1). Quibus autem *commiſſæ* Eccleſiae ſunt, hiſce ne quiſquam in Eccleſiis iiſdem Principatum neget? Jam vero tantam Epiſcoporum auctoritatem eſſe, ut ab iis, quid credito, factoque opus Chriſtiano ſit, cognoſcere quemque oporteat, idem eſt auctor ibidem Irenaeus. Is enim in IV. Libro (2): *Eis* inquit, *qui in Eccleſia ſunt, Præsbyteris* OBAUDIRE *oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui abſiſtunt a* PRINCIPALI SUCCESSIONE, & *quocumque loco colligunt, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi* SCINDENTES, ET ELATOS, ET SIBI PLACENTES, AUT RURSUS UT HYPOCRITAS... UANÆ GLORIÆ GRATIA HOC OPERANTES. Et *hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, ideſt alienas doctrinas, a caleſti igne comburentur, quemadmodum Nadab, & Abiud. Qui vero exurgunt contra veritatem, & alteros adhortantur adverſus Eccleſiam Dei, remanent apud inferos voragine terræ abſorpti, quemadmodum qui circa Chore, Dathan, & Abiron. Qui autem ſcindunt, & ſeparant unitatem Eccleſiæ, eamdem, quam*

(1) Cap. III. n. I. pag.175.
(2) Cap. XXVI. n.2. pag.262.

quam Hieroboam poenam percipient a Deo: Poſt adjungit (1): *Ab omnibus talibus abſiſtere oportet; adhærere vero his, qui & Apoſtolorum,* SICUT PRÆDIXIMUS, DOCTRINAM CUSTODIUNT, *& cum Præsbyterii ordine ſermonem ſanum, & converſationem ſine offenſa præſtant, ad confirmationem, & correptionem reliquorum*. Quære ex Pufendorfio. Is non modo negabit, Epiſcopis ſe, qui certe *ſucceſſionem ab Apoſtolis habent, obauditurum*; ſed id ſe etiam agere dicet, *ut a principali abſiſtat ſucceſſione*. Non enim probari ſibi dogmata ejus, *quam* Irenæus proponit, Epiſcoporum *ſucceſſionis*. Aliam ſe doctrinam tueri; nec tamen pati, uti ſe quiſquam aut hæreſeos arguat, aut in ſuſpicionem erroris vocet; neve minas ſe Irenæi pertimeſcere. Revoca, obſecro, in memoriam, quæ ex Pufendorfio attuli, veraque a me affirmari fatebere. Et eſt nihilominus Pufendorfii doctrina, te prædicatore, catholica. Venio ad Clementem Alexandrinum. Is προκοπὰς PROGRESSUS *Diaconorum, Presbyterorum, atque Epiſcoporum* nominat in VI. Libro Stromateon (2), quos μιμήματα IMITATIONES ait, *eſſe gloriæ Angelicæ, & illius oeconomiæ, ac diſpenſationis, quam dicunt Scripturæ, illos expectare, qui inſiſtentes veſtigiis Apoſtolorum, vixerunt in perfectione*

(1) Ibid. n. 4. p. 262. ſq.
(2) Pag. 667.

juſtitiæ &c. In ſeptimo autem Libro (1), imaginem a Presbyteris, ſeu Epiſcopis (nam hos Presbyterorum heic vocat nomine) partem τὴν βελτιωτικὴν, *quæ meliores* facit, obtinere docet. Jam Tertullianus in Libro *de Baptiſmo* (2), Epiſcopum *ſummum Sacerdotem* vocat. Idem in *Libro de Pudicitia*, quem, poſteaquam defecit ad Montaniſtas, adverſus Catholicos edidit, Epiſcopis orthodoxis vertit crimini, quod moechos, poſt poenitentiam, admitterent in coetum; Romanumque in primis Pontificem accuſans: *audio*, inquit, *edictum eſſe propoſitum, et quidem peremtorium: Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum edicit: ego & moechiæ, & fornicationis delicta poenitentia functis dimitto* (3). Nega, ſi potis es, *praeminentiam* in Eccleſia ei, quem orthodoxi *Pontificem Maximum* ſecundo, tertioque ſeculo crederent; cuique poteſtatem *dimittendorum delictorum* divinitus utique datam adſerendam confiterentur. Eſt in Actis SS. Martyrum Perpetuæ, & Felicitatis, quæ initio ſeculi III. pro Chriſto ſanguinem fudere, Optato Epiſcopo fuiſſe dictum ab Angelis: *Corrige plebem tuam, quia ſic ad te conveniunt, quaſi de circo redeuntes, & de factionibus certantes*

(1) Pag. 700. Vide quæ ſcripſi Tom. IV. Antiquit. Chriſtianar. pag. 324. & 428. ſq.
(2) Cap. XVII. pag. 230. Nominat ibid. Epiſcopi auctoritatem.
(3) Cap. I. pag. 555.

tes (1). Cui *corrigendae plebis* onus impoſitum eſt, ecquis *præeminentiam* in coetu adimat, conceſſumque neget, ut in Eccleſia cum poteſtate verſetur? Eodem autem ſeculo Origenes in III. Contra Celſum Libro (2), Epiſcopos ἄρχοντας ἐκκλησίας PRINCIPES ECCLESIÆ; & in Homilia, quæ eſt XI. in Hieremiam (3) Epiſcopi ἀρχὴν hoc eſt PRINCIPATUM appellat: Quia *omnium*, inquit, *noſtrum obtinet* ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν PRINCIPATUM HUNC ECCLESIASTICUM. Rurſum in VIII. Libro Contra Celſum (4): *In Eccleſia præſunt*, inquit, & τῆς κατὰ θεὸν πατρίδος, λέγω δὲ τῆς ἐκκλησίας λεγόμενους προστάτας, οἱ καὶ ἄρχουσι κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ προστεταγμένα ILLIUS, QUÆ SECUNDUM DEUM EST PATRIÆ, DICO AUTEM, ECCLESIÆ ii, QUI DICUNTUR PRÆPOSITI, QUI & PRÆSUNT SECUNDUM EA, QUÆ SUNT ORDINATA A DEO. Deſiderari ne quidquam poteſt illuſtrius? Age, ac Cyprianum Carthaginienſium Antiſtitem, qui ſeculo eodem tertio Martyr deceſſit, audiamus. Huius pene innumerabilia ſunt hac de re, eaque præclara loca. Perpauca afferam. In Epiſtola III. (5), quæ eſt ad Rogatianum Epiſco-

(1) Num. XIII. p. 86. Act. Mart. Sincer. Edit. Veron. an. 1731.
(2) Num. XXX. pag. 466. T. I. Poſtremæ Edit. Pariſ.
(3) Num. III. Tom. III. Edit. ejuſd. p. 189.
(4) Num. LXXV. pag. 799. Tom. I.
(5) Al. LXV. p. 5. ſqq. Edit. Opp. Oxon. an. 1682. P. I.

ſcopum, cui Diaconus quidam injuriam intulerat: *Et tu quidem*, inquit, *honorifice circa nos.. feciſti, ut malles de eo nobis conqueri, cum pro* EPISCOPATUS VIGORE, ET CATHEDRÆ AUCTORITATE HABERES POTESTATEM, QUA POSSES DE ILLO STATIM VINDICARI: *certus quod Collegae tui omnes gratum haberemus quodcumque circa Diaconum tuum contumelioſum Sacerdotali* POTESTATE *feciſſes, habens circa hujuſmodi homines* PRÆCEPTA DIVINA, *cum Deus in Deuteronomio dicat* „: & homo „ quicumque fecerit in ſuperbia, ut non „ exaudiat ſacerdotem, aut judicem, qui- „ cumque fuerit in diebus illis, morietur „ homo ille, & omnis populus, cum au- „ dierit, timebit „ ... *Sed & Salomon in Spiritu Sancto conſtitutus teſtatur, & docet, quæ ſit* SACERDOTALIS AUCTORITAS, & POTESTAS, dicens: „ Ex tota anima tua time „ Deum, & Sacerdotes ejus ſanctifica „.. *Quorum praeceptorum memor Beatus Apoſtolus Paulus, ſecundum quod in Actis Apoſtolorum legimus, cum ei diceretur*: „ ſic inſilis in „ Sacerdotem Dei maledicendo „ ? *Reſpondit, & dixit*: „ Neſciebam, fratres, quia „ Pontifex eſt. Scriptum eſt enim, Princi- „ pem Populi tui non maledices „. Poſt ubi Cyprianus de Chriſto, qui Pontifici Judæorum demiſſe reſpondit, nonnulla dixit; tum: *docuit*, inquit, *Sacerdotes veros legitime, & ple-*

plene honorari, dum circa falſos Sacerdotes ipſe talis extitit. Meminiſſe autem *Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt* EPISCOPOS, & *Praepoſitos Dominus elegit*: Diaconos *autem poſt* aſcenſum *Domini in caelos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiae Miniſtros.. Oportet Diaconum; de quo ſcribis, agere audaciae ſuae poenitentiam, .. & Epiſcopo Praepoſito ſuo ſatisfacere. Haec ſunt enim initia haereticorum, & ortus, atque conatus ſchiſmaticorum male cogitantium, ut ſibi placeant, & Praepoſitum ſuperbo tumore contemnant.. Quod ſi ultra te.. provocaverit, fungeris circa eum* POTESTATE *honoris tui, ut* EUM VEL DEPONAS, vel ABSTINEAS.. *Et quoniam ſcripſiſti, quemdam cum eodem Diacono tuo ſe.miſcuiſſe, & ſuperbiae ejus, atque audaciae participem eſſe, hunc quoque, & ſi qui alii tales exſtiterint, & contra Sacerdotem Dei fecerint, vel* COERCERE POTERIS, vel *abſtinere. Niſi quod hortamur, & monemus, ut peccaſſe ſe potius intelligant, & ſatisfaciant... Magis enim optamus.. injurias ſingulorum clementi patientia vincere, quam* SACERDOTALI LICENTIA VINDICARE. Et in Epiſt. V. (1) *Nec putent*, inquit, SIBI VITÆ, *aut* SALUTIS CONSTARE *rationem, ſi* EPISCOPIS, *& Sacerdotibus* OBTEMPERARE NOLUERINT; *cum in Deute-*

(1) Al. LXII. pag. 9.

ronomio Dominus Deus dicat: „ & homo qui-
„ cumque fecerit in ſuperbia, ut non exau-
„ diat SACERDOTEM, aut JUDICEM, quicum-
„ que fuerit in diebus illis, morietur ho-
„ mo ille &c. „ . *Nunc quia circumciſio ſpiritalis eſſe apud Fideles ſervos Dei coepit, ſpiritali gladio ſuperbi, & contumaces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur. Neque enim vivere foris poſſunt, cum Domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit.* Huc item pertinent, quæ perſequitur Epiſtola XLIII. ad Cornelium (1). Epiſtola vero *LIX. al. LV*: ad eumdem (2): *ſublimem Epiſcopatum, ac ſublimem, Divinamque gubernandae Eccleſiae poteſtatem* commemorat. Neque audacium hominum cauſſa *ſolvendam eſſe Eccleſiae diſciplinam*, aut *ſolvendam Sacerdotalem cenſuram*, docet. *Honorem* autem maximum Dei *dignatione concedi, ut quiſquis* SACERDOTI DEI, ET AD TEMPUS HIC JUDICANTI *non obtemperaret, ſtatim* (ex Legis veteris præſcripto) *necaretur*; deindeque addit: *Cum haec tanta, ac talia, & multa alia exempla praecedant, quibus* SACERDOTALIS AUCTORITAS, & POTESTAS DE DIVINA DIGNATIONE FIRMATUR, *quales putas eſſe eos, qui Sacerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec praemonentis Domini comminatione, nec futuri judicii*

(1) Al. XL. pag. 83.
(2) Pag. 126.

dicii ultione terrentur? Neque enim aliunde haereſes obortae ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non OBTEMPERATUR, NEC UNUS IN ECCLESIA AD TEMPUS SACERDOS, & AD TEMPUS JUDEX VICE CHRISTI COGITATUR &c. Deinceps *Gubernatorem Eccleſiae* (1) dicit Epiſcopum, & *Rectorem plebis* (2), quem qui ſuorum audiat, Chriſtum audiat; qui rejiciat Criſtum rejiciat (3). *Unum* præterea *Epiſcopum*, qui *gubernator* Eccleſiæ *eſt*, *dignationeque honoratur* Dei, *Eccleſiae praeeſſe*, dicit, atque hunc quidem ejuſmodi, quicum *Eccleſiae univerſae per totum*

---

(1) Pag. 130.

(2) Epiſt. LXI. al. LVIII. ad Lucium Papam pag. 144.

(3) Epiſt. LXVI. al. LXIX. ad Florentium pag. 166. ſq. „ Nec hæc jacto; ſed dolens profero, cum te judicem Dei „ conſtituas, & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc „ ad omnes PRÆPOSITOS, qui APOSTOLIS vicaria ordi- „ natione SVCCEDVNT „: Qui audit vos, me audit, & qui me audit, audit eum, qui me miſit: & : qui rejicit vos, me rejicit, & qui me rejicit, rejicit eum, qui me miſit. „ In- „ de enim ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, „ dum EPISCOPVS, qui unus eſt, ECCLESIÆ & PRÆEST, „ ſuperba quorumdam præſumtione contemnitur, & homo „ DIGNATIONE DEI HONORATVS, indignus ab homini- „ bus judicatur. Quis enim hic eſt (audi Febroni) ſuperbiae „ tumor, quæ arrrogantia animi, quæ mentis inflatio ad co- „ gnitionem ſuam Præpoſitos, & Sacerdotes vocare, ac niſi „ APVD TE PVRGATI FVERIMVS, & SENTENTIA TVA „ ABSOLVTI; ecce jam .. nec fraternitas habuerit Epiſco- „ pum, nec plebs PRÆPOSITVM, nec Eccleſia GVBERNA- „ TOREM . . . Apes habent Regem, & Ducem pecudes, & fi- „ dem ſervant latrones, mancipi obſequio pleno humilitatis „ OBTEMPERANT. Quanto ſimpliciores, & meliores vobis „ ſunt brutae pecudes, & muta animalia, & cruenti licet, „ ac furentes inter gladios, atque inter arma prædones? Præ- „ poſitus illic agnoſcitur, & timetur, quem NON SENTEN- „ TIA DIVINA CONSTITVIT (ut Epiſcopum); ſed in quem „ factio perdita, & nocens caterva conſenſit „.

tum mundum ſint UNITATIS VINCULO COPULATÆ. Chriſtum porro, adjungit, *ſuper Petrum aedificaſſe Eccleſiam; Eccleſiae vero nomine docuiſſe, & oſtendiſſe, quia etſi contumax ac ſuperba obaudire volentium multitudo diſcedat, Eccleſia tamen a Chriſto non recedit, & illi ſunt Eccleſia plebs Sacerdoti ſuo adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens*. Hinc intelligi, ait: *Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & eos, qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe &c.* Seculo eodem tertio Babylas, mortuo Zebino Epiſcopo Antiochenorum (1) PRINCIPATUM excepiſſe fertur. Nec ſecus de Dionyſio PRÆFECTURAM Eccleſiæ Alexandrinorum aſſequuto (2), veteres Scriptores tradunt. Is Dionyſius ad Novatum Schiſmaticum ſcribens, qui Epiſcopi apud factionem ſuam ſuſtinere ſeſe putabat dignitatem, eum ob ſciſſam unitatem coarguit; eique eſt auctor, ut (quoniam *parere* plebem Antiſtiti, & cogi ipſam ab ſuo Paſtore poſſe, ut in officio ſeſe, unitateque contineat, notum erat) ſuos *parere* recuſantes ad concordiam, ſanitatemque redire, vel COGERET, vel perſuaſione induceret. *Nec minus glorioſum fuiſſet*, inquit, *idcirco ſubire Martyrium, ne Eccleſiam ſcinderes, quam ut ne idolis ſacrificares: Immo illud, meo quidem judicio*, MELIUS

(1) Vide graeca Euſeb. Lib. VI. Hiſt. Eccl. c. xxix. pag. 255.
(2) Euſeb. ibid. c. xxxv. pag. 259.

LIUS *ſuiſſet* : ET NUNC SI PERSUASERIS FRATRIBUS, AUT EOS COEGERIS, UT AD CONSENSIONEM REDEANT, *majus tibi meritum erit, quam culpa .. Quod ſi, fratribus* NON OBTEMPERANTIBUS, *id efficere non potes, tuam ipſe animam ſerva* (1). Quid poteſtatis, ſacrorum Antiſtites ſeculo ipſo tertio, in Paulum Samoſatenum Antiochenæ Eccleſiæ invaſorem exercuerint, ex Eorum Synodicis Litteris (2) plane conſtat. Initio fere Seculi IV. commota in Chriſtianos ab Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano tempeſtas fuit. Ea primum *in* PRESIDENTES (3) Eccleſiæ ſæviit. *Tunc* quamplurimi ECCLESIARUM PRINCIPES *graviſſima ſupplicia alacri animo perpeſſi ſunt*, ut Euſebius Cæſarienſis teſtis eſt locuples in VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libro (4). Eſt idem is Euſebius auctor in VII. Libro *Evangelicæ* Demonſtrationis (5): *tres in unaquaque Eccleſia eſſe ordines unum* PRÆFECTORUM, ſeu DUCUM (6), ſeu IMPERANTIUM, *duos autem* EORUM, QUI SUBSUNT; *cum Eccleſiæ Chriſti populus in duos ordines ſit diviſus, in eorum,* *omnem*

(1) Apud Euſeb. Lib. VI. Cap. LXV. pag.278.

(2) Extant apud Euſebium Lib. VII. Hiſt. Eccl. Cap. XXXI. pag. 318. ſqq.

(3) Vide graeca Euſeb. Lib. VIII. Cap. II. pag. 332.

(4) Cap. III. p. 332. Sic enim græcus Euſeb. textus poſtulat.

(5) Cap. I. pag. 323. Edit. Colon. an. 1688.

(6) At ne novum cuiquam id videatur, ſed a Scripturis acceptum, & PP. confer Edit. Græcam Epiſtolæ Pauli ad Hebræos Cap. XIII. v. 7., v. 17. & v. 24. Conſule etiam Origenis Commentaria in Matthæum pag. 420. T. I. Opp. Edit. Huetii an. 1668.

qui credunt, & eorum qui nondum ad lavacri regenerationem aſſumti ſunt ... Eſſe autem omnem quoque ordinem PRÆFECTORUM ECCLESIÆ, *quibus colendi animas hominum cura mandata eſt, juvencæ boum nomine ſignificatum; quippe qui Apoſtolicorum rituum, ac præceptorum foetus exiſtat &c.* At iis, qui *præfecti* ſint, quive *imperent*, quo tu modo adimis PRÆEMINENTIAM, aut qua demum ratione eos, qui *dioeceſes teneant*, quibus *judicandi* poteſtas ſit data, qui *ſtatuta* condant, quæ ſervanda a Plebe, Clericiſve ſint, detrahendam eſſe *praeminentiam* putabis, adeo ut pares reliquis eſſe, neque ipſis quemquam eſſe ſubjectum arbitrere? At jus Epiſcopis eſſe *judicandi*, *Dioeceſes tenendi* (1), *condendi ſtatuta* (2), quibus ceteros parere oporteat, ex Synodorum Eliberitanæ an. fortaſſe 313. Arelatenſis Primæ an. 314. ac reliquarum, quæ deinceps ſunt habitæ, monumentis conſtat. *Judicia* Epiſcoporum commemorat Conſtantinus Auguſtus in Epiſtola ad Epiſcopos data, poſteaquam eſt habitum Concilium Arelatenſe; vertitque crimini Donatiſtis, quod ab Judicio Epiſcoporum ad Imperatoris judicium provocaverint, cum judi-

(1) Synod. Arel. I. Epiſt. ad Silveſtrum Papam T. I. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. pag. 261. ſq.
(2) Confer Canones Synodi Elib. ibid. p. 247. ſqq. & Arelat. I. ibid. p. 264. ſq.

dicium Eccleſiaſticum (ut orthodoxorum doctrinam ferre cognoverat) judicio ſit quovis laicorum præſtantius (1). Accedit Sanctorum Athanaſii Alexandrini *in Hiſtoria Arianorum ad Monachos* (2), Oſii Cordubenſis (3), Luciferi Calaritani (4), cujus opus probatum Athanaſio fuiſſe liquet, Hilarii Pictavienſis (5) Liberii Pontificis Maximi (6), Baſilii Magni (7), Gregorii Nazianzeni aucto-

(1) Tom.I. Concilior. pag.263. Edit. ejuſd. „ Quae, inquit, „ in ipſis (Donatiſtis) tanta veſania perſeverat, cum incre„ dibili arrogantia perſuadeant ſibi, quae NEC DICI, NEC „ AVDIRI FAS EST, DESCISCENTES A RECTO JVDICIO „ (Epiſcoporum) pro cæleſti proviſione, meum judicium eos „ comperi poſtulare.. Meum judicium poſtulant, qui ipſe ju„ dicium Chriſti expecto. Dico enim, UT SE VERITAS HA„ BET: Sacerdotum judicium ita debet haberi, AC SI IPSE „ DOMINUS RESIDENS JUDICET. Nihil enim licet his aliud „ ſentire, vel aliud judicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt „ edocti. Quid igitur ſentiunt maligni homines? .. Perquirunt „ ſecularia, relinquentes caeleſtia. O rabida furoris audacia! „ Sicut in cauſsis gentium fieri ſolet, appellationem interpo„ ſuerunt. Equidem gentes minora interdum judicia refugien„ tes, ubi juſtitia reprehendi poteſt, magis ad majora judicia, „ auctoritate interpoſita, ad appellationem ſe conferre ſunt ſo„ litæ. Quid hi DETRACTORES LEGIS, qui renuentes CÆ„ LESTE JUDICIUM, MEUM PUTAVERUNT POSTULAN„ DUM &c. „ ?

(2) Tom.I. Opp.pag.376. Edit. Pariſ. an.1698. „ Si iſtud, in„ quit, judicium Epiſcoporum, quid commune cum eo habet „ Imperator „ ? Confer, quæ idem de Epiſcoporum Poteſtate ſcribit ibid. n.XI. pag.350. & n.XIV. pag.351. n.XV. p.352. n.XVII. pag.353. n.XXXIII. pag.363. quo loco teſtimonium affert Paulini Trevirenſis, Dionyſii Mediolanenſis, & Euſebii Vercellenſis Epiſcoporum; & num. XXXVI. pag.365. Vide etiam, quæ adnotavimus Tom.IV. Antiquit. Chriſtianar. pag.127. ſq.

(3) Apud Athanaſium ibid. Num. XLIV. p.371.

(4) Lib.I. pro Athanaſio pag.154. Bibliothecae Patrum Edit. Lugd. an.1677. Tom.IV.

(5) Lib.I. ad Conſtantium n.1. pag.1218. Edit. Opp. Pariſ. an.1693. & Lib.VIII. de Trinitate n.1. pag.947.

(6) Apud Athanaſium Hiſt. Arianor. ad Monachos n.XXXVI. pag.365. & Tom.I. Epiſtolar. Romanor. Pontific. pag.431. ſqq. Edit. Pariſ. an.1721.

(7) Epiſt. CCXXV. pag.344. Tom.III. Edit. Pariſ. an.1730.

auctoritas . Is Nazianzenus Orat. XVII.
„ Quid vos inquit, Principes, & Præfecti ?
„ Ad vos enim jam noſtra ſe convertit ora-
„ tio; ne alioqui inique omnino facere vi-
„ deamur, atque his quidem, quæ in rem
„ factura ſint, ſuadere ; veſtræ autem di-
„ gnitati,potentiæque cedere (quaſi vel pu-
„ dore, vel metu Chriſtianam noſtram li-
„ bertatem demittentes) aut illorum com-
„ modis conſulere; vos autem negligere,
„ quorum curam eo majorem gerere par
„ eſt, quod ea res plus in utramque par-
„ tem momenti habeat, majorque inde
„ utilitas promanet, ſi negotium proſpere
„ ſucceſſerit... Quid igitur dicitis, aut
„ quid INTER NOS CONVENIT ?... ET CHRI-
„ STI LEX SUBIECIT VOS MEO IMPERIO, ET
„ MEO THRONO. Principatum enim nos quo-
„ que gerimus; addo etiam, quod ET PRÆ-
„ STANTIOREM, ET PERFECTIOREM PRINCIPA-
„ TUM; niſi vero aequum eſt ſpiritum car-
„ ni, & cæleſtia terrenis cedere. Sed non
„ dubito, quin hanc dicendi libertatem
„ in optimam partem accepturus ſis, utpo-
„ te ſacri mei Gregis ovis ſacra, magnique
„ Paſtoris alumna „. Hæc ille, Præfectum
Nazianzenis iratum alloquens (1). Idem in
prima Oratione. „ Quemadmodum, *inquit*,
„ in

(1) Pag. 271. Edit. Opp. an.1690. T.I.

„ in corpore aliud membrum Principatum „ tenet, ac veluti præſidet; aliud ſubeſt „ & regitur; ad eumdem modum Deus, vel „ æquitatis lege, quæ meritum cujuſque „ perpendit, vel etiam providentiæ, per „ quam omnia inter ſe veluti devinxit; hoc „ in Eccleſiis conſtituit, ut alii paſcantur, „ & SUBDANTUR (ſeu IMPERATA faciant).. „ ac tum ſermone tum OPERE ad officium „ dirigantur; alii autem ad Eccleſiæ per- „ fectionem Paſtores, ac Magiſtri ſint; ni- „ mirum qui virtute conjunctioneque, & „ familiaritate apud Deum Vulgo ſublimio- „ res ſunt, rationem animæ ad corpus, „ aut mentis ad animam obtinentes (1) „. Mane, Febroni. Conſidera etiam atque etiam, quam diſcors cum Patrum doctrina ſit ſententia Pufendorfii, *præſidentiam*, *auctoritatem*, *poteſtatem Antiſtitum*, *ſubordinationemque* plebium, repellentis. Mitto, quæ Grægorius Nyſſenus (2), quæ Valentinianus Auguſtus (3), quæ Ambroſius (4), quæ Leontius, quamvis Arianus (5), quæ Martinus

---

(1) Pag.2. Tom.I. Edit.Colon. an.1690.
(2) Tomo III. Opp. pag.306. Edit.an.1638.
(3) Confer Sozomenum Lib. VI. Hiſtor. Cap. VII. pag. 227. Edit.Cantabrig. & S. Ambroſium Epiſt. XXI. ad Valentinianum II. num.v. pag.910. Tom.III. Opp. Edit. Venetae an.1751.
(4) Ambroſ. ibid.n.eod.ſqq. & Epiſt.XVII. n.XII.pag.859. & Epiſt.XX. n.XIX. ſqq. pag. 906. ſqq. & Serm. contra Auxentium n.v. pag.915.& n.xxx.ſq. pag.924. & n.xxxvi. pag.926.
(5) Confer Svidam ad v. Leontius.

nus Turonenſis (1), quæ Ambroſiaſter (2), quæ Hieronymus (3), quæ Joannes Chryſoſtomus (4), quae Epiphanius (5), quae Optatus (6) Milevitanus, quæquæ ſeculo V. Auguſtinus Epiſcopus ſanctiſſimus Hipponenſium (7), quæ Iſidorus Peluſiotes (8), quae Auctor operis *Quaſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti* (9), quae Honorius, & Junior Thehodoſius Auguſti (10), quæ deni-

(1) Apud Sulpitium Severum Lib.II. Hiſtor.Eccl. pag. 348. Tom.VI. Biblioth. Patrum Edit.Lugd. an.1677.

(2) Qui aetate Damaſi Pontificis Maximi floruit: Commentar. in Epiſt. ad Epheſ. Cap.IV. Tom. II. Opp. S. Ambroſ. pag.241. Edit.Pariſ. Monachor. S.Mauri.

(3) Commentarior. in Cap.III.Iſaiæ v.14.pag.39. Tom.III. Opp. Edit. Paris. Martianæi. & in Pſalm. XLIV. pag.241. T.II. Edit. ejuſd.& in Epiſt. ad. Aſellam XXVIII. al.XCIX. pag.166. Edit. ejuſd. T. IV. P.II. & in Dialogo contra Luciferianos pag. 295. Tom. ejuſd.

(4) Homilia III.ad Populum Antiochenum pag.38.Tom.II. Opp. Edit Pariſ. an. 1713. Lib.III. de Sacerdotio Cap.XIV.p.390. Tom. I. Opp. Et Epiſt. ad Epiſcopos, & Presbyteros detruſos in Carcerem. Tom.III. Opp.Edit.ejuſd. p.526. & Epiſt. ad Innoc.I. Papam Tom. ejuſd. pag. 517. ſqq. &c.

(5) S.Epiphan. Salaminæ Hæreſ.LXXV. n.v. pag.908.Edit. Pariſ. an. 1622.

(6) Lib. I. de Schiſmate Donatiſtarum n. XIII. p. 14. Edit. Antuerp. an. 1702. „ Ipſi, inquit, Apices, & Principes omnium „ Epiſcopi &c;

(7) Vt ejus cetera prætermittam loca, confer Epiſt. XLIII. al. CLXII. ad Glorium, & Elenſium &c. n. XX. pag. 97. T. II. Opp. Edit. Pariſ. Monachor. Congregat. Sancti Mauri.

(8) Lib. III. Epiſt. CXLIX. pag. 356. Edit. Pariſ. an.1638.

(9) Inter opera S. Auguſtini Tom.III. P. I. in Append. pag. 39. Edit. Pariſ. Monachor. Congreg. S. Mauri.

(10) Honorius Auguſtus Epiſt. ad Arcadium, quæ eſt VIII. inter Epiſtolas Innoc. I. P. M. n. 1. Tom. I. Epiſtolar. Romanor. Pontific. pag. 803. Edit. an. 1721. de cauſſa Johannis Chryſoſtomi Epiſcopi Conſtantinopolitani agens: „ Auctor, inquit, no-„ ſtri imperii, & Reipublicæ, quam nobis credidit, guberna-„ tor omnipotens Deus, funeſtis, exſecrabilibuſque commiſsis „ crederetur iraſci; cum ſi quid de cauſſa Religionis ageretur, „ Epi-

quæ denique ab Imperatoribus, a Patribus, Scriptoribuſque ceteris, qui deinde floruerunt, hoc de genere omni memoriæ prodita ſunt; quæque tam inter ſe congruunt, ut nullum teſtimonium cujuſquam eorum afferri poſſit, quod non ſit reliquorum dictis mirifice conſentaneum. Atque ea quidem, ſi otium eſſet, vel ſi ratio poſtularet, deſcriberem. Tibi autem ſic confirmo, eſſe ipſa me, ſi quidem juſſeris, accuratiſſime deſcripturum.

Pufendorfiana doctrina de forma Regiminis Eccleſiae, in qua Pontifex Romanus nihil præcipui juris, auctoritatiſque obtineat, neve Caput ſit, reprobatur a Patribus, damnaturque ab orthodoxis quibuſq; Eccleſiis, Gallicanis præſertim, ut verbis Chriſti, dogmatique Fidei adverſaria.

XX. Quid, ſententia Chriſti, in Apoſtolorum Principem, inque hujus Succeſſores Romanos Pontifices manaverit dignitatis, & poteſtatis, alio loco demonſtrabitur; efficieturque Eccleſiæ Catholicæ conſenſione, decretis, definitionibus, nihil eſſe hoc item de capite controverſiae, Pufendorfiana doctrina orthodoxo dogmati repugnantius; quam tu tamen doctrinam catholicam eſſe, veramque, ut vidimus, arbitrare. Interea ex iis, quæ paucis ſupra comprehendimus, perſpicuum ſa-

„ Epiſcopale oportuerit eſſe JUDICIUM. Ad illos enim Di„ vinarum rerum interpretatio; ad nos religionis ſpectat ob„ ſequium „. Et n. v. pag. 504. „ Erat inter Epiſcopos cauſſa, „ quæ collato, tractatoque conſilio deberet abſolvi &c. „ Theodoſius junior Auguſtus in iis Litteris, quas ad Synodum Epheſinam an. 431. dedit, Tom. I. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. pag. 1346. „ Nullo modo, inquit, commune quidquam „ habere oportet (laicum); cum non liceat, ut qui relatus in „ Epiſcoporum catalogum non eſt, implicet ſe negotiis Eccle„ ſiaſticis „. Confer Acta Cleri Gallicani: Tractat. de Juriſdictione Eccl. Tom. VI. pag. 3. ſqq. Edit. Pariſ. an. 1716.

ne ſit, & fuiſſe Petrum, & eſſe ejus Succeſſorem Pontificem Romanum Caput omnium Chriſtianorum *viſibile* (1), *Centrum unitatis*, *Paſtorem primum*, *non ſolum primatu honoris*, *& præſidentiæ*, *ſed jurisdictionis* (2) *etiam*; idque ei genus honoris, ac poteſtatis negari, ſalva fide, non poſſe; & *articulum* præterea eſſe *fidei*, *juriſdictionis*, *ac poteſtatis judicium ad Romanum eumdem Pontificem pertinere* (3), *cui Chriſtus univerſam Eccleſiam paſcendam tradiderit*, *&* GUBERNANDAM (4). Hæc vero una omnium Catholicorum ſumma, concors, certiſſima ſententia eſt, Gallis non modo non reſiſtentibus, verum etiam magnopere affirmantibus; planeque ſperantibus, ſententiæ ejuſdem præſidiis, reduci Heterodoxos ad ovile Chriſti, atque corrigi ad frugem poſſe. Nam hanc methodum Epiſcopi Galliarum, ut ad Eccleſiam Catholicam Proteſtantes revocent, proponunt (5): *Oſtendendum* Novatoribus iiſdem,

(1) Vide pag. 169. hujus Vol.

(2) Confer pag. 173. ſqq. ejuſd. noſtri Volum.

(3) Ibid. pag. 175.

(4) Ibid. pag. 179. ſqq.

(5) Act. Cleri Gallic. Tit. de la Foy Catholique pag. 30. Tom. I. Edit. Pariſ. an. 1716. „ Montrer, que l'Egliſe Romaine, „ ou celle qui reconnoit par toute la terre le Pape, ou l'Eve- „ que de Rome Succeſſeur de Saint Pierre pour Chef, eſt la „ vraie Egliſe, parce qu'il n'y a qu'elle, qui en ait la mar- „ que indubitable, qui eſt la perpetuite viſible ſans interru- „ ption depuis Jeſus Chriſt juſqu' a maintenant. C'eſt une me- „ thode commune à tous les Catholiques, & qui eſt tres bien, „ & brie-

dem, ajunt, *Eccleſiam Romanam, hoc eſt, illam, quæ ubique gentium agnoſcit Papam, ſeu Romanum Epiſcopum Succeſſorem Sancti Petri* PRO CAPITE, *eſſe veram Eccleſiam; propterea quod, præter illam, nulla ſit, cui indubia nota competat, quæ quidem (nota) eſt perpetuitas viſibilis ſine interruptione a Chriſto ad hanc uſque ætatem. Hanc methodum communem omnium Catholicorum optime, breviſſimeque eſſe expoſitam in parvo Tractatu de vera Eccleſia, ei Tractationi adnexo, quæ eſt de Pacifica methodo. Hunc illum eſſe modum, quem ſæpe adhibet S. Auguſtinus adverſus Donatiſtas in eo præcipue Libro, qui inſcribitur de Unitate Eccleſiæ, atque in ſuis Epiſtolis, e quibus illuſtriora loca referuntur ab Archiepiſcopo Rothomagenſi in ſua Apologia Evangelii Libro I.* (1) *quo in Libro egregie hac de re diſſerit.* Quid? Si in Fidei Profeſſione, quæ obtinet in Eccleſia Catholica univerſa, quamque Epiſcopi Galliarum ab hæreticorum calumnia vindicant, hæc dogmatis loco omnino habenda proponantur? *Sanctam, Catholicam, & Apo-*

„ & brievement expoſée dans le petit Traité de la vraie Egliſe, joint a celui de la Methode pacifique. C' eſt la moien, que Saint Auguſtin emploie le plus ſouvent contre les Donatiſtes, & principalement au livre de l' Vnité de l'Egliſe, & dans ſes Epitres, dont les plus beaux endroits ſur cette matiere ſont rapportez par feu M. l' Archeveque de Rouen dans ſon Apologie de l'Evangile au livre premier, ou il traite excellement cette matiere „.

(1) Confer Franciſci de Harlay Archiepiſcopi Rothomagenſis Apologiam Evangelii pro Catholicis ad Jacobum Majoris Britanniæ Regem Lib. I. pag. 76. ſqq. Edit. Pariſ. an. 1625.

& Apoſtolicam Romanam Ecleſiam OMNIUM ECCLESIARUM MATREM ET *Magiſtram agnoſci* oportere: *Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori , ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam* præſtari , atque *jurari* (1) . Age vero , hujuſce articuli confirmandi cauſſa , annon Clerus idem Gallicanus (2) loca e Synodi Tridentinæ Seſſ. XXV. deſcribit ; quorum eſt primum hujuſmodi : „ Præcipit Sancta Synodus Patriar„ chis , Primatibus , Archiepiſcopis , & „ Epiſcopis , & omnibus aliis &c. ut ve„ ram obedientiam Summo Romano Ponti„ fici ſpondeant , & profiteantur (3) „ : alterum vero habet hoc modo : *Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra , ſtatuit &c.* (4)? Quid quæris? Et auctoritate Majorum & verbis ipſis Servatoris Chriſti fretus, plus etiam juris Pontifici, Sedique Apoſtolicæ datum, (5) prædicat Boſſuetius in ea Oratione , quam ad Epiſcopos Collegas ſuos Pariſiis in Comitiis Cleri habuit an.1682. quamque probatam eorumdem Epiſcoporum conſenſu , commendatamque fuiſſe oſtendimus (6) . Atque Eccleſiæ quidem tra-

(1) Actor. Cler. Gallic. Tom. eod. I. Tit. eod. Artic. VII. pag. 91. Confer ejuſd. Cleri Epiſt. ad Innoc. X. ibid. p.236. ſqq.
(2) Ibid.
(3) Synod. Trid. Seſs. XXV. De Reform. Cap. II.
(4) Seſs. ead. Decret. de Cibor. delectu .
(5) Vide Vol. hujus pag. 177. ſqq.
(6) Vide ejuſd. Vol. noſtri pag. 177.

traditione hæc eadem jura niti,demonſtrat is Antiſtes Rotomagenſium, quem Clerus idem Gallicanus, excellenter in primis hoc in genere argumenti fuiſſe verſatum docet. Hujus ego Antiſtitis verbis rem confici malo, quam meis. Nec vero de Pontifice Maximo ſolum, ſed de Eccleſia etiam Romana ſcribit, confirmatque *ſubordinationem* Eccleſiarum illam, quam negare audet Pufendorfius. Sic autem habet (1): „ Hoc dico: „ Hanc ipſam Romam antiquiſſimam, religioſiſſimam, Principem omnium ſacrorum, quæ apud omnes gentes, nationeſque ſint, ex ſuis templis ac ſedibus, „ Schiſmaticorum opera, fruſtra dici, credive ſublatam. Fingant, qui legere, aut „ audivere, nuſquam SACRATISSIMAS ILLAS „ ECLLESIÆ CHRISTI VOCES; quæ tot columnis, quot ſyllabis ECCLESIÆ DE SUO PASTORE FIDEM FULCIUNT, AC SUSTENTANT; „ SANCTA SEDES, ὁ ἅγιος θρόνος, *Sedes* PRINCIPIS APOSTOLORUM, *Thronus* PRINCIPIS „ PETRI ὁ θρόνος τοῦ κορυφαίου πέτρου: *Regni cæleſtis Clavigeri Apoſtolica Sedes*, & PRÆCIPUA, AC SUMMA DIGNITAS, & POTESTAS: „ *Cathedra Apoſtolica*, *Romana Eccleſia*, *in* „ QUA SEMPER APOSTOLICÆ CATHEDRÆ, VIGUIT PRINCIPATUS: PRIMA *Cathedra Cory-*

 „ *phæi*

(1) Franciſcus Harlay Archiep. Rothomag. Apolog. Evang. Lib. II. pag. 235. Edit. Pariſ. an. 1625.

„ *phæi Apoſtolorum Throni* PETRI, ἡ πρώτη κά-
„ θεδρα τοῦ κορυφαίου ἐν ἀποστόλοις τοῦ θρόνου
„ πέτρου : SUMMA SEDES, *ceterarum Sedium*
„ *Magiſtra* : *Omnium Eccleſiarum mater*, *&*
„ *Magiſtra* SANCTA, CATHOLICA, & APOSTO-
„ LICA ROMANA ECCLESIA : Incorrupta co-
„ lumna Eccleſiarum :. CAPUT OMNIUM EC-
„ CLESIARUM : *Primatus Eccleſiarum* : *Prima*
„ *Sedes Apoſtolica* : SUPREMUS APOSTOLICUS
„ THRONUS : *Apoſtolica* ARX *&* SUMMITAS :
„ PRIMATUS SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE :
„ *ſpiritalis* DOMINATIO ECCLESIAE ROMANAE :
„ PRINCIPATUS DIVINAE POTESTATIS : *Mater*
„ *univerſorum Chriſti fidelium*, *&* *Magiſtra* :
„ *Romanæ Eccleſiæ*, *diſponente Domino*, *ſu-*
„ *per omnes alias ordinariæ* POTESTATIS PRIN-
„ CIPATUS : *Apoſtolici Throni* MAGISTRALIS
„ AUCTORITAS : PRIMÆ CATHEDRÆ POTESTAS :
„ *Apoſtolatus veſter* : *veſtrum divinum*, *&*
„ *Apoſtolicum judicium* : PRINCIPATUS EPI-
„ SCOPATUS : PRINCIPATUS SACERDOTII : Hæc
„ ad Sedem. Ad Sedentem vero illa per-
„ tinent : *Summus Pontifex* : PASTORUM PRIN-
„ CEPS : APOSTOLICÆ SUMMÆ SEDIS PRÆSUL :
„ UNIVERSALIS ECCLESIÆ PRÆSUL.. *Hierarcha*.
„ *Patriarcha Patriarcharum*, *&* *Summus*
„ *Sacerdos*, *Summorum Sacerdotum* : *Magnæ*,
„ *ac primæ Sedis Summus Pontifex* :. *Cuncta-*
„ *rum Sedium Patriarcha*. *Principis* [*ideſt*
„ *Petri*, *quem primum Apoſtolorum*, *&* *Emi-*
„ *nen-*

„ *nentiſſimum Martyrum* Auguſtinus *Libro*
„ *VI. de Baptiſmo* contra *Donatiſtas* appel-
„ lat] SUCCESSOR : . MAGNUS PONTIFEX .. EPI-
„ SCOPORUM EPISCOPUS : APOSTOLICÆ SUM-
„ MITATIS PONTIFICALISSIMUS ANTISTES,
„ AC PRÆSES ὁ τῆς ἀποστολικῆς ἀκροπόλεως ἀρ-
„ χιερατικώτατος πρόεδρος : *Oecumenicæ Ec-*
„ *cleſiæ* PROTOTHRONUS : SUMMUS APOSTOLO-
„ RUM VERTEX : PONTIFEX, & UNIVERSALIS
„ ECCLESIÆ PRAESES . . . CUSTOS FIDEI . . CA-
„ PUT TOTIUS FIDEI : & id genus reliqua
„ infiniti numeri, & argumenti, quæ cui-
„ vis antiquitatis perdiligenter ſtudioſo ob-
„ via ferme ubique eſſe conſtat. Quibus
„ olim commotior Auguſtinus, Petiliano
„ Donatiſtae, *Libro II.* Contra ejuſdem lit-
„ teras dixit: *Verumtamem ſi omnes per to-*
„ *tum orbem tales eſſent, quales vaniſſime*
„ *criminaris*, CATHEDRA TIBI QUID FECIT
„ ECCLESIÆ ROMANÆ, *in qua Petrus ſedit,*
„ *& in qua hodie Anaſtaſius ſedet : Vel Ec-*
„ *cleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua Jacobus ſe-*
„ *dit, & in qua hodie Johannes ſedet, qui-*
„ *bus nos in catholica unitate connectimur,*
„ *& a quibus vos nefario furore ſeparaſtis ?*
„ *Hæc ſi cogitaretis, non propter homines,*
„ *quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram*
„ *Apoſtolicam, cui non communicatis. Sed*
„ *quid eſt aliud, quam neſcire, quid dicere,*

 „ *& ta-*

„ *& tamen non poſſe, niſi maledicere* [1] „ ?. Haec ille ex Traditionis monumentis expreſſa complexus eſt breviter. His autem effici (contra atque Pufendorfius ſtatuat) & *praeminere* Romanum Pontificem Chriſtianis omnibus, & hos proinde ipſi eſſe *ſubordinatos*, *& Eccleſiarum ſubordinationem ſub Romana dari*, quis neget? Nam ei, qui *Caput* conſpicuum omnium Chriſtianorum ſit (2) qua Succeſſor eſt Petri; qui *Primus* ſit in Paſtoribus (3); qui teneat *eminentiorem locum*? Ei, cujus *maxima ſint praerogativa*, *planeque divina*; qui ſit *particeps glorioſarum praeminentiarum*, *quas Dei filius conceſſerit primo ſuorum Apoſtolorum*; qui *Paſtor ſit Primus*, *Primus Epiſcopus*, *Primus Jeſu Chriſti Vicarius in terris*, *Primus Pontifex*, *Praefectus a Chriſto gregi univerſo*, *ac Primus quidem Primatu non ſolum praſidentia*, *ac honoris*, *verum etiam juriſdictionis* [4], *ut vigilan-*

(1) Confer, quae de Titulis honorum B. Petri ſcripſimus in V. Antiquitatum Chriſtianarum Volumine pag. 531. ſqq. teſtimoniis freti Sanctorum Patrum: & quae de potiore Petri principatu perſequuti ſumus ibid. pag. 92. ſqq. & pag. 292. ſqq. 409. ſqq. allatis (ſerie ſervata ſeculorum) teſtimoniis Majorum; neque vero teſtimonii Patrum modo; ſed etiam Chriſtianorum veterum pictis vitris, lucernis, liturgiarumque monumentis. Multa præterea de Pontificis Maximi Primatu, ac Poteſtate ex Libris Patrum, Synodorumque Actis loca deſcripſimus in Parte II Voluminis V. earumdem Antiquitatum, pag. 8. ſqq. quæ ſane illuſtria ſunt, quæque, ſi otium fuerit (erit autem aliquando, uti plane ſpero) edentur in lucem.

(2) Vide ſupra pag. 168. ſqq.

(3) Ibid. p. 171.

(4) Ibid. p. 173.

gilantia (1) *poteſtate*; *judicio* [2] *ſuo unitatem tueatur*, *cum centrum ſit catholicæ conſociationis*? Ei cujus *ſi qui deſerant Cathedram*, *iidem eſſe in Eccleſia* deſinant [3]; in quo *vivat*, *& maneat*, *& loquatur Petrus aeterni ædificii fundamentum*, *ut dictum a Chriſto eſt*; qui *Summus ſit Pontifex*; qui *Paſtorum Princeps*; qui *Summus Sacerdos Summorum Sacerdotum*; qui *Apoſtolicæ Summitatis Antiſtes*, *ac vertex &c*? [4] Ei, inquam, qui ſit ejuſmodi, ut eſt revera; & cui [Gallorum, ad quos provocas: Gallorum autem? immo omnium totius orbis Antiſtitum orthodoxorum teſtificatione] id genus honoris, poteſtatis, juris (ſalva Majorum traditione, Auctoritate Scripturarum, Fide denique) adimi nullo modo poſſit? Ei, dico, *praeminentiam* quiſquam recuſet concedere, qua ſibi reliquos *ſubordinatos* habeat, & obſequentes?

Rurſum quo quiſquam ore *præeminere* ceteris Sedibus, Thronis, Eccleſiis eam Sedem, eum Thronum, eam Eccleſiam inficietur, cujus *maximæ* item *prærogativæ* ſint, *planeque Divinæ*; quæ *Symbolum*, *Centrumque ſit unitatis Catholicæ* [5]; cui *affixus ſit*

(1) Ibid. p. 173. & 175.
(2) Ibid. p. 175. ſq.
(3) Ibid. p. 176.
(4) Ibid. p. 310. ſq.
(5) Ibid. pag. 173, & 175. ſq.

ſit primatus ordinis, & poteſtatis [1]; quæ *deſeri* nequeat, quin ipſam *deſerentes* in Eccleſia eſſe *deſinant* [2]; quæ *Mater, Magiſtra, Caput ſit omnium Sanctarum Dei Eccleſiarum* (3); ad quam *propter ejus Præcipuam Principalitatem* omnem Eccleſiam *convenire neceſſe ſit* (4); quare eos, quibus cum hac *non conveniat, confundi ſine diſcuſſione, longeque a centro recedere* (5); quæ *ceterarum omnium Suprema, Princeps, Matrix, Arx, incorrupta Columna ſit*; quæ ſit *Primatus Eccleſiarum, Supremus Apoſtolicus Thronus, Apoſtolica Summitas Divinæ poteſtatis*; *quæque Apoſtolici Throni Magiſtrali auctoritate præſtet* (6)? Jam vero ſi ceteris Eccleſiis hoc illa modo (fatentibus orthodoxis quibuſque, Gallis in primis, quorum tamen præſidiis te niti arbitrare) *præeminet*; qui tandem eo jure (non violata Scriptura, Traditione, uno verbo, Fide) privabitur, quo jure ſit, ut ipſi eædem Eccleſiæ ceteræ *ſubordinatæ* & ſint revera, & habeantur? Id cum ita ſit, ecquem tu Orthodoxum confidis fore, qui credat, ejus hominis, qui contra [non ſecus ac Puſendorfius] ſtatuat, veram eſſe, catholicamque

(1) Pag. 175.
(2) Ibid. pag. 176.
(3) Pag. 177. & 309. ſqq.
(4) Ibid. pag. 178.
(5) Ibid. pag. 178.
(6) Ibid. pag. 309. ſqq.

que ſententiam? Equidem (ſi doctrinæ catholicæ, Scripturarum, Traditioniſque divinæ præſidiis munitae, habenda ratio eſt (habenda eſt autem maxima) ſic, nihil hæſitans, cenſeo: orthodoxorum, qui iſtud ſententiæ genus uti falſum, & acatholicum deteſtentur, omnes; qui autem uti verum, atque catholicum probent, fore neminem.

Sit ne Eccleſia Civitas, ſive Status, ut barbare Pufendorſius, quem modo ſequitur Febronius, ſcribit. Is Febronius neque res, neque verba definiens, ſic agit, ut ſecum pugnet. Quid Civitas ſit, oſtenditur veterum teſtimoniis; demöſtraturque Scripturarum, Patrumque auctoritate, Eccleſiam dici apte Civitatem poſſe.

XXI. Voluntate, ſeu ordinatione, ſeu decreto Dei (ut Scriptura, Traditioque poſtulant) *certam* quamdam *Eccleſiaſtici Regiminis* formam eſſe conſtitutam, demonſtratum eſt. Sequitur, ut explicem, ea ne propria meri *Collegii* ſit, an *Reipublicæ*, ſeu *Civitatis*.

Nam de *Statu* non eſt, cur eſſe ſollicitus debeam. Quid enim eam vocem morer, quæ & ab Latinis numquam iſta ſignificatione, quam ei barbare Pufendorſius attribuit, uſurpata ſit; & ita interdum abs te implicatur, ut quid ipſa tu moliare, aut quid quæras, non ſolum non intelligere quiſquam, ſed ne ſuſpiciari quidem poſſit? Quod ſi modo hoc, modo alio ſenſu eam tibi vocem adhibendam putas; cur non ante opportune, definiendo, ſeu deſcribendo, indicas, quid eadem tibi voce velis; vel quorſum evadat, tanta iſta, tamque improviſo interdum ſibi ſuccedens ſignificationum varietas? Verum ita te huc, atque illuc ver-

verſas , ut (modo ne præceptioni pareas Philoſophorum , qui quod in quæſtionem venit , definitione declarandum jubent) nil labores , oritura ne progreſſu diſputationis non minus de verbis ſit , quam de rebus contentio. Sed ad inſtitutum ut redeam, cognoſce, quæſo te, quam perplexe, quamque tecum confligens de *Statu* loquare. *Status*, inquis, ſeu *Civitas* [1]. Sit ita plane: per me licet. Atqui *Statum* deinde, *Regimenque Eccleſiæ* [2] concedis, cui rationem adimis *Civitatis*. Non ergo, te judice, idem erit *Status*, ac *Civitas*; vel ſi perſtas, idemque vis fore, quoniam tamen *Statum* etiam Eccleſiæ ponis, quam eſſe *Civitatem* negas; *Status* tibi Eccleſia, *non Status* erit, quod pugnans eſt. Rurſum *Regna Monarchica pauciſſima*, ſcribis, eſſe, quæ *Status* [3] habeant. Quid? Ulla ne eſſe *Monarchica Regna* cenſes, quæ careant *Civitatibus*?

Verumtamen *Status*, & *Civitas* reciprocentur quidem, ut voles: nam per me, quemadmodum dixi, nihil obſtat, quin liceat. Illud quæro: quid *Civitatis* indices nomine? Sed intelligo, quam fruſtra abs te quæram, qui involvi rem omnem, implicarique feras potius, quam ut delectari definitio-

(1) Vide loca Febronii pag.184. hujus Vol. & pag.139.
(2) Ibid. pag. 184.
(3) Ibid. pag. 189.

nitionibus videare. Itaque, ut mihi, cauſſæque conſulam, ad auctoritatem me conferam Veterum, qui latinarum, græcarumve litterarum periti in primis eſſent. Cicero in *Somnio Scipionis* (1): *Civitates, coetus eſſe hominum ſociatos*, ſcribit. Idem in Oratione pro Sextio (2), *conventicula*, memorat, *hominum, quæ poſtea civitates nominatæ ſunt*. Atque, ut ille ipſe eſt auctor apud Nonium (3): *Civitas omnis in hominibus in unam Societatem junctis æſtimatur*. Horum ſunt ſimilia, quæ Plato in Republica (4), & in Politica Ariſtoteles (5) ſtatuunt. Neque diſcrepant Stoici. Quamquam fuit in his illud ſingulare, ut cælum civitatem eſſe; in terris autem civitates non tam eſſe, quam dici, defenderent. Quare Clemens Alexandrinus in IV. Stromateon (6) Libro: *Dicunt*, inquit, *Stoici, cælum quidem proprie civitatem; quæ autem ſunt hic in terra, non eſſe civitates: dici enim, ſed non eſſe*. Is Ipſe (nam Patrum uti, quam Philoſophorum auctoritate malo) is, inquam, Clemens civitatem deinde definiens: *honeſtum ſyſtema* eſſe affirmat, *& multitudinem hominum, quæ lege*

(1) Cap. III.
(2) Cap. XIX. & XLII.
(3) De Differentiis verborum pag. 249. Edit. Pariſ. an. 1614.
(4) Lib. II. pag. 369. Edit. Pariſ. an. 1578.
(5) Lib. II. Cap. II. pag. 397. ſq. Edit. Colon. an. 1606. T. II.
(6) Pag. 543. Edit. Pariſ. an. 1641.

lege regitur. His conſentanea ſcribit ille, qui in *Iſaïam* Commentaria vulgavit, quæ circumferuntur Baſilii Magni nomine (1): Nam *Civitatem*, ait, *eſſe ſyſtema*, ſeu *coetum ex diverſis inſtitutis conſpirantium ad communem vitæ ſocietatem*. Quin etiam Baſilius ipſe in Pſalmum XLV. (2): definiri Civitatem a quibuſdam animadvertit, *Syſtema*, ſeu *coetum conſtabilitum*, *& legibus adminiſtratum*. Eodem, ut eſt jam oſtenſum, revolvitur, quæ tradita eſt a Puſendorſio, definitio (3). Age nunc, nega, Eccleſiam *Civitatem*, *& Statum* eſſe, ſi quidem eadem eſt Status notio, atque Civitatis. Quomodo autem id tu audeas, cum Plane Scripturarum, Patrumque vi confiteri cogare, multitudinem tantam Chriſtianorum eſſe, quæ ad Statum, ſeu Civitatem conſtituendam pluſquam ſatis ſit (4); eamque multitudinem in ſocietatem, corpus, coetumque viſibilem unum coaluiſſe (5), in quo alii præſint & regant, alii ſubdantur, & pareant (6), iiſdemque inſtitutis, ac legibus Evangelicis teneantur? Quæ enim eſt, niſi hæc Civitas γνησίως, proprieque eſt, ſi modo veteres non Ethnicos ſolum, ſed Chriſtianos etiam duces ſequare? Quid?

(1) Tom. I. Opp. Baſilii pag. 391. Edit. Pariſ. an. 1721.
(2) Tom. I. n. IV. pag. 173.
(3) Vide ſupra Epiſt. II. noſtram n. XII. XIII. p. 212. ſqq.
(4) Ibid. n. XVII. pag. 255. ſqq.
(5) Ibid. n. XVIII. pag. 265. ſqq.
(6) Ibid. n. XIX. pag. 285.

Quid? In ſacris Litteris, inque Monumentis Traditionum, annon & *Cives* Chriſtiani, & Eccleſia *Civitas* appellatur; ac *Civitas* quidem patens, ut involvi tenebris nullo modo poſſit? Eſt in Evangelio Matthæi cap. v. hoc modo: non poteſt *Civitas abſcondi ſupra montem poſita* (1). De Eccleſia intelligunt Patres, atque in his quidem Auguſtinus, qui locum *Pſalmi* XLVII. (2) *in Civitate Dei noſtri*, explicans: *De hoc*, inquit, *alibi dicitur*: quis aſcendet in montem Domini?. *Hæc eſt Civitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt*. Et Lib. II. Contra Creſconium (3): *Extat Eccleſia cunctis clara, atque conſpicua; quippe* CIVITAS, *quæ* ABSCONDI NON POTEST SUPER MONTEM CONSTITUTA, *per quam dominatur Chriſtus a mari uſque ad mare &c.* Prætermitto Patrum ceterorum teſtimonia, ne longior ſim, quam oporteat. Jam vero cum *Civitas* Eccleſia in Evangelio dicatur; inque Apocalypſi Johannis eadem *Sancta* vocetur *Hieruſalem Civitas* (4); quid mirum, ſi Chriſtiani a Paulo in II. Epiſtola ad Epheſios, *Sanctorum Cives* (5) appellentur? *Cives* enim eos dici conſtat, qui ſunt nexi vinculo ſocietatis, in qua

(1) V. 14.
(2) Num. II. p.311. Tom.IV. Opp. Edit. Antuerp. an.1700.
(3) Cap. XXXVI. n. 45. p.294. Tom. IX.
(4) Cap.XXI. v.2. Vide S.Aug. de Civ.Dei L.XIX. c.XVII.
(5) V. 19.

qua leges valeant, & in qua Magiſtratus cum auctoritate [1] verſentur, qui regant ceteros, dentque operam, ut ne quid Reſpublica detrimenti ferat, neve quid committatur, quod vergere in damnum etiam privatorum poſſit. Eſt vero perſpicuum eos, qui Chriſtianæ Religioni dant nomina, in ſocietatem venire, quæ fidei legumque Evangelicarum nexu colligata ſit, & in qua
„ ordo conſtituerit, ut alii oves ſint: alii
„ PRÆSINT, ALII SUBSINT, AC PAREANT:
„ alius veluti caput ſit, alius pes, alius
„ manus, alius oculi, alius aliud quoddam
„ Corporis membrum ad totius Eccleſiæ
„ concinnitatem & utilitatem. At quemad-
„ modum in corporibus nec membra inter
„ ſe divulſa ſunt; verum cuncta unum cor-
„ pus ſunt ex diverſis membris conflatum;
„ nec rurſum idem omnium munus eſt, ta-
„ metſi alioqui ad benevolentiæ, concor-
„ diæque neceſſitatem honoriſque parem in
„ diſparibus rationem, alia aliorum opera
„ ex aequo indigeant.. ad eumdem quo-
„ que

(1) Confer Cicer. Paradox. IV. pag. 504. ſq. Tom. iil. Opp. Edit. Genev. an. 1743. quo loco: „ Quæ eſt enim Civitas, inquit. Omniſne conventus etiam ferorum, & immanium? „ Omniſne etiam fugitivorum, ac latronum congregata unum „ in locum multitudo? Certe negabis. Non igitur erat illa „ tunc Civitas, cum leges in ea nihil valebant; cum judicia „ jacebant; cum ferro pulſis Magiſtratibus, Senatus nomen in „ Republica non erat. Prædonum ille concurſus; non Civitas „ erat. Itaque pulſus ego Civitate non ſum, quæ nulla erat.. „ Ergo ego ſemper CIVIS &c. „

„ que modum apud nos, hoc eſt in communi Chriſti Corpore res ſeſe habet. Omnes enim Corpus unum in Chriſto ſumus, ſinguli autem Chriſti, atque alii aliorum membra. *Pars enim principatur, & præſidet; pars autem ducitur, & paret*: & quamvis non eadem ſit partis utriuſque actio, niſi quis idem eſſe contendat præeſſe, quod parere; fiunt tamen utrique in unum Chriſtum, ab eodem ſpiritu conſtructi, atque compacti (1) „. Tertullianus autem (2); Hilarius Diaconus is, qui Damaſi Pontificis temporibus floruit, quique Commentaria edidit in Epiſtolas Pauli, quæ quidem Commentaria extant inter S. Ambroſii opera [3]; S. Johannes Chryſoſtomus [4]; S. Auguſtinus [5] &c. ideo *cives* nos eſſe *Sanctorum* a Paulo ipſo vocatos ſcribunt, quod donati

 ſimus

(1) Greg. Nazianz. Orat. XXVI. pag. 449. T. I. Edit. Colon. an. 1690.

(2) Lib. V. contr. Marc. C. XVII. p. 482. ſq. Edit. Ven. an. 1744.

(3) In Epiſt. ad Epheſ. Cap. II. pag. 280. Tom. IV. Opp. S. Ambroſ. Edit. Ven. an. 1751.

(4) In Epiſt. ad Epheſ. Cap. II. n. 1. pag. 39. Edit. Pariſ. an. 1734.

(5) S. Auguſt. In Pſalm. CXVIII. Serm. VIII. n. 1. pag. 970. Tom. IV. Edit. Opp. Antuerp. an. 1700. quo loco eos, qui extra Eccleſiam ſunt „ peregrinos ait eſſe, non huic terrae, ſed „ POPVLO Dei, a quo ſunt alienigenæ. Vnde credentibus, „ & SANCTAM CIVITATEM, quæ non eſt de hoc mundo „ (etſi eſt in hoc mundo) HABERE INCIPIENTIBVS APO„ STOLVS dicit &c. „ Atque ita quidem Pauli locum intelligi oportere, quae præcedunt, quæque conſequuntur, demonſtrant. Id Lector fatebitur, ſi diligenter græca in primis Pauli verba conſiderarit.

ſimus Chriſtiana, quæ *Sanctorum* eſt, *Civitate*. Quid plura? Patrum eſſe, ajo, omnino nullum, quin, cum Pſalmos, Prophetias (Iſaiæ præſertim) Evangelia interpretetur, *Civitatis* vocabulo in Scripturis haud perraro Eccleſiam indicari, animadvertat [1]. Cur autem iidem Patres *Civitatis* appellationem ſocietati Chriſtianæ recte attributam judicent, indicat Clemens Alexandrinus in extremo IV. Libro Stromateon: „ Res bo-
„ na, inquit, eſt CIVITAS, & populus, hone-
„ ſtus aliquis cœtus, & multitudo homi-
„ num, quæ regitur lege, *quemadmodum Ec-*
„ *cleſia Verbo*, (quæ eſt) CIVITAS, *in terra*
„ *quæ non poteſt obſideri, nec opprimi* [2] „.
Rem præterea *Sacram publicam*, *Civitatemve* Eccleſiam ipſam nominat Euſebius [3] Cæſa-

---

(1) Huc ſpectant, quæ animadvertit Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone n. LXIII. ſqq. pag. 168. & n. CXIX. pag. 224. Edit. Opp. Venetae an. 1747. Tertull. Lib. adv. Judaeos cap. IV. & VI. Multo agunt clarius Origenes Homil. V. in Hierem. n. XV. pag. 109. Tom. III. Opp. Edit. Venetæ an. 1743. Euſeb. Caeſar. in Pſalm. LXXXVI. pag. 539. ſqq. Tom. I. Collect. Veter. PP. Edit. Pariſ. an. 1706. & Demonſtr. Evang. Cap. IV. Lib. V. pag. 225. Edit. Colon. an. 1688. & Lib. VI. cap. XVII. pag. 283. & S. Hilar. Comment. in Matth. Evang. Cap. IV. n. 12. pag 624. Edit. Pariſ. an. 1693. & n. 24. pag. 628. S. Baſilius in Pſ. XLV. n. IV. pag. 173. Tom. I. Opp. Edit. Pariſ. an. 1721. utque ceteros mittam, ne ſim in re non neceſſaria longior, S. Auguſtinus ſexcentis in locis, præſertim autem Enarrat. in Pſalm. LXXI. n. 18. pag. 562. T. IV. Edit. Antuerp. an. 1700. quo loco hanc conſtituit regulam, cum in Scripturis Civitas ſine adjuncto nominatur in bono, intelligitur de Civitate Dei, ſeu Eccleſia.

(2) Pag. 543. Edit. Pariſ. an. 1641.

(3) In Pſalm. LXXXVI. pag. 538. ſq. „ Civitatem Dei, „ quæ in Pſalmo nominatur, eam eſſe putare, inquit, quæ in „ Pa-

Cæſarienſis, non in Commentariis modo, quos edidit in Pſalmos; ſed etiam in Evangelica Demonſtratione. Quod idem factum ab Athanaſio [1], Hilario [2], Baſilioque [3] fuiſſe video. Cyrillus autem Hieroſolymitanus, qui Civitatis cæleſtis Hieruſalem Eccleſiam in terris agentem imitationem, dicit, eſſe; indicet neceſſe eſt, in hanc item commode cadere *Civitatis* nomen (4). Ambroſius porro *Civitatem Dei Eccleſiam* teſtatur eſſe, in Expoſitione *Pſal-*

„ Palæſtina olim Judaeorum Metropolis erat, id non ſolum vi-
„ le, & abjectum, ſed etiam impium eſſet . . . Quod ſi quis
„ perpendat, SOLERE DIVINAS, & PROPHETICAS VO-
„ CES CIVITATEM DEI VOCARE pium POLITEUMA
„ (ſeu pium CIVILE INSTITUTUM) is ſane videbit, quo
„ pacto per totum orbem Deo dilectam illam, & piam PO-
„ LITIAM, & CIVITATEM Salvator . . fundaverit, & fir-
„ maverit . . Nam DEI CIVITATEM, videlicet POLITIAM
„ ſecundum Deum per totum orbem ſolus ille in ipſa Civita-
„ te genitus conſtituit, & firmavit per Eccleſiam ſuam catho-
„ licam, in omni Loco, Regione, & Civitate conſtitutam &c.„
Idem in Demonſtrat. Evangelicae Lib. I. Cap. VI. p. 21. & 24. POLITIAM, hoc eſt REMPUBLICAM, ſeu CIVITATEM vocat Eccleſiam. Quod ipſum facit Cap. IX. pag. 32. & Lib. V. Cap. IV. pag. 225.

(1) Is item Politeuma Eccleſiæ nominat, cui turrium loco ſint Angeli, & cuſtodiarum. In Pſ. XLVII. Tom. II. Collection. Veter. PP. pag. 93.

(2) In Matth. Commentar. Cap. IV. n. 24. pag. 628. „ Eccleſia, inquit, id eſt Corpus Chriſti, quæ magni Regis eſt „ Civitas „.

(3) In Pſ. XLV. n. 4. pag. 173. T. I. „ Fluvius, inquit, „ omnem ſimul CIVITATEM Dei laetificat, nempe, certum „ eorum, qui ſuum in caelis habent POLITEUMA „ & n. 5. „ Et quoniam Deus in medio Civitatis eſt, eam ſtabilitate „ donabit, primo lucis ortu opem ei afferens. Sive igitur il- „ li, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, ſive ECCLESIÆ, QVÆ „ INFRA EST, Civitatis nomen aptatum fuerit, ſanctificavit in ea tabernaculum ſuum Altiſsimus „. Confer ejuſdem Epiſtolam LXI. n. 1. pag. 252. Tom. III.

(4) Catech. XVIII. n. XXVI. p. 298.

mi CXVIII. (1). Quo etiam recidunt, quæ Johannes Chryſoſtomus in Pſalmum XLV. ſcribit (2). Sunt hujus, ceterorumque, qui poſt floruerunt, *Patrum* permulta eadem de re, eaque illuſtria in primis loca. Sed ne afferam, & feſtinatio (nam alio propero) & brevitas operis eſt impedimento. Ex his autem, quæ aut deſcripta hactenus, aut indicata ſunt, plane perſpicis, quam tu egeris parciter.

Obſtaret Febronio S. Auguſtinus, etiamſi is Eccleſiam non proprietate verbi, ſed cōparative Civitatem eſſe diceret. Quam aeſtuet Febronius, quamque ſe implicet?

XXI. Nam Auguſtinum tantummodo commemoraſti, quaſi is unus Eccleſiæ aptarit appellationem Civitatis. Grave id quidem, Febroni. Sed quam vereor, ne illud gravius, quod *nihil* ipſum tibi *obſtare* Auguſtinum, ſcribas, ajentem, *Eccleſiam eſſe Civitatem*: *Id enim*, inquis, *non in proprietate verbi*, *ſed comparative dictum*, *nemo ambigit* (3). At principio, ſi *comparative*, *obſtabit* certe *Auguſtinus* tibi, qui, ut mox videro, negas, *comparationem* ullam inter *Eccleſiam*, & *Civitatem* inſtitui recte poſſe. Rurſum, aut apte adhibita ea comparatio ab Auguſtino eſt, aut contra? Si apte, cur non is tibi Eccleſiae Doctor obſtet? Sin autem contra, quid erit reliqui, niſi, ut inepte ab illo

(1) Num. XXXV. pag. 595. Tom. II. Opp. Edit. Venetae an. 1748.
(2) Num. I. & 2. pag. 184. ſq. Tom. V. Opp. Edit. Pariſ. an. 1724.
(3) Vide locum Febronii pag. 189. hujus Vol.

illo, *abſurdeque* (1) actum (non ſecus atque in Colonienſes diſputans feceras (2)) vociferere; quod ſane injurium eſt? Quæ autem non *inepta* erit, atque *abſurda comparatio* rerum, quarum ſit nulla ſimilitudo, aut proportio? Quid vero *analogia*, niſi *proportio* eſt, *rerumve comparatio*, aliqua inter ſe ratione, *ſimilium* (3)? At *analogiam* Eccleſiæ *ad politica ſyſtemata Monarchiae, Ariſtocratiae, Democratiae* jubes eſſe omnino nullam (4), propterea quod hae *formae Civitati* competant; & *Eccleſia non ſit Civitas* (5). Non ergo *analogi* quidquam, ſive *ſimilis*, ſive ita comparati, ut præ ſe *proportionem* quamdam ferat, te judice, intercedit inter *Eccleſiam*, & *Civitatem*. Nam ſi quid eſſet ejuſmodi, cur non etiam *analogia* inter Eccleſiam intercederet, earumque *formarum* aliquam, quas pronuncias, in *Civitatem* unice *cadere*? An vim tu omnem vocabulo *analogiae* hactenus adnexam ita pervertes, ut id nunc demum indicare deſinat, quod ad hanc uſque aetatem indicavit?

Deinde, quæ iſta, rogo, quam jactas, *proprietas verbi* CIVITATIS eſt; aut undenam tan-

(1) Confer locum Febronii pag. hujus Vol. 184.
(2) Vide Febronii locum in Colonienſes. ibid.
(3) COMPARATIONEM, PROPORTIONEMVE latine, ANALOGIAM græce dici, auctor eſt Cicero n. XII. Libri de Vniverſitate. Confer etiam Quintilianum Lib. I. Cap. VI. & X.
(4) Confer Febronii locum pag. 188. hujus Vol.
(5) Conſule Febronii loca ibid. pag. 184. & pag. 186.

tandem dignoſci, dijudicarique poteſt? Nam ſi eam e tuo opere expiſcari velim, nihil agam. Non enim uſquam abs te definitum invenio, quæ *proprietas verbi* CIVITAS ſit, quæ non item. Contra, Auguſtinus clare definit, quæ *proprie* CIVITAS ſit. Eſt autem ex ejus definitione plane conſequens, Eccleſiam apte, commode, proprie appellari Civitatem poſſe. Quid? Tibi ne ego aſſentiar, qui nihil afferas, quod ad *proprietatem* illam detegendam ſpectet; rejiciam vero Auguſtinum & afferentem; & reipſa, quomodo illa Civitatis notio in Eccleſiam competat, demonſtrantem? Ac eſt quidem Civitatis ea, quam Auguſtinus adhibet, hujuſmodi definitio: *Nihil aliud eſt* Civitas, *quam hominum multitudo aliquo Societatis vinculo colligata* (1); in qua ſit *ordinata imperandi, obediendique concordia*. Quibus autem vinculis colligata Eccleſia ſit (2), quibuſque Præpoſitis pareat (3), animadvertit; oſtenditque multo hanc perfectiorem, atque abſolutiorem Civitatem eſſe, quam olim Civitas fuerit Romanorum (4). Cur autem commode conſpi-

cua

(1) Lib. XV. de Civ. Dei Cap. VIII. n. 2. pag. 284. Tom. VII. Edit. Antuerp. an. 1700. & Lib. XIX. Cap. XVI. pag. 424.

(2) Lib. I. Cap. XXXV. pag. 25.

(3) Lib. I. cap. IX. n. 3. pag. 8. & Lib. XIX. c. XIX. ſqq. pag. 426. ſqq.

(4) Lib. I. c. II. ſqq. p. 3. ſqq. & Lib. II. c. XIX. ſqq. p. 37. ſqq. & Lib. III. cap. IV. ſqq. pag. 49. ſqq. & Lib. IV. cap. III. ſqq. p. 70.

cua , hoc eſt viſibilis ſocietas illa dici nequeat Civitas, quæ , ut de Eccleſia ſcribit Auguſtinus , vinculo ſit nexa fidei , ſpei , caritatis, pacis (1), atque ſacramentorum; & in qua alii *ſubditi* ſint , alii præſint (2) ; unuſque omnium maxime Romanus Pontifex, loco Chriſti Regis ſeculorum , principatum aſpectabilem teneat (3) ; cum quo ſervanda omnibus pax, atque unio ſit, niſi velint ab ea petra diſſindi, quam non vincent *ſuperbæ inferorum portæ* (4)? Profecto, niſi hæc *Civitas* vera ſit; haud ſcio , ulla ne uſquam extet ſocietas hominum, ad quam Civitatis nomen accommodari non inepte poſſit. At *de Civitate* , ſeu *Republica*, ſeu *Statu civili* , *&* *politico* loquor , inquies , Audio. Verum nihil eſt tale in ea ſententia Puſendorfii, quam tu appellas Catholicam . Jam id tu *de politico*, *&* *civili Statu* commentus poſtea es, quam in te concitari orthodoxos intellexiſſes. Quo autem conſilio ſis commentus, tute tibi es con-

 ſcius;

p.70. ſqq. & cap.XXXIII. ſqq. pag. 88. ſqq. & Lib.V. cap.I. ſqq. pag.89. ſqq. & Lib.XI. cap.I. pag. 207. & Lib.XV. cap.IV. ſqq. pag.289.ſqq. & Lib.XVII. cap.xv.ſqq. pag.361.ſqq. & Lib.XVIII. cap.XXVIII.ſqq. p.385.ſqq. & cap.xxxiv.ſqq. p.391.ſqq. & Lib. XIX. cap.v.ſqq. pag.415. & cap.xvi. p.423. ſqq. & cap.xix. pag. 426. ſqq.

(1) Lib.XIX. de Civ.Dei cap.xvii. p.424. aliiſque in locis, quæ indicare non vacat.

(2) Lib.I. de Civ. Dei cap. ix. n. iii. pag. 8. & Lib. XIX. cap.xix. p.426.

(3) Epiſt.XLIII. n.vii. pag.69. Tom.II. Epiſt.CLXXV.n.2. pag.470. Sed de his alias.

(4) In Pſalmo contra Donatiſtas pag.5. Tom.IX.

ſcius; etſi quodcumque id fuerit, exitu ipſo perſpicio, quam ſit inane. Quid enim tu iſtinc capias commodi? Nam ſi illud *civile*, ſeu *politicum* vocas, quod *Civitatis*, ac *Politiæ*, ſeu *Reipublicæ* eſt (cum Scriptura Eccleſiam *Civitatem* ſæpe; Patres & *Civitatem* plerumque, & *Politiam* interdum, ut vidimus, nominent) quid, quæſo, impediet, quin hac ſignificatione *Statum* item Eccleſiæ *politicum*, & *civilem* dicere liceat? Jam ſi licet; nil iſtud tibi quidquid eſt, reſponſionis tuæ de *Civili*, ſeu *Politico Statu* proderit. Quid? Si etiam nugatorium videri poſſit, tuæque adeo officiat cauſſæ? Nam ſi de *Statu*, ſeu *Civitate Civili*, & *Politia Politica* loquere; aut erit tibi *Civitas non Civilis*, & *non Politica Politia* Eccleſia; aut non erit prorſus Eccleſia *Politia*, & *Civitas*. Hoc poſtremum, ut eſt demonſtratum, repugnat Scripturæ, & Patribus. Nec minus repugnat primum. Eodem enim revolvitur. Nam cum (eo, quem dixi, ſenſu) id ſit *civile*, quod *Civitatis* eſt; id *politicum*, quod *Politiæ*; cumque, te auctore *Status*, & *Civitas* idem ſonent; profecto, ſi *politicum*, ſeu *civilem Statum* Eccleſiæ detraxeris, ei ſimul detrahas neceſſe eſt rationem quamlibet *Politiæ*, ſeu *Civitatis*. Quod ſi nihilominus Civitatem eſſe Eccleſiam fateare, non *politicum*, ſeu *civilem*

Sta-

Statum; *Civitas* rurſum tibi, non *Civitas*; Reſque *Publica*, ſeu *Politia*, & non *Reſpublica*, ſeu *Politia* erit Eccleſia, quod eſt fallax, repugnans, & nugatorium.

Sin autem *Status*, ſeu *Civitates*, ut ajunt, SECULI, ideo *civiles*, ſeu *politicas* appellas, ut eas diſtinguas a *Civitate*, ſeu *Statu ſacro*; quam tum finges, Febroni, cauſſam, quamobrem *Civitates ſeculi* extare dicas poſſe, *ſacram* non poſſe: aut ſi, ut ſeculares permultæ, ita una etiam *ſacra* extet; illae te judice, geri *Monarchica*, quae *Ariſtocratia* temperata ſit, regiminis forma queant; hæc nequeat? Nihil dicis aliud, quam Eccleſiam non eſſe *Civitatem*, ſeu *civilem Statum*. Atqui hoc illud eſt Febroni, quod cum nulla nobis ratione probare tentaveris; tum, quod caput eſt, a Scripturis, ac Traditione diſſidet. Probaſſe id tibi Pufendorſium reſpondebis. Nam ad hunc provocas. Quid? Coges ne me, ut rurſum ejus doctrinam, argumentationeſque expendam, quas plenas jam eſſe demonſtravi dogmatum hæreticorum?

At oppones, *formas* te ſolum illas *Regiminis Ariſtotelicas*, non aliud quidquam ademiſſe Eccleſiæ. Qui tandem? Niſi enim ſimul rationem ipſi negaſſes *Civitatis & Status*, non eo ſcilicet confugiſſes, ut *formas* eaſdem regiminum idcirco in eam cadere in-

inficiarere, quod *Status* ipſa non ſit, ſeu *Civitas*. Negaſti igitur ei rationem *Status*, & *Civitatis*, atque ita ſane, ut ne *analogiam* quidem, ſeu *proportionem*, ſeu *ſimilitudinem* ullam inter Eccleſiam, & *Civitatem* agnoſceres. Nam ſi agnoſſes aliquam; aut dari reipſa, aut dari poſſe confeſſus eſſes *analogiam*, hoc eſt *proportionem*, ſeu *ſimilitudinem* inter Eccleſiæ Regimen, easque *formas*, quas, tuo judicio, ſecum fert ratio *Status*, ſeu *Civitatis*. Cumque *ineptiæ*, atque *abſurdi* eos fidenter arguas, qui quærant, ullo ne modo iſtiuſmodi formæ Eccleſiæ competant, propterea *quod Eccleſia non ſit Civitas*; atque ob hanc etiam cauſſam, tam male formas eaſdem accommodari ad Eccleſiam ſtatuas, quam *pugnum ad oculum*; illud etiam ſtatuiſſe videbere, non minus abſurde, immo abſurdius accommodari ad Eccleſiam rationem, atque adeo appellationem *Civitatis* poſſe; Scripturaſque proinde, ac Patres qui accommodarint, accuſari *ineptiarum*, atque *abſurdi* etiam oportere.

Febronius Majoritatem Hierarchiæ attribuens, non Majeſtatem; Jureque Canonico ſe niti dicens, labitur, atque a Majorum doctrina recedit.

XXII. Sed cur, inquies, inſectere hominem, qui etſi *Monarchiam*, *formaſque Ariſtotelicas Regiminum* ceteras aptari Eccleſiae, niſi abſurde, non poſſe arbitretur; ei tamen concedat *Hierarchiam ex Epiſcopis*, *Presbyteris*, ac *Miniſtris* conſtantem,

cui

cui *Majoritas* (1), ut eſt in Jure Canonico, competat, non *Majeſtas*. Quam vere eas tu *formas* appelles *Ariſtotelicas*; quamque de ipſis recte ſentias, poſt oſtendam. Nunc de *Majoritate*, de qua tuum eſſe cerno erratum multiplex. Primum quid eſt, quod ſubito tam manſuetus; tamque ei Juri Canonico, in quo de *Majoritate* agitur (2), clemens, faciliſque ſis, ut ejus unius auctoritate, nihil ineſſe *Hierarchiæ* conſtituas *Majeſtatis*; cum alias tam eſſe conſueris ferus, ut illud rejiciendum, exterminandum, delendum prorſus eſſe vociferere? Provide, obſecro te, ne qui forte exiſtant, qui ut in aliis pleriſque rebus, ita in hac ipſa æquabilitatem tuam, conſtantiamque deſiderent. Deinde *Majoritatem* ne ita componi cum *Majeſtate* nequire putas, ut ea poſita, hanc tolli neceſſe ſit? Hoc ſi putas, *Majoritate* tu quidem ſpoliaris Reges: ſin autem *majores* hos eſſe gradu, dignitate, poteſtate ceteris fateare, quid erit reliqui, niſi ut exci-

---

(1) Sic enim habet Febronius Tom. III. p.30. ſqq. „ Vnaquaeque ſecularis poteſtas ſibi ipsi ſingit ſuam regiminis for„ mam, ut hæc ſit alibi pure Monarchica, alibi pure Ariſto„ cratica, alibi Democratica, alibi per mixturas temperata: „ Eccleſiaſtica autem eſt, & manere debet hierarchia, non „ competens uni ſoli, ſed, ut ait Tridentinum, conſtans ex „ Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris; quapropter etiam in „ JVRE CANONICO, non dicitur MAJESTAS, ſed MAJO„ RITAS, in cujus ſupremo Cardine omnes ſtant Epiſcopi, „ non unus dumtaxat eorum „.

(2) Decret. Gregor. IX. Lib. I. Tit. XXXIII. In VI. Tit. XVII. Extr. J. XXII. Tit. II.

excidere ipſos, jubeas, *Majeſtate*? Delige utrum velis; alterutrum enim tibi eſt concedendum. Neutrum te velle, inquies; nam eſt utrumque plenum injuriæ. Atqui ſi neutrum, ecquod tu petes e Canonico Jure præſidium; aut cur non admitti *Majeſtatem* pugnas, ab eo, a quo ſolum explicate fiat mentio *Majoritatis*? Poſtremo (nolo enim longius facere) cur ad id Jus confugis, quod & negligis ſæpe, ac deteſtare, & hac in re videas ſuffragio tibi eſſe non poſſe; deſeris autem Patres &c. quos te auctores, ac duces perpetuo ſequuturum gloriabare? Sanctus Bernardus, in Epiſtola CCLXI. (1) quæ eſt ad Pontificem Eugenium: *Litteras*, inquit, *a veſtra* MAJESTATE *attulerunt*. Concilium Viennenſe an. 1112. in Epiſtola Synodica ad Paſchalem II. habet hoc modo [2]: *Privilegium, quod a veſtra* MAJESTATE *violenter extorſit*. Paullo vero poſt: *Et nunc Domine Pater veſtram, ſicut dignum eſt*, MAJESTATEM SUPPLICITER EXORAMUS. Eſt in Actis Synodi Tricaſſinæ an. 867. Epiſtola Caroli Calvi Regis ad Nicolaum I. Pontificem Maximum, quæ hæc continet: *Neceſſarium duximus, nos humillime, & devotiſſime ante conſpectum* MAIESTATIS *veſtræ noſtris*

(1) Pag. 113. T. I. Edit. Venet. an. 1765.
(2) Tom. VI. Concil. Part. II. pag. 1914. Edit. Pariſ. an. 1714.

ſtris apicibus excuſabiles reddere (1). Horum extant ſimilia ſane plura. Sed hæc leviora, fortaſſe dices, quod poſteriora ſint Iſidori tot falſarum *Decretalium* Epiſtolarum conſarcinatoris temporibus. Quid? Eſt in his falſis *Decretalibus* quidquam de *Majeſtate* Pontificis, & Hierarchiæ? Si autem nihil eſt, non igitur Carolus, non Patres, non Synodi illectæ in fraudem fuerunt Iſidori ſcelere? Quamquam tu ad auctoritatem plerumque te confers eorum, qui poſt Iſidorum ſcripſere, Bernardi in primis. Age vero Bernardum ne, ceteroſque (ſi tradant quæ tibi etſi fruſtra, at adjumento tamen exiſtimas futura) probandos edices; contemnendos autem contra, ſi quid affirment, quod adverſari tuæ ſententiæ videas? Verum quid hoc eſt, niſi (contra atque jus æquum poſtulet) ab Lectoribus tuis exigere, ut rem omnem, non auctoritate Majorum, ſed uno tuo arbitro metiantur? At enim Patres Iſidoro antiquiores vis, ut conſulam. Pareo. Hoc tamen primum quæram, quam tu *Majeſtatem* voces? Equidem apud veteres, qui plane norant latine loqui, *Majeſtatem Conſulis* (2) dici audio, *Maje-*

(1) Tom. V. Concilior. Edit. ejuſd. pag. 689.
(2) Cicero in Piſonem Cap. XI. pag. 189. ſq. Tom. VI. Opp.
„ Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna
„ Majeſtas Conſulis.

jeſtatem Pratoris (1), *Rectoris* (2), *Legum* (3), *Loci* (4), *Imperii* (5), &c. Non arbitror, te id tibi, ut eos emendes, arrogaturum. Iiſdem *majeſtas* nihil eſt aliud, quam *decus*, *magnitudo*, *amplitudo* (6), *poteſtas*, *dignitas*, *imperium* vel *Populi*, vel *Judicum*, vel *Senatus*, vel *Magiſtratus*, vel *Principis*, vel *Imperatoris*. Græcis eadem illa, eſt μέγεθος, *magnitudo*, ſeu *amplitudo*; ἐξουσία *poteſtas*; ἀξία, *dignitas*; ἀρχὴ, *principatus* αὐθεντία, δυναστεία, ἡγεμονία *auctoritas*, *potentia*, *imperium*. Hæc cum ita ſint, tune id decoris, juris, principatus, auctoritatis, *amplitudinis*, *dignitatis*, *magnitudinis*, *imperii* SPIRITALIS Eccleſiæ detrahas; quo ſane, multo temporariis Principatibus præſtantiore, ipſam excellere, uno omnes ore, affirmant Patres? Leo II. Pontifex in Epiſt. an. 681. ad Conſtantinum Pogonatum ſcripta, *auctoritatem B. Petri* nominat (7). In Actis Lateranenſis Concilii ſub

(1) Paulus Lege IX. Si familia Lib. II. Digeſtor. Tit. I. de Juriſdict. omnium judicum.

(2) Sil. Italicus Lib. XV. v. 417.

(3) Livius Lib. XXII. Cap. III. pag. 73. Edit. Lipſ. an. 1733. Tom. II.

(4) Liv. Lib. I. Cap. LIII. pag. 74. Tom. I.

(5) Horat. Carmin. Lib. IV. Ode XV. v. 15.

(6) Auctor Operis ad Herennium Lib. IV. Cap. XXV. pag. 240. Tom. IX. Operum Ciceronis. „ MAJESTAS Reipublicæ „ eſt, in qua continetur dignitas, & amplitudo Civitatis „. Confer Ciceronem Lib. II. de Oratore Cap. XXXIX. pag. 247. Tom. I. Opp. & Lib. II. de Invention. Cap. XVII. p. 79. & Partit. Orator. Cap. XXX. pag. 620. Tom. eod.

(7) Tom. III. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. pag. 1474.

ſub Martino I. Stephanus Antiſtes Dorenſium (1) memorat, *poteſtativam auctoritatem* Apoſtolicæ Sedis, & *poteſtatem, & Sacerdotalem auctoritatem*. Epiſcopi Orientales in Litteris ad Agapetum Pontificem *dominatum* dicunt, ut eſt in Actis Synodi Conſtantinop. ſub Mena Patriarcha an. 536. (2). Quo ſpectant, quæ Monachi Orthodoxi Orientales ad Agapetum ipſum ſcripſere; quemadmodum ex Actis ejuſdem Conſtantinopolitanæ Synodi intelligitur (3). Qui ſane Epiſcopi, & Monachi præterea uti, rem certam, atque apud orthodoxos omnes teſtatam ſumunt: *Divinitus eſſe Pontifici* POTESTATEM *datam* coercendorum Novatorum, liberandæque a lupis Eccleſiæ [4]; orantque proinde Agapetum, uti *tollat cito malos*, CONSERVETQUE CONFIRMANS CATHOLICUM, PULCHREQUE ORNATUM ECCLESIASTICUM STATUM (5). *Malos* autem, præſertim cupidos rerum novarum, illos ejus ætatis homines vocant, qui non minus infeſti Pontifici, quam Imperatori erant; rogantque ſupplices Pontificem ipſum, ut ne *iniquam doctrinam* eorum ſerpere; neve cogi Conventicula patiatur: nam periculum fore, ſi li-

(1) Tom. eod. pag. 712. 713.
(2) Tom. II. Concil. Edit. ejuſd. pag. 1218.
(3) Ibid. pag. 1204.
(4) Ibid. pag. 1210.
(5) Ibid. & pag. 1222.

ſi libertas ipſis docendi, conventuſque habendi erepta omnino non ſit, perniciem multis inferant, iiſque perſuadeant, ſi minus certa eſſe, quæ ipſi doceant, veri tamen eſſe ſimiliora, quam catholicum dogma noſtrum (1). Jam Theodoſius Echinenſis in Theſſalia Epiſcopus an. 531. in Synodo Romana teſtatus publice eſt: *conſtare, Sedem Apoſtolicam, in toto mundo, Eccleſiarum ſibi vindicare* PRINCIPATUM, & SOLAM ECCLESIASTICIS CAUSSIS UNDIQUE APPELLARE NECESSE ESSE [2]. Quod idem alii item Epiſcopi ſcripſerunt, in iiſque fuerunt Stephanus, Elpidius, & Timotheus, in Litteris ad Bonifacium II., quæ in Actis extant ejuſdem Romanæ Synodi (3). Ac Stephanus is, qui Lariſſenſem gerebat Epiſcopatum, *Dominium* Eccleſiaſticorum *Judiciorum* Sanctæ Sedis Antiſtiti *divinitus* eſſe conceſſum prædicat (4). Age vero, cum Poſſeſſor Africanus

(1) Ibid. Pag. 1203. ſq. ,, Licenter, inquiunt, omnia (Novatores) audent, non contra ECCLESIAS SOLAS ,, non con- ,, tra alumnos Eccleſiæ, SED ETIAM CONTRA PIISSIMUM ,, IMPERATOREM NOSTRUM, ET VESTRUM HONORA- ,, BILE CAPUT . . . Si qui hæc ſapiunt, & faciunt, simul no- ,, biſcum degere permittuntur, considerate Beatiſsimi . . quod ,, ipſos permittere talia audere, nihil aliud eſt, quam ve- ,, riores putare (doctrinas eorum) quam dogma noſtrum; & ,, iniquiores (illos) ac violentiores efficere contra nos. Si ,, enim illi . . docere sicut ſentiunt, & prædicare cum fidu- ,, cia dogma ſuum permittuntur, manifeſtum eſt, quod re- ,, prehenſa eſt Ecclesiae ratio &c. ,, Haec accurate expendi velim.

(2) Tom. eod. Concilior. Edit. ejuſd. pag. 1118.

(3) Ibid. pag. 1117. ſq.

(4) In Epiſt. ad Bonif. ibid. pag. 1114.

nus Epiſcopus ſeculo eodem VI. ad Hormiſdam ſcribens (1), huic eſſe fatetur *ſubjectas* chriſtianas plebes; annon dignitate ipſum, auctoritate, poteſtate in eas valere demonſtrat? De Avito autem Viennenſi quid dicam? Is, nomine Antiſtitum Gallicanorum, Senatores Urbis Fauſtum, & Symmachum, (datis ad eos litteris) monet, ut *ne minorem Eccleſiæ Statum* eſſe putent, *quam Reipublicæ*: Sciant, Pontificem Romanum PRINCIPATUM tenere GENERALIS ECCLESIÆ, judicarique proinde eum ab Epiſcopis in Synodo, quod his certe ſit *eminentior*, non poſſe: Nam *ſi Papa Urbis vocetur in dubium, Epiſcopatum jam videri, non Epiſcopum vacillare* (2). Cæſarius quoque Arelatenſis Præſul, *Apoſtolicæ Sedis* AUCTORITATEM agnoſcens, Symmachum Pontificem extremo fere ſeculo V. rogavit, ut quid obſervato opus eſſet, ſtatueret; prohiberetque, ne *eccleſiaſtica prædia alienarentur* (3). An hæc illum, dices, mutuatum fuiſſe ab Iſidoro, qui ne natus puidem tunc adhuc eſſet? Mitto quæ V. ipſo ſeculo de Pontificis Maximi præcellenti in Eccleſia *Poteſtate*, *Dignitate*, *Auctoritate* (4) ſcribit Gelaſius

Y Pon-

(1) Ibid. p. 1037.
(2) Ibid. pag. 983.
(3) Ibid. pag. 956.
(4) In Tomo de Anathematis vinculo ibid. pag. 934. & Epiſt. IX. ad Epiſcopos Orient. Ibid. pag. 925. ſqq. Et Epiſt. VIII. pag.

Pontifex; quod & brevitas ſic poſtulet operis, & ea transferenda mihi alio eſſe intelligam. Ante Gelaſium Felix III. (1) Petrum Apoſtolum *glorioſum ducem* Eccleſiæ, & *Principem Apoſtolorum* (2) appellarat, ne iis quidem negantibus, qui animo ab Sede Apoſtolica erant abalienato. Seculo eodem V. Succeſſoris B. Petri Romani Pontificis *Principatum eminere, metuendumque ab omnibus, atque amandum* eſſe, exque ejus *auctoritate intelligi oportere*, quid facto in gravibus præſertim Eccleſiæ rebus ſit opus, Aſcanius Tarraconenſium Antiſtes in iis litteris, quas ad Hilarum Papam dedit, profeſſus eſt (3). Sed omnia ſi perſequi fuſius vellem, numquam facerem ſcribendi finem. Igitur, quæ ſuperſunt, complectar, uti potero, brevibus. Ab Catholicis iis, qui primas in *ſeculi* Republica partes obtinerent, *Dignitas* Romani Pontificis (4), cui datus ſit *ſuper omnes Sacerdotii Principatus* (5); & Sanctitas *Principatum in Epiſcopatu Divinæ Fidei poſſidens* celebrata fuit (6). Patres autem *Epi-*

pag. 919. & Epiſt. VII. ad Epiſcopos p. 893. & Commonitor. ad Fauſtum Magiſtrum. ibid. pag. 885. ſqq.

(1) Epiſt. IV. in Petrum Gnaphæum; ibid. pag. 816. ſq.

(2) Epiſt. ad Zenon. Imperator. Ibid. pag. 827.

(3) Ibid. pag. 787. ſq.

(4) Galla Placidia Auguſta, ut eſt in Actis Concilii Chalcedonenſis P.I. C.XXI. pag. 35. Tom. II. Concilior. Edit.Pariſ. an. 1714.

(5) Valentinianus III. Auguſt. Epiſt. ad Theodoſium. ibid. Cap. XX. pag. 35.

(6) Valentinianus, & Marcianus Augg. ibid. Cap. XXVII. pag. 42.

Epiſcopum ipſum eſſe *Epiſcoporum* (1), Verticem (2), Caput (3), cujus *Imperio* ſubſint quique Catholici (4), cujuſque Cathedra præſideat ceteris (5), *potioremque* obtineat *principalitatem* (6), *Matrixque* ſit, atque *Eccleſia Principalis* (7), in qua *Apoſtolicæ Cathedræ ſemper viguerit* PRINCIPATUS (8) &c. & cui inſit *præ omnibus primatus, & præcipuus honor*, quæque ſit *præſes omnium* (9).

Capitis porro quam erit excellens, ſi Antiſtitum reliquorum tanta, tamque conſpicua (10) dignitas, poteſtas, auctoritas, amplitudo eſt, ut (ſublimioris ſpiritalis muneris cauſſa [11]) Principatibus hujus ſe-

(1) Vide hujus Vol. pag. 292.
(2) Vide pag. 311. hujus Vol.
(3) Ibid. p. 307. ſq.
(4) Concilium Narbonenſe an. 1551. juxta atque a Patribus acceperat: Can. I. qui eſt de Fide Cathol. p. 439. T. X. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. Eccleſiam definiens: „ Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, inquit, cujus Caput „ Chriſtus eſt; ſub IMPERIO, & AUCTORITATE Sanctiſsimi Domini noſtri Papæ, firmo, conſtantique animo „ credimus, manſuetoque, ac demiſſo profitemur; cui omnes „ parere debent &c.
(5) S. Ignatius Martyr in Inſcriptione Epiſt. ad Rom. Confer etiam, quæ attuli p. 309. ſqq. Sed hac de re alias.
(6) S. Irenaeus Lib. III. contra Haereſes Cap. III. num. II. p. 175. T. I. Opp. Edit. Venetae.
(7) S. Cyprian. Epiſt. LIX. ad Cornelium pag. 135. Edit. Oxon. an. 1682.
(8) S. Auguſtin. Epiſt. XLIII. n. VII. pag. 69. T. II. Opp. Edit. Antuerp. an. 1700.
(9) Confer Acta Synodi Chalcedonenſis Act. XVI. pag. 642. Tom. II. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. Vide etiam Theodoritum Epiſt. CXVI. ad Renatum Presbyterum Romanum p. 989. T. III. Opp. Edit. Pariſ. Sirmondi; & Gregorium Nazianzenum Carm. de vita ſua pag. 9. Tom. II. Oper. Edit. Colon. an. 1690. Verum hac de re alio loco accurate, & copioſius.
(10) Vide, quæ ſcripſi pag. 296. ſqq. hujus Vol.
(11) Confer locum Gregorii Nazianzeni deſcriptum p. 302.

culi, ſumma omnium Patrum conſenſione, longe et habeatur, & ſit revera præſtantior? Atque Hierarchiam deſcribentes Majores noſtri varios ejus *ἀρχὰς principatus* commemorant, in iiſque primum ponunt *Epiſcopatum*, cujus (1) *Principatum maximum & dignitatem*, *poteſtatem* (2), *δύναμιν potentiam* excellentiorem ea, quæ propria eſt *Principum Secularium* (3), *τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς amplitudinem* (4), *principatus*; *νομοθέτησιν poteſtatem ferendarum legum* (5) *non ſolum terrarum orbem pervadentium, ſed aſcendentium etiam ad cælos*; *imitationem* præterea *gloriæ Angelicæ* (6), *dignitatem ampliſſimam* (7), *vigorem poteſtatis, & cathedræ auctoritatis* (8), *qua ſontes coerceantur* (9), *δυναστείαν imperium* (10), *ἡγεμονείαν præfecturam* (11), *dignitatem denique*,

Conſule præterea SS. Johannem Chryſoſtomum Homil. III. ad Populum Antiochenum n. II. pag. 38. T. II. Opp. Edit. Pariſ. Montfaucon. & Iſidorum Peluſiotem Lib. III. Epiſt. CXLIX. pag. 356. Edit. Pariſ. an. 1638. S. Ambroſium Lib. de Exhort. Virginitatis Cap. XII. pag. 372. T. III. Edit. Venetæ an. 1751. quo loco: „ Habemus, inquit, nos Sacerdotes noſtram nobilitatem „ Præfecturis, & Conſulatibus præferendam &c.„ Sed omnes commemorare longum eſſet.

(1) S. Joh. Chryſoſt. Homil. de Utilit. Lect. S. Script. in Princip. Actor. n. III. pag. 75. ſqq. T. III. Opp.

(2) Ibid. n. IV. pag. 77.

(3) Ibid. pag. 77.

(4) Ibid. p. 78.

(5) Ibid.

(6) Vide ſup. pag. 291. hujus Vol. Clementis Alex. locum.

(7) Auct. vetus Serm. I. de Symb. inter Opp. S. Auguſtini Cap. XIII. pag. 417. Tom. VI. Edit. Antuerp. an. 1700.

(8) Vide S. Cypr. loca pag. 294. ſqq. hujus Vol.

(9) Ibid. p. 295.

(10) S. Greg. Nazianz. Orat. XVII. pag. 271. Edit. Opp. Colon. an. 1690.

(11) Vide S. Joh. Chryſoſt. explicantem Cap. XIII. Epiſt. Pau-

que, quæ ſublimior Regno ſit prædicant (1). Sed ſi omnia Patrum teſtimonia hac de re perſequi vellem, numquam facerem ſcribendi modum. Hæc afferam dumtaxat duo, unum Auguſtini ex Libro de *Utilitate credendi Cap. XIII.* ubi *Catholicæ diſciplinæ Majeſtatem* nominat (2). Nam *recte*, inquit, *catholicæ diſciplinæ* MAIESTATE *inſtitutum eſt*. *Majeſtas* ne inerit diſciplinæ; non autem iis, qui *diſciplinæ* ſint conſtituti cuſtodes, adſertores, ac vindices? Alterum eſt Cypriani de auctoritate Epiſcoporum, qui ab Eccleſia Novatianos abſciderant, differentis Is vero: *Neque*, inquit, *ad* ECCLESIÆ MAIESTATEM *pariter, ac dignitatem pertinere debet, quid apud ſe hæreticorum, & ſchiſmaticorum moliatur audacia* (3). Et: *Quam vanum eſt, Frater cariſſime, ut Novatiano nuper retuſo, & reſutato, & per totum orbem a Sacerdotibus Dei abſtento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, &* MAJESTATEM, AC DIGNITATEM ECCLESIÆ JUDICARE (4)? Quid? Qui Eccleſiæ *Majeſtatem* prædicat, iſne *Majeſtatem* neget Hierarchicae dignitati, quam noverit eſſe divinitus conſtitutam ad regendam,

 admi-

Pauli ad Hebræos Homil. XXXIV. pag. 311. T. XII. Opp. Edit. Pariſ. an. 1735.

(1) Chryſoſt. Lib. I. de Sacerdotio n. 1. ſqq. pag. 381. ſqq. Tom. I. Opp. Edit. ejuſd.

(2) Num. XXIX. p. 47. Tom. VIII. Edit. Antuerp. an. 1700.

(3) Epiſt. LIX. ad Cornelium pag. 132.

(4) Epiſt. LXVIII. ad Stephanum pag. 177.

adminiſtrandam , gubernandamque Eccleſiam? Nempe hoc etiam reſtat, ut qui *Majeſtatem* (1) ne Chriſtianæ quidem plebi adimit ; is adimat *Hierarchis*, quorum fidei, curæ, diligentiæ, vigilantiæ credita a Chriſto eſt ratio omnis regendæ Chriſtianæ plebis. *An ideo*, inquit, *deponenda eſt Catholicæ Eccleſiæ dignitas, & plebis intus poſitæ fidelis, atque incorrupta Majeſtas, & Sacerdotalis quoque auctoritas, & poteſtas &c?* Satis multa de *Majeſtate*, de qua non eſt, cur Gallos a nobis diſſentire putes. Etenim Clerus Gallicanus ad Innocentium X. de Conſtitutione *in Janſenii propoſitiones* edita ſcribens (2), *Apoſtolici*, hoc eſt Pontificii *Decreti* MAJESTATEM minui, queritur, improbitate, & artibus refractariorum. Decreti ne *Majeſtatem* concedes, detracta Sedi Apoſtolicæ, decernentique Pontifici *Majeſtate*? Rurſum Clerus idem in iis Comitiis, quæ an. 1682. habuit, conqueſtus de iis graviter eſt, qui *Eccleſiæ Gallicanæ Libertatum obtentu, primatum Beati Petri, ejuſque Succeſſorum Romanorum Pontificum a Chriſto inſtitutum ; iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam ; Sediſque Apoſtolicæ, in qua fides prædicatur, & unitas ſervatur Eccle-*

(1) Epiſt. LIX. ad Cornel. pag. 138.
(2) Vide Tomum I. Actor. Cleri Gallic. Tit. I. de Fide catholica pag. 248. Edit. Pariſ. an. 1716.

cleſiæ, MAJESTATEM *imminuere non verentur* (1). Neque enim id decoris Clerus Gallicanus ei adimi patietur, quem *viſibile Caput* Eccleſiæ credit; neve ipſi Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, quam *Regale Regimen* profitetur eſſe, *& Sacram* MONARCHIAM, *habereque*, ait, *ſuum* STATUM, *ſuas leges*, *ſuam politiam*, *ut ceteri ſupremi Potentatus habent*, *integramque juriſdictionem ſuam*, *quam nonniſi ex ſe ipſa repetit*, *& e poteſtate*, *quam cælitus obtinet*, *quæque ipſi impediri non poteſt*, *quin laedatur jus Gentium*, *reſiſtaturque Divino juri* (2). Hæc vero lubens prætermiſiſſem, niſi ſic abs te agi de Hierarchia viderem, ut modo eam funditus ſuſtuliſſe; modo ejus quidquid eſt poteſtatis, dignitatis, amplitudinis miſere extenuaſſe videare.

Labitur Febronius Ariſtoteli, ut auctori, attribuens doctrinam, quam ab aliis multo ante Ariſtotelem fuiſſe propoſitam, & adſertam liquet.

XXIII. Reſtat locus de *formis*, ſeu *ſyſtematibus*, quæ vocas *Ariſtotelica*. Quaero, cur ipſa appelles hoc nomine? An hæc excogitata ab Ariſtotele fuiſſe arbitrare? Nimium hoſpitem, ac peregrinum in veterum monu-

(1) Vide etiam Documentum Paſtorale Illuſtriſsimi D. de S. Albino Archiepiſc. Cameracenſis an. 1739. Refertur in Append. ad I. Tom. Operis inſcripti de Supr. R. P. Auctorit. Eccleſ.Gallic. Doctrina. Edit. Avenion. an. 1747. n. II. pag. 156. & pag. 167.

(2) Tom. VI. Actor. Cleri Gallic. de Jurisd. Eccl. Parte I. pag. 5. Edit. Pariſ. an. 1716. „ L' Egliſe qui eſt un gouvernement Roial & une Monarchie ſacrée, a ſon etat, ſes loix, „ & ſa police comme les autres Puiſſances ſouveraines, & elle meme, & du pouvoir qu' elle a du ciel, qui ne peut lui „ etre empechée ſans traverſer le droit des Gens, & s' oppoſer au droit Divin „.

Hanc

Hanc cum tollat Febronius, tollat neceſſe eſt omnem Eccleſiae gubernandae rationem. Febronii cum ſe ipſo pugnæ. Is in errorem recidit Pufendorfii.

monumentis oportet eum eſſe, qui ſic exiſtimet. Niſi forte recentiorem Ariſtotele fuiſſe Platonem velis; quod certe, ne de te cogitem, deterret me exiſtimatio eruditionis, atque obſervantia erga te mea. Faceres enim antiquiorem Magiſtro Diſcipulum; quod eſt, ut cernis, παράδοξον. Ac Plato quidem, cui ſeſe Ariſtoteles tradiderat in diſciplinam, in eo Libro, qui *Politicus* inſcribitur, trium earumdem gerendæ reipublicæ rationum meminit. ,, Hoc vero mihi expone, *inquit*, ,, MONARCHIA unus ne nobis ſit Principatuum politicorum? Sane. Et poſt MONARCHIAM, dicet puto aliquis, paucorum imperium? Cur non? Tertia autem Politiæ forma nonne Principatus eſt multitudinis, quæ *Democratia* nomine vocatur? Ita prorſus. Nonne tres hæ quodammodo quinque fiunt, cum duas inſuper ex ſe pariant? Et unius quidem Principatum (*Monarchiam*) in Regnum, & tyrannidem partiuntur. Jam gubernationem eam, quæ penes paucos eſt, in *Oligarchiam*, quæ paucorum eſt regimen, & *Ariſtocratiam*, quæ eſt optimatum (1),,. Age vero Herodotus ſcriptor Platone vetuſtior, quem Cicero Hiſtoriæ parentem vocat, nonne trium ejuſmodi rationum geren-

(1) Plato Tom. II. Opp. pag. 291. Edit. Pariſ. an. 1578. Confer & IV. Librum de Republica pag. 445.

rendæ Civitatis mentionem fecit (1). Nam & Populi, & Optimatum, & Monarchiarum Regimina commemorat ita, ut cognita etiam, explorataque Perſis fuiſſe oſtendat jam uſque a Cambyſis Regis temporibus. Viſne clariora? Quid ergo eſt, quod has tu *formas* regiminum *Ariſtotelicas* pergas dicere? Verumtamen fac Plato, Herodotus, ceteri nihil horum commemorarint; an indę tu conſequere, ut formae eaedem non cognitae ratione duce, ſed uno Ariſtotelis arbitratu conſtitutæ fuiſſe videantur? Nihil minus. Non enim Res ulla publica, ſeu Civitas fingi poteſt, quæ non aut unius, aut plurium, aut omnium imperio regatur. Nam ſi neque omnes, neque plures, neque unus eam moderentur; moderabitur certe nemo: quare non erit illa ordine conſtituta Reſpublica, ſed caſu coacta hominum turba, quos nemo continere in officio; aut, ne pergant laedere, coercere poſſit. Res autem publica, ſeu Civitas, ſi ab uno gubernetur, *Monarchia*; ſi a pluribus, iiſque virtute, nobilitateve praeſtantibus, *Ariſtocratia*; ſi denique a Populo ipſo, *Democratia* erit. Neque vero hiſce vocabulis *Monarchiæ*, *Ariſtocratiæ*, *Democratiæ* aliud quidquam Scriptores,

(1) Lib. III. qui Thalia inſcribitur pag. 195. ſqq. Edit. an. 1618.

res, quos nominavi, veteres ſignificari voluerunt. Jam de Herodoto, & Platone vidimus. Supereſt, ut de Ariſtotele nonnihil dicam. Is in III. Politicorum (1): „ Regimen eſt, *inquit*, & poteſtas Civitatis. „ Neceſſe autem eſt, poteſtatem hujuſmodi, „ vel penes *unum* eſſe, vel *paucos*, vel „ *multos*... Vocare autem conſuevimus, „ cum unus ad utilitatem communem reſpiciens gubernat, *Regnum*, (hoc deinceps „ *Monarchiam* (2) vocat). Cum autem pauci, plures autem uno, *Ariſtocratiam*, „ vel ex eo, quia optimi præſunt; vel „ ex eo, quia optimum publicum adminiſtrant. Cum autem multitudo gubernat ad „ communem utilitatem, communi omnium „ Rerumpublicarum nomine, Reſpublica appellatur „. Mox idem Regimen *Democratiam* (3) nominat; eo quod hæc *populi* ſit multitudo *tenens* Rempublicam. Eadem eſt reliquorum Scriptorum veterum, recentiorumque dicendi ratio. Si neges, afferam eorum loca. Neque vero id te, arbitror, negaturum, quo nihil eſt notius. Sic autem tibi perſuadeas vehementer velim, eſſe eadem mihi ipſorum loca in promtu; Patrum ve-

(1) Cap. VII. pag. 436. Eodem recidunt, quæ ſequentibus Capitibus fuſe perſequitur. pag. 437. ſqq. Tom. II. Opp. Edit. Colon. Allobrog. an. 1606.
(2) Cap. VIII. ſqq. pag. 437. ſqq.
(3) Cap. VIII. ſqq. pag. 437. ſqq.

vero (1) in primis, quibus te delectari affirmas, etſi non tam ſaepe, ne tum quidem, cum tempus, ac ratio poſtulet, iiſdem utare. Itaque cum Platonis, Herodoti, Ariſtotelis, Patrum etiam, ea ſit ratio, ut Rempublicam, quam unus regat, Monarchiam; quam plures, *Ariſtocratiam*; quam multitudo, ſeu populus, *Democratiam* appellent; ſi has tu Regiminum formas Ariſtotelicas, ut inquis, tam abſurde accommodari ad Rem Eccleſiæ Publicam, quam pugnum ad oculum jactas poſſe; perſpicue palam eſt, in ea te verſari ſententia, ut neque ab uno regi Eccleſiam arbitrere, neque a pluribus, neque ab univerſis. A nullo igitur. Quare ſuſtuleris neceſſe eſt quidquid dari, atque fingi poteſt Eccleſiaſticæ gubernationis. Quo ſane magis demonſtras, Pufendorfii tibi doctrinam probari, quodvis Eccleſiae regimen reſpuentis. Nam quod *Hierarchiam* abs te, non

(1) Monarchiam (quam Febronius Ariſtotelicam Regiminis formam dicit eſſe) unius eſſe Principatum, ſcribit Juſtinus Martyr in Cohortatione ad Græcos. N. xvII. p.20. Edit. Opp. Pariſ. an. 1742. Nam ubi deſcripſit Homeri ex Iliad. B. verſum 206. „ Non bonum multorum principatus, unus Princeps eſto„: ſtatim adjungit: „ Quod autem non bonum ſit multorum principatus, ſed potius contra malum, opere demonſtrat (Homerus) dum ſibi propoſuit eorum bella propter MULTITUDINEM, & PUGNAS, & ſeditiones, & mutuas inſidias enarrare. Nam MONARCHIAM ſine pugnis eſſe convenit„. Confer Tertullianum Lib. contra Praxeam Cap. III. pag. 502. Edit. Venetae an. 1744. S. Auguſtinus Lib. II. de Civit. Dei Cap. XXI. num. 2. pag. 39. T. VII. Scipionis deſcribens ſententiam; „ E ſuis, inquit, definitionibus colligit, tunc eſſe Rempublicam, id eſt rem populi, cum bene, ac juſte geritur, ſive ab uno Rege, ſive a paucis Optimatibus, ſive ab univerſo Populo „.

non *Monarchiam*, neve *Ariſtocratiam*, neve *Democratiam* poni clamitas, id ſane quoniam pugnans eſt, *probatio* (ut ſaepe Boſſuetium auctorem ſequutus animadverti) *probatio*, inquam, *erroris* tui *erit*, *non excuſatio*. Quid autem repugnantius, quam rationibus illis adminiſtrandæ Reipublicæ tribus ſublatis, *Hierarchiam* concedere? Aut enim *Hierarchis*, ſeu *ſacris Principibus* jus, atque poteſtas ineſt regendæ Eccleſiæ, aut contra. Si non ineſt; regimen ergo nullum ponetur Eccleſiæ. Sin vero ineſt, aut uni inerit eorum, aut omnibus, aut Populo univerſo. Jam ſi uni; Monarchia igitur ponetur Eccleſiae: nam *Monarchiam unius* eſſe *Principatum* diximus. Sin Hierarchis, hoc eſt Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, qui certe optimatum habendi erunt numero, *Ariſtocratia*. Si autem Populo univerſo, *Democratia*. *Hierarchiam* igitur, qua Eccleſia regatur, concedere, perinde erit, atque earum aliquam *formarum* concedere, quas tu *Ariſtotelicas* contemtim vocas: eaſdem vero contra tollere, idem erit prorſus, ac tollere *Hierarchiam*, qua regatur Eccleſia. Jam *formarum*, quæ abs te *Ariſtotelicae* probro appellantur, concedi ullam Ecclèſiæ oportere, negas: Quare etſi verbo fateri videaris, re tamen abnuas neceſſe eſt, *Hierarchiam* Eccleſiæ, qua ipſa regatur, attribui oportere.

tere. Itaque huc te licet, atque illuc verſes, in errorem Pufendorfii ita recides, ut, etiamſi nolis, nullum tamen abs te admiſſum eſſe Eccleſiæ regimen fateri invitus, atque ingratiis cogare.

XXIV. Quod ſi, ſalva veritate doctrinæ, contentio ſolum de vocibus *Monarchiae*, *Ariſtocratiæque* tollendis eſſet, ferrem moderate. Cur namque graviter paterer, quod de voce *homouſii* facile ſe fuiſſe paſſurum Athanaſius (1) profitetur, modo ne catholicum *de Deo Filio unius, ejuſdemque cum Deo Patre naturæ* dogma in diſcrimen vocatum eſſet. Non enim ſonitus verborum tam eſſe debet homini Chriſtiano curæ, quam ea, quæ verbis eſt ſubjecta ſententia. Sed ut magnus idem Athanaſius *homouſii* vocem omnino retinendam duxit (2), propterea quod ſecum agi ab iis intelligeret, qui eamdem vocem, veluti novam apud Catholicos, ambiguam, ſuſpectam, rejiciendam, vociferarentur, eo conſilio, ut, ea ſublata, dogma ipſum impeterent (3); ita nunc adhibita hactenus a Scriptoribus orthodoxis vocabula

Eo conſilio tollenda dici, videbuntur fortaſſe, a Febronio vocabula Monarchiæ &c. ut ſimul tollatur Eccleſiæ Regimen; quod ferendum non est.

(1) Lib. de Synodis Arimini in Italia, & Seleuciæ in Iſauria celebratis num. XLI. pag. 755. Tom. I. Parte II. Edit. Pariſ. an. 1798.

(2) Ibid. num. LI. pag. 764. ſq. & num. LIII. ſq. pag. 766. ſqq. pluribuſque aliis in locis.

(3) Ibid. n. XL. pag. 755. Confer etiam S. Hilarium lib. Contra Conſtantium num. XVI. pag. 1250. ſqq. Edit. Pariſ. an. 1693. & n. XXII. pag. 1256. & lib. de Synodis. Num. LXXXV. p. 1198. ſq.

la omni nobis ope tuenda ſunt ; cum ea contemtim ut *ariſtotelica* rejici abs te videamus, qui Pufendorfii ſententiam, ac ſi vera, atque catholica ſit, in Eccleſiam inducere conare: qua quidem ſententia conſtituta, non labaſcet modo quævis gerendæ Chriſtianæ Reipublicæ ratio ; ſed etiam funditus corruet.

Veretur Auctor, ne qui exiſtant, qui Febronium conari, putent, Monarchias, & Res publicas ab Optimatibus rectas evertere.

XXV. Aequo nunc te animo, quæ tua eſt humanitas, moneri feres, tibi ut majorem in modum caveas, ne qui exiſtant, qui dare te ipſum operam, ut e Rebus etiam *ſecularibus* Publicis *Monarchias*, atque *Ariſtocratias* extermines, arbitrentur. Nam vereor, ne, cum pleriſque hoc tempore *peripatetica* ſordeant; neque ſordeant ſolum, ſed non ſecus etiam ac monſtra, atque portenta horrori ſint; vereor, inquam, ne cui, ut hos in Monarchas, Optimateſque commoveas, *formas* illas *politicas* regiminum deſpexiſſe ceu *Ariſtotelicas* videare. Eoque magis metuendum id eſſe intelligo, quo in tanta tecum luctatione ſententiarum, univerſe abs te ſcriptum legam : non adhuc ſatis eſſe conſtitutum, *Monarchicum Statum reliquis eſſe perfectiorem* (1) : *&* *Imperium mere*

(1) Febron. Vol. I. Cap. I. §. VIII. n. pag. 40. Edit. Bullionii an. 1763. „ Anne certum eſt, inquit, Monarchicum Statum reliquis eſſe perfectiorem ? Negant, id omnes Republicani, maneтque quæſtio hactenus indeciſa.

mere ariſtocraticum ſemen eſſe diſcordiarum (1): nec hactenus compererim, ecquam tu potiorem exiſtimes eſſe, tutamque Reipublicæ gerendæ *formam*.

Eccleſia non eſt merum, proprieque dictum Collegiũ.

XXVI. Extremum eſt, ut de Eccleſia *Collegium* ne ſit (cujuſmodi ipſa abs te conſtituitur) doceam. Eam tu ne analogia quidem *Civitatem*, ſeu *Statum*, ſeu *Rempublicam* eſſe pugnas [2]. Collegium dicis [3]. Quid igitur ſupereſt, niſi ut merum ipſam eſſe Collegium judices? Collegiorum autem ut noſti, neque tanta eſt in *Statibus*, quæ vocas, auctoritas, ut non ea a Principe, vel ab Optimatibus, vel a conſtituente Civitatem Populo pendeant; neque ſervari cum exteris commercium, ac ſocietas ulla, injuſſu Rectorum Reipublicæ, queat; neque poſſint ipſa, niſi aut Regis, aut Senatus, aut Plebis voluntate conſiſtere. Itaque ut Regnorum, ſic Eccleſiarum tolli, jure Principum, poterit conſociatio. Rurſus cum Regnum unum ab altero (ita ut fit plerumque) minime pendeat; ne pendebit quidem Eccleſia unius Regni a quavis alia, quæ ejuſdem non ſit aut Regni, aut Reipublicæ. Cumque, ſi qua eſt dignitas, auctoritaſque

(1) Ibid. „Sed nec ex altera parte expediret Imperium ME„RE ARISTOCRATICUM, cum ſit ſemen diſcordiarum „.
(2) Vide pag. 189. hujus Vol.
(3) Pag. hujus vol. 189.

taſque Collegiorum, ea, cujuſcumque tandem ſit generis, obnoxia ſit aut Populo, aut Optimatibus, aut Regi; exque his, ut forma fert civitatis, proficiſcatur; Eccleſiis certe cujuſque aut Regni, aut Reipublicæ auctoritas inerit prorſus nulla, quæ non manet ex Regis, vel Optimatum, vel Populi poteſtate, horumque aut uni, aut multis, aut univerſis ſubjaceat. His autem conceſſis, quæ ſunt propria ſimplicium, merorumque Collegiorum; quæque Pufendorfio muniverunt viam ad eam ſententiam, quam tu ſtatuis eſſe Catholicam; quæ, obſecro te, ſupererit *viſibilis* Eccleſiæ divina præceptione ſtabilis *unitas*? Quæ univerſitas, ſeu *Catholicitas*? Quæ a Principibus hujus ſeculi non dependens retinendæ Hierarchiæ, regendorum coetuum, dijudicandarum, decidendarum, diſponendarum ſpiritalium rerum poteſtas? At enim, divina inſtitutione (ut dogma fidei Catholicæ poſtulat) Eccleſiam & *Unam* eſſe, & *Catholicam*, & Poteſtate, quæ Principibus ſeculi ſubjecta non ſit, præditam, & ſuis legibus, aliiſque vinculis ſocietatis, quæ a nemine abrogari, ſolvique poſſint, devinctam & colligatam fatere. Ita ne vero? Non erit igitur merum *Collegium* tibi Eccleſia; ſed *Reſpublica*, ut multis ante oſtenſum eſt, ſed *Status*, ſed *Civitas*. Non eſt autem, tuo judicio,

cio, ut ſupra animadverſum eſt, *Reſpublica*, ſeu *Status*, ſeu *Civitas*. Erit igitur, & non erit *Reſpublica*, *Status*, *Civitas*; adeoque erit ſimul, & non erit merum *Collegium*. Quin etiam erit ſimul, & non erit *Una*, inſtitutione Dei; erit, & non erit *Catholica*; erit, & non erit poteſtate prædita, quæ ſit, vel non ſit obnoxia Principibus ſeculi; erit poſtremo, & non erit ſuis inſtitutis, ac legibus, aliiſque ſocietatis vinculis colligata, quæ Reges, Optimates, Populi vel queant, vel nequeant abrogare, ac ſolvere. In hæc tu abſurda, interque ſe repugnantia abripiare neceſſe eſt, dum Puſendorſianam doctrinam uti veram, & orthodoxam tuebere; dumque *Collegium* tantummodo voles eſſe Eccleſiam, non *Rempublicam*, ſeu *Statum*, ſeu *Civitatem*. Fac porro rurſum memineris, pugnantibus ſententiis non excuſari, tegique errorem; ſed adſtrui, ac majorem in modum pateſcere. Neque committes, opinor, uti ſecus abs te *Collegii* nomen acceptum putes, atque Latini Scriptores acceperint. Non enim eſt tibi fingendarum novarum ſignificationum, vocumque pervertendarum poteſtas data: Quod ſi datam putaſſes; oſtendiſſes (quod quidem oſtendiſti numquam) quid *Collegii* velles indicari nomine. Latinis certe *Collegæ* ſunt

ii, qui eadem pollent poteſtate [1], vel dignitate, vel munere, aut in eadem ſeſe arte exercent; *Collegium* vero ſocietas eſt *Collegarum*. Atque in Republica plura eſſe *Collegia* ſolent; Res autem ipſa publica neque *Collegium proprie* eſt, neque dici ſatis apte poteſt. Itaque *Collegium* dicitur *Prætorum*, *Collegium Quæſtorum*, *Collegium Sacerdotum*, *Collegium Tribunorum*, *Collegium Mercurialium*, *Collegium Capitolinorum*, *Collegium* etiam *Fabrum* [2] *&c. Collegium* vero *Reipublicae*, ſeu *Civitatis*, non item. Jam ut ut Ethnici Eccleſias Chriſtianorum in Collegiis numerarint; eas tamen (cum revera omnes unam conſtituant Rempublicam, quæ Regna integra ſinu complectatur ſuo; & in qua, divina inſtitutione, alii præſint, alii ſubditi ſint; alii imperent, alii pareant; alii majore poteſtate præſtent, alii minore, alii nulla) *Collegia* commode, proprieque Catholico viro appellare non licet.

Sed in nullo Statu Monarchico, inquis, *ſubditi umquam dicti ſunt fratres ſui Regis*. Næ tu, mi Febroni, *Monarchia* Davidem deje-

(1) Ulpian. Lib. L. Digeſtor. Tit. De Verborum ſignificatione. Lege CLXXIII.

(2) Confer Ciceronis Orationem pro Domo ſua c. XIII. & c. XVIII. De Officiis, Librum III. cap. XX. Lib. de claris Oratoribus cap. XXXIII. & Lib. III. de Legibus cap. X. Suetonium in Claudio Cap. XXIV. & Lib. XLVII. Digeſtor. Tit. De Collegiis, & Corporibus.

dejeceris, quod *ſubditos* ſuos vocarit *fratres* (1). Quid? Chriſtum ne Monarcham Eccleſiæ neges eſſe; parique ei, quam Apoſtoli obtinebant, auctoritate, poteſtateque præditum ſtatues, quod Apoſtolos ipſos *fratres* dixerit? *Ite* (inquit apud Matthæum) *nunciate* τοῖς ἀδελφοῖς μου FRATRIBUS MEIS, *ut abeant in Galilæam: Ibi me videbunt* (2). Perge porro. *Naturale*, inquis, *eſt Eccleſiæ, etiam ex inſtituto Chriſti, coire in Corpus, ſeu Collegium.* Hoc mihi, quod *de Collegio* ſcribis, demonſtrari auctoritate Scripturæ, conſenſioneque Patrum vellem. Verum ut oſtendas, fruſtra mihi crede, conabere. De *Corpore*, non eſt cur diſputem. Novi quid Paulus, quid Patres ſcribant (3). Sed Rempublicam etiam, quam unus regat, *Corpus* non apte appellari, quo tu inde modo concludas, cum contra Cornelius Tacitus (4), Titus Livius (5), Marcus Cicero (6) non balbutientes de Latina

 lin-

(1) 1I. Reg. Cap. XIX. v. 12.
(2) Evang. Cap. XXVIII. v. 10.
(3) Vide hujus Vol. pag. 196. ſqq.
(4) Lib. I. Annalium Cap. XII. pag. 222. Edit. Antuerp. an. 1574. „ Unum eſſe Reipublicae corpus, atque unius animo „ regendum „.
(5) Lib. I. Hiſtoriar. Cap. XVII. pag. 26. Edit. Lipſ. an. 1735. „ Oriundi e Sabinis ſui Corporis creari Regem vo„ lebant. Romani veteres peregrinum Regem averſabantur.. „ Timor deinde Patres inceſſit, ne Civitatem ſine Imperio vis.. „ adoriretur.. & eſſe igitur aliquod CAPUT PLACEBAT.
(6) Lib. I. de Officiis Cap. XXV. „ Totum corpus Reipublicæ, nominat, eoſque memorat, quibus ea commiſſa eſt „ & eum etiam, qui „ dignus in Republica ſit principatu „.

lingua, *unius animo* Reipublicæ *corpus* regi, & *corporis* Sabinorum creari *Regem*, & *corpus* totum *Reipüblicae* dixerint? Sed *naturale*, inquis, *eſt Eccleſiæ coire in corpus*, *collegialiterque deliberare*. Quid inde? An omnes tu Chriſtianos *Corpus* unum conſtituere neges? Si non negas, parine ipſos omnes auctoritate præſtare ſtatues? Non ergo alii erunt in Eccleſia, qui, inſtitutione divina, præſint; alii, qui pareant. Quod ſi ſunt, quid obſtabit, quin unus etiam ceterorum caput ſit, omneſque regat, & moderetur, etiam ſi omnes in corpus coeant? Eſſe autem alios qui præſint, & jubeant in Eccleſia; alios, qui ſubſint, atque obtemperent, Scripturarum, Traditioniſque monumentis demonſtratum eſt; negarique ſine hæreſeos nota non poteſt. Negat vero Pufendorfius, ut qui *præeminentiam* tollat omnem, quemadmodum demonſtravimus; nihilque diſtinctionis inter Chriſtianos ponendum cenſeat, niſi quod eſt *docentium & auditorum*. Pufendorfii porro compoſitam ex hiſce monſtris *ſententiam*, ut ſæpe animadverti, palam affirmas eſſe *veram*, atque *catholicam*. Id igitur *Catholicum* tu pronuncias eſſe, quod ſine hæreſeos nota defendi nequeat. Quod ſi jurisdictionem, præſidentiam &c. Epiſcoporum plerumque abs te poni, dixeris; pugnans circuitio iſta verborum erit, involvenſque Pufen-

ſendorſianum dogma, quod tamen aperte, ac ſaepe vocas *Catholicum*. At (quoties autem dicendum eſt tibi?) luctatio ſententiarum *probatio* eſt erroris, *non excuſatio*.

§. VIII.

Adverſus eam, quam Puſendorſius tuetur, ſententiam actum ab Synodis, ut adverſus haereſim, publica etiam exſecratione, fuit.

XXVII. Sed de Puſendorſii doctrina, quæ cum Traditione Majorum componi nequeat; de laqueis paradoxorum, quibus, dum illam defendis, irretiare neceſſe ſit; deque perpetua, eademque manifeſta tecum conflictione, hactenus. Nunc, promiſſa ſervaturus, de Synodis agam, a quibus id Puſendorſianæ doctrinæ genus notatum, damnatumque fuit. Non enim hæ potuiſſent pati, ut quod Apoſtoli a Chriſto, Patres ab Apoſtolis accepiſſent, atque ad nos uſque propagaſſent, excideret. Jam quæ Puſendorſius de *poteſtate ligandi, atque ſolvendi*, de Epiſcopis, jurene divino *praeemineant*, ſeu ſuperiores ſint Presbyteris, deque Hierarchia Eccleſiaſtica turbat, oſtendimus, quomodo diris devota, execrationeque publica rejecta ab Synodo Tridentina, atque adeo ab Eccleſia catholica fuerint,

Quid Synodus Tridentina, quid Conſtantinopolitana I. Epheſina, Chalcedonenſis, Lateranenſis. IV. Conſtantienſis, Florentina contra eam doctrinam ſtatuerint, quā Puſendorſius tuetur.

 rint,

rint, inflicta etiam anathematis poena iis, qui ipſa probare auderent (1). Age vero Synodus Conſtantinopolitana I. quæ eſt Oecumenica II. in Symbolo fidei (2) haec Chriſtianis omnino credenda proponens: UNAM SANCTAM *Catholicam*, *& Apoſtolicam Eccleſiam*: nonne demonſtrat, adverſam e regione eſſe dogmati fidei orthodoxae, adeoque ut hæreſim rejiciendam eam de diſſociatione Eccleſiarum doctrinam, qua ſibi Puſendorfius viam ad iſtam ſententiam paravit, quam tu appellas Catholicam? Synodus autem Epheſina, quæ eſt Oecumenica III. quæque Philippum Presbyterum Sedis Apoſtolicæ Legatum lubens audivit ajentem, *Caput* eſſe Epiſcoporum Romanum Pontificem, eo quod exploratum omnibus ſit, Caput fuiſſe totius fidei vel Apoſtolorum B. Petrum (1): & Synodus Oecumeni-

---

(1) Pag. hujus Vol. 217. not. 1. & 2. & pag. 213. not. 1. & pag. 241. not. 1. & pag. 193. ſq.

(2) Tom. I. Concilior. Edit. Pariſ. an. 1714. p. 813. Ante Conſtantinopolitanam, Synodus Aegyptiaca habita ſub Alexandro Epiſcopo Alexandriæ an. 321. ut eſt in ejus Epiſtola Synodica Tom. I. Concilior. pag. 360. Edit. ejuſd. „ Eccleſiam, „ inquit, Apoſtolicam UNAM, & SOLAM CATHOLICAM „ agnoſcimus, quæ ſicut numquam expugnari poteſt, etiam „ ſi totus mundus eam oppugnare inſtituat; ſic omnem impiam „ aliter ſentientium incurſionem evincit, ac profligat „. Confer etiam Synod. Oecumenic. VII. Act. VII. Tom. IV. Concilior. p. 454. Edit. ejuſd. & Act. VIII. p. 511. & Synod. Lateran. IV. Can. I de Summ. Tr. & Fide Cath. Tom. VII. Concilior. p. 15.

(1) Action. II. Conc. Eph. p. 1471. Tom. I. Concilior. Edit. ejuſd. „ Gratias agimus Sanctæ venerandæque Synodo, quod „ Litteris Sancti, Beatique Papæ Noſtri vobis recitatis ſancta „ membra, ſanctis veſtris vocibus, ſancto CAPITI, ſanctis „ etiam

menica IV. Chalcedonenſis, quæ in *Epiſt.* ad *Leonem* I. Pontificem Maximum, ipſum ὡς κεφαλὴν μελῶν, *ſicuti Caput membris* præfuiſſe Epiſcopis in Synodum congregatis; eidemque Pontifici *vineæ cuſtodiam a ſalvatore commiſſam eſſe* affirmavit (1): utque Synodos ceteras prætermittam, ne longus ſim, Lateranenſis item Oecumenica IV., quæ Decr. V. de Dignitate Patriarcharum, declaravit: *Romanam Eccleſiam, diſponente Domino,* SUPER OMNES ALIAS *ordinariæ Poteſtatis obtinere* PRINCIPATUM &c. annon plane docuere, Romanæ eidem Eccleſiæ *ſubordinari* ceteras; & Pontificem Romanum primas obtinere in Republica Chriſtiana partes, contra atque Puſendorfius ſtatuat? Venio ad Conſtantienſem. Hæc an. 1415. damnavit XLI. propoſitionem Johannis Wiclefi, quæ eſt hujuſmodi: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* Notarunt autem ibidem Conſtantienſes eam propoſitionem hoc modo: ERROR eſt, *ſi per Romanam Eccleſiam intelligat Univerſalem Eccleſiam, aut Concilium Generale, aut* PRO *quanto negaret* PRIMATUM SUMMI PONTIFICIS SUPER ALIAS ECCLESIAS PARTICULARES (2). Confixit ca-

 dem

„ etiam veſtris acclamationibus vos adjunxeritis. Non enim „ ignorat veſtra Beatitudo, totius fidei, vel etiam Apoſtolorum „ Caput eſſe B. Apoſtolum Petrum „.

(1) Parte III. Cap. II. pag. 655. T. II. Concilior. Edit. ejuſd.
(2) Tom. VIII. Concilior. Edit. ejuſd. pag. 301.

dem ipſa Synodus Propoſitionem IX. Johannis Hus, quæ ſic habet: *Papalis dignitas a Caeſare inolevit, & Papæ perfectio, & inſtitutio a Caeſaris potentia emanavit* (1). Martinus V. eas ipſas propoſitiones ſingulari Conſtitutione, Sacro eodem adprobante Concilio proſcribens, voluit, ut qui Wiclefitarum, Huſſitarumque adducti in judicium fuiſſent, iidem ſi conciliari Eccleſiæ Orthodoxæ vellent, confiterentur: *B. Petrum fuiſſe Vicarium Chriſti, habentem poteſtatem ligandi, & ſolvendi ſuper terram: & Papam canonice electum, qui pro tempore fuerit, eſſe Succeſſorem B. Petri* HABENTEM SUPREMAM AUCTORITATEM IN ECCLESIA DEI (2). *Item, auctoritatem juriſdictionis Papæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſolvendo, & ligando eſſe majorem auctoritate ſimplicis Sacerdotis, etiam ſi is curam animarum habeat* (3). Accedit Florentinæ Oecumenicæ Synodi definitio:
„ Definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem,
„ & Romanum Pontificem in univerſum Or-
„ bem tenere primatum: & ipſum Ponti-
„ ficem Romanum Succeſſorem eſſe Beati
„ Petri Principis Apoſtolorum, & verum
„ Chriſti Vicarium, TOTIUSQUE ECCLESIÆ
„ CAPUT καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας κεφαλὴν,
„ & o-

(1) Ibid. pag. 416.
(2) Ibid. pag. 915.
(3) Ibid.

„ & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Do„ ctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro „ paſcendi, REGENDI, AC GUBERNANDI UNI„ VERSALEM Eccleſiam a DOMINO NOSTRO JESU „ CHRISTO PLENAM POTESTATEM TRADITAM „ ESSE (1) „. Sunt hæc ſimilia eorum, quæ Synodi Lugdunenſis II. temporibus a Gregorio X. Græcis ad credendum propoſita fuerunt (2). Nam ea item ſic habent: „ Ipſa Romana Eccleſia ſummum, & plenum „ Primatum (ſeu Principatum) ſuper univer„ ſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quem „ ſe AB IPSO DOMINO in B. Petro Apoſtolorum „ Principe, cujus Romanus Pontifex eſt ſuc„ ceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſ„ ſe, VERACITER, & humiliter recognoſcit „. Denique in fidei Profeſſione, quæ ubique gentium invaluit apud orthodoxos, quamque Clerus Gallicanus vindicat ab hæreticorum calumnia [3], haec cuique Orthodoxo enunciandorum Catholicorum Dogmatum præſcribitur ratio: „ Sanctam Catholi„ cam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam „ omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram „ agnoſco; Romanoque Pontifici B. Petri „ Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu „ Chri-

(1) Tom. IX. Concilior. p. 424. Quæ ſequuntur expendam alio loco opportunius, refellamque Febronii in ea animadverſiones.
(2) Tom. VII. Concilior. pag. 695. Edit. ejuſd.
(3) Tom. I. Actor. Cleri Gallic. pag. 91. Edit. Pariſ. an. 1716.

„ Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpon-
„ deo, ac juro „. Atqui hæc Puſendorfianum dogma funditus evertunt. Nam cum Puſendorfius nec poteſtatem aliquam Eccleſiaſticam, præterquam docendi; nec ullam Eccleſiam alteri cuiquam Eccleſiæ *ſubordinari*; nec certam Regiminis *formam* decreto quopiam inductam eſſe pugnet, quam tu ſententiam Catholicam eſſe pronuncias; cumque e contra Synodi Oecumenicæ (quarum proxime a nobis deſcripta doctrina eſt, quarumque attulimus definitiones) ligandi, ſolvendi, judicandi, &c. auctoritatem hierarchis a Deo conceſſam eſſe definiant; Eccleſiæque Romanæ ſupra Eccleſias reliquas primatum, ſeu principatum conſtitutum divinitus, agnoſcant; & Romano Pontifici, qui *Caput eſt totius* Eccleſiæ, plenam poteſtatem eſſe a Chriſto Servatore gubernandorum univerſi Orbis Chriſtianorum datam, ferant; quod plane efficit, formam eſſe aliquam regiminis Eccleſiaſtici, ſententia, ſeu ordinatione, ſeu Decreto divino, invectam; alterutrum profecto concedas neceſſe eſt: aut vera dogmata ipſa Puſendorfiana, atque Catholica eſſe, erraſſeque proinde Concilia; aut dogmata ipſa Puſendorfiana numerari in hæreſibus oportere, ut quæ ſint definitionibus ejuſmodi Synodorum, hoc eſt Catholicæ Eccleſiæ e regione contraria. Quotum autem quemque
Ca-

Catholicorum fore ſperas, qui non eos horreat, non deteſtetur, non diris devovendos credat, qui hæreticam non eſſe hæretici hominis doctrinam, jactitent, tam repugnantem definitionibus Oecumenicorum Conciliorum, tamque proinde a dogmate Eccleſiæ Catholicæ abhorrentem?

§. IX.

Eadem Puſendorſiana doctrina, ut inimica Catholicæ Fidei, ab Eccleſia Gallicana rejicitur.

XXVIII. Quod ab Synodis Oecumenicis ut Orthodoxæ fidei inimicum damnatum eſt, id ne quiſquam non damnari a Gallicana Eccleſia putet, quæ ſummo ſemper ſtudio earumdem Synodorum, de doctrina in primis, Decreta tutata eſt, vindicavitque a calumnia hæreticorum? Synodus ecce Senonenſis anno 1528. ea opinionum portenta, quæ nunc a Pufendorfianis contra Eccleſiaſticum REGIMEN, AC JURISDICTIONEM, EXTERIOREM præſertim, jactantur; quæque a Marſilio Patavino primum, deincepſque a Martino Luthero hæreſiarchis prædicari cœperant, hæreſeos

Synodi, Conventuſque Epiſcoporum Galliæ doctrinam hæresiarcharũ Marsilii Patavini, & Martini Lutheri, aliorumque Novatorum poteſtati Ecclesiaſticae, ac dignitati, auctoritati, juriſdictioni Pontificiae inimicam reprobantes, doctrinam item, quæ eodem recidit, Pufendorfii reprobãt.

reſeos condemnavit (1). Non diſcrepant a Senonenſi Concilio Synodi Rotomagenſis an. 1581. (2). Remenſis an. 1583. (3), Burdigalenſis an. 1583. (4), Turonenſis an. 1583. (5), Bituricenſis a. 1584. (6), Aquenſis a. 1585. (7), Toloſana an. 1585. (8) quæ Epiſcopos vigiles in cuſtodia Sanctuarii excubare a Domino juſſos eſſe, dicit, ſpeculatoreſque præ-

(1) In Præf. Tom. IX. Concilior. Edit. ejuſd. pag. 1929.
Nam ubi adverſus Waldenſes egit: ,, Poſt hos, inquit, ſur-
,, rexit MARSILIUS PATAVINUS, cujus PESTILENS LI-
,, BER, quod Defenſorium Pacis nuncupatur, in Chriſtiani
,, Populi perniciem, procurantibus Lutheranis, nuper excuſ-
,, ſus eſt. Is hoſtiliter Eccleſiam inſectatus, & terrenis Prin-
,, cipibus impie applaudens, omnem Prælatis ADIMIT EX-
,, TERIOREM JURISDICTIONEM, ea dumtaxat excepta,
,, quam ſecularis largitus fuerit Magiſtratus: omnes etiam
,, Sacerdotes, ſive ſimplex Sacerdos fuerit, ſive Epiſcopus,
,, Archiepiſcopus, AUT ETIAM PAPA aequalis ex Chriſti
,, inſtitutione aſſerit eſſe auctoritatis; quodque alius plus alio
,, auctoritate præſtet, id ex gratuita laici Principis conceſ-
,, ſione vult provenire, quod pro ſua voluntate poſsit revo-
,, care. Verum EX SACRIS LITTERIS COERCITUS EST
,, DELIRANTIS HUJUS HÆRETICI IMMANIS FUROR,
,, quibus palam oſtenditur, non ex Principum arbitrio de-
,, pendere Eccleſiaſticam poteſtatem, ſed EX JVRE DIVI-
,, NO, quo Eccleſiae conceditur LEGES AD SALUTEM
,, CONDERE FIDELIVM, & in REBELLES LEGITIMA
,, CENSVRA ANIMADVERTERE. Iiſdem quoque Litteris
,, aperte monſtratur, ECCLESIAE POTESTATEM LONGE
,, ALIA QVAVIS laica POTESTATE NON MODO SUPE-
,, RIOREM ESSE, SED & DIGNIOREM. Ceterum hic Mar-
,, ſilius, & ceteri prænominati hæretici adverſus Eccleſiam
,, impie debacchati, certatim ejus aliqua ex parte nituntur
,, diminuere auctoritatem ,,. Confer ejuſd. Synodi Decreta de Fide Cap. II. p. 1935. c. IV. pag. 1936 ſqq. & Cap. VI. pag. 1938. ſq. & ADNOTATIONES ALIQVOT ERRORVM IAM OLIM DAMNATORVM, & NVNC REPVLLVLANTIVM PAVCIS CONSTRICTAS.

(2) Tom. X. Concilior. pag. 1215. Edit. ejuſd.

(3) Ibid. pag. 1307. ſqq.

(4) Ibid. pag. 1335.

(5) Ibid. pag. 1394.

(6) Ibid. pag. 1458.

(7) Ibid. pag. 1518.

(8) Ibid. pag. 1786.

præfectos, quo in id incumbant, ut creditos ſibi populos conſervent, & errantes in viam reducant &c. (1). Quo etiam pertinent quæ Avenionenſis an. 1594. (2), quæque Epiſcopi Galliæ an. 1653. ad Innocentium X. Pontificem Maximum, & ad Præſules Regni, qui Comitiis non interfuerant, de Preſidum ſacrorum Chriſtianorum, in primis autem de Romani Antiſtitis auctoritate ſcripſerunt (3). Cui quidem *Antiſtiti* in re Eccleſiæ gerenda arcte ſe *uti ſuo Capiti junctos, colligatoſque confeſſi ſunt, cauſſa unitatis Chriſtiani Epiſcopatus in* SUBORDINATIONE HIERARCHICA (4). Conſonant autem his, quæ iidem Epiſcopi Galliarum, Litteris ad Alexandrum VII. an. 1656. datis, profeſſi ſunt. Sic enim habent: *Non obſcura ſunt Divini Numinis conſilia, cur Beatitudinem veſtram ad Epiſcopatus* APICEM, *ideſt* AD APOSTOLICÆ *Sedis* PRINCIPATUM *evexerit. Intererat quippe Rei Chriſtianæ, ut is unitatem Eccleſiæ his difficillimis temporibus regeret, qui poſſet . . ſua . . conſtantia fluctus ſuperare, quibus Petri Navis, cujus* CLAVO *feliciter* TENENDO *admotus eſt, atrociter concutitur. Nos ſane, qui*

a CHRI-

(1) Pag. 1790.
(2) Ibid. pag. 1836. ſqq.
(3) Tom. 1. Actor. Cler. Gallic. pag. 237. ſqq.
(4) „ Pour recevir le jugement de celui, à qui, comme à „ leur chef, ils ſont etroitement lies par l' unite de l' Epiſco- „ pat Chretien dans la ſubordination Hierarchique „ ; Ibid. pag. 241.

a CHRISTO DOMINO IN PARTEM SOLLICITUDINIS VOCATI SUMUS, miniſterio *noſtro id egimus &c.* (1). Iidem Epiſcopi cum an. 1657. Comitia celebraſſent, Collegis ſuis, qui abſuerant, in hanc ſententiam ſcripſere: Tam concorditer Epiſcopos non Galliarum modo, ſed Chriſtianitatis etiam univerſæ conſenſiſſe Conſtitutioni, qua propoſitiones Janſenii quinque a Pontifice Innoc. X. damnatæ fuerant; Orthodoxoſque omnes ita ſe *ſubmiſiſſe Cathedræ S. Petri, ut Eccleſiæ univerſalis conſenſio ſe junxerit* PETRÆ APOSTOLICÆ, IN QUAM NON POSSUNT PORTÆ INFERI PRÆVALERE &c. (2). Neque deſtiterunt umquam Epiſcopi Galliarum Hierarchiæ auctoritatem, ac decora tueri, eaque contra Novatores defendere. Itaque Senonenſem Synodum, quam anno 1527. ſq. habitam diximus, ſequuti, Articulos hoſce duos in ERRORIBUS numerarunt: *Primatus Summi Pontificis non eſt a Chriſto*: & : *Epiſcopus non poteſt, quod non poſſit ſimplex Sacerdos* (3). Quin etiam graviter in Scriptores illos animadverterunt, *qui eo collimabant, ut quam Dominus auctoritatem Epiſcopis attribuit, elevarent quammaxime, ac deprimerent; & Eccleſiaſticam* HIERARCHIAM, QUA NIHIL SUB CÆLO

LO

(1) Ibid. pag. 269.
(2) Ibid. pag. 311.
(3) Confer Acta Cleri Gallic. Tom. eodem I. pag. 567. ſq.

LO EST AUGUSTIUS, & *ipſum Petri Succeſſorem Apoſtolorum Coryphaei*, SUPREMUMQUE CHRISTI IN TERRIS VICARIUM, *non obſcure peterent* (1).. ejuſdemque *Summi Pontificis* SUPREMI, *ſecundum Chriſtum*, FIDELIUM PATRIS AUCTORITATEM *convellere* niterentur. Conqueſtus præterea Clerus Gallicanus de iis eſt, qui *juriſdictionem* Eccleſiaſticam minuere; & auctoritatem, atque potentiam Beato Petro, Apoſtoliſque ceteris a Chriſto datam laedere auderent. Mundum autem præcipue regi, docet, POTESTATIBUS duabus, AUCTORITATE ſcilicet Sacra Pontificum, & Regia dignitate. Munera porro duarum ejuſmodi poteſtatum diſtincta, atque ſeparata eſſe; & REGIMEN SPIRITALE, (quod cœpit a Chriſto, qui Potentatibus mundi integram ſuam poteſtatem temporalem ſervat) etiam poſt conſtitutum hoc ſacrum REGNUM, non Principum ſeculi, ſed Paſtorum, hoc eſt Preſidum ſacrorum fidei creditum a Spiritu Sancto eſſe. Nam *Spiritalem juriſdictionem*, & auctoritatem non Regibus, ac Principibus eſſe datam; ſed iis, quos Deus ad regimen, gubernationem-

(1) In Litteris Encyclicis ad Epiſcopos Regni an. 1631. datis, & an. 1643. rurſum editis. Vide Tom. eodem Actor. Cleri Gallic. pag. 552. Confer ejuſd. Cleri Proceſſ. Verbal. an. 1700. Tom. eod. 1. pag. 708. ſqq. & Cenſuram Libri P. Rabardeau „ qui poteſtatem Pontificiam deſtruit „. Ibid. pag. 640. ſq.

nemque Eccleſiæ ſuæ vocat &c. (1). Rurſum ſupremas poteſtates eſſe in terris duas, *Sanctitatem Papæ Capitis Eccleſiæ, & Regiæ Majeſtatis* (2). Ejuſdem Eccleſiæ Corpus myſticum, & Regnum, cujus viſibile Caput, Centrum-

(1) Sic enim an. 1596. Agennenſis Antiſtes alloquutus, Cleri totius nomine, Henricum IV. Regem Chriſtianiſsimum fuit.
,, Je tremble de peur & fraieur pour ces entrepreneurs ſur
,, l'autorité, & juriſdiction Eccleſiaſtique, & ſur la puiſſance
,, donnee par le Fils de Dieu à Saint Pierre, & ſes autres
,, Apotres, & en leurs perſonnes à ceux qui leur ſuccederoient
,, en ce ſervice & miniſtere. Par deux puiſſances le monde
,, eſt principalement gouverne, diſoit le Pape Gelaſe a l'Em-
,, pereur Anaſtaſe: l'autorite ſacree des Pontifes, & Digni-
,, te Roiale. Pour le bien de l'Etat il faut ſans doute qu'el-
,, les ſoient en bonne intelligence, Dieu aiant, diſoit le Pape
,, Nicolas, à l'Empereur Michael, tempere, & modere les
,, affaires de telle facon que les Rois & Empereurs ont beſoin
,, des Pontifes pour parvenir à la vie eternelle; & les Pon-
,, tifes pours le cours, & uſage des choſes temporelles, uſent
,, de Loix, & Conſtitutions Rojales, & Imperiales. Les char-
,, ges toutefois de ces deux PUISSANCES ſont DISTINCTES,
,, & SEPAREES, & le gouvernement du ſpirituel qui a com-
,, mence par ce ſouverain Roi & Pretre, le quel laiſſant le gou-
,, vernement temporel aux Princes du monde, a baille le ſpiri-
,, tuel à d'autres; & etabli, comme Saint Paul enſeigne, en cette
,, Egliſe militante des Apotres.. & des Paſteurs, auquels il a
,, commis le REGIME des choſes ſpirituelles. Cette Police a
,, été,. obſervée en ce Roiaume, auquel les Rois, & leurs
,, officiers n'ont jamais entrepris de manier le ſpirituel, &
,, entreprendre ſur l' AVTORITE DONNEE AVX EVE-
,, QVES & autres Superieurs de l'Egliſe, NI SVR CELLE
,, DE NOTRE SAINT PERE. Ce pouvoir de donner l'admi-
,, niſtration des choſes ſpirituelles dépend entierement de l'
,, AVTORITE, & JVRISDICTION ECCLESIASTIQVE,
,, QUI A ETE DONNEE, NON AVX ROIS & PRINCES,
,, ni par conſequent à leurs officiers, mais à CEUX QUE
,, DIEU APPELLE AU REGIME, & GOUVERNEMENT
,, DE CETTE EGLISE &c. ,, Tom. XII. Actor. Cleri Gallic. Edit. ejuſd. p. 221. ſq.

(2) Archiepiſcopus Viennenſis an. 1586. nomine item totius Cleri, hæc inter cetera Henrico III. Regi Chriſtianiſsimo dixit: ,, Deux SOUVERAINES PUISSANCES SONT ETA-
,, BLIES SUR NOUS EN TERRE, DE LA SAINTETE
,, DU PAPE CHEF DE L'EGLISE, & DE V. MAJESTE.
Tom. I. Act. Cler. Gallic. pag. 174.

trumque (1) unitatis eſt ſupremam *obtinens*

 pote-

---

(1) Ann. 1666. Epiſcopus Ambianenſis ſic, nomine totius Cleri, alloquutus Chriſtianiſsimum Regem Ludovic. XIV. fuit :
„ Voil cette puiſſance ſ·piritueIle, qui fut promiſe & donnee
„ a S. Pierre, qui eſt promiſe, & donnee a tous les Apotres
„ pour conſerver l' unite de l' Epiſcopat dans la multitude
„ des Eveques pour etablir le REGNE SPIRITUEL DE JE-
„ SUS CHRIST dans le Monde. Voil des Miniſtres creez,
„ des loix publiees.. UN TRIBUNAL ELEVE, ou LES
„ COUPABLES DOIVENT ETRE JUGEZ : DES PEINES
„ & DES RECOMPENSES DETERMINEES, QUI SONT
„ TOUTES MARQUES CERTAINES, & ASSUREES D'UN
„ VERITABLE EMPIRE. Toute l'AUTORITE DE CE RO-
„ IAUME DU FILS DE DIEU, qui S' EXERCE PAR LA
„ PUISSANCE DE L'ORDRE, & PAR CELLE DE LA
„ JURISDICTION, ou DES DEVX ENSEMBLE EMBRAS-
„ SE TOVTE L' OECONOMIE DE LA CONDVITE DE L'
„ EGLISE. Ces differentes functions, s' etendent tant ſur le
„ Corps naturel de notre Seigneur, qui nous eſt donne dans le
„ Divin Sacrement ... que ſur ſon corps miſtique, qui eſt l'AS-
„ SEMBLEE des fideles dans une meme Bergerie, ſous un me-
„ me Paſteur invitible, qui eſt Jeſus Chriſt, & ſous un meme
„ CHEF VISIBLE, qui eſt le centre de l' unite cath·lique.
„ Elles comprennent la GARDE du ſacre DEPOT de la DO-
„ CTRINE, le POUVOIR D' EN JVGER, & enfin la poli-
„ ce, & la diſcipline de l' Egliſe, que le Saint Eſprit a com-
„ miſe AVX SEVLS MINISTRES DV REGNE SACERDO-
„ TAL DV FILS DE DIEV... Ces paroles (Apoſtoli
„ Pauli : attendite vobis &c.) font voir clairement, que le
„ pouvoir des Eveques s'etend ſur tout le troupeau de Notre
„ Seigneur ſans exception des perſonnes, ni des conditions,
„ que le Saint Eſprit le leur a donne immediatement... Il nous
„ ſeroit facile de juſtifier cette doctrine par quantite d' autres
„ paſſages formels de la ſainte Ecriture, par la Tradition con-
„ ſtante de toute l' Egliſe, par tous les Auteurs.. & de mon-
„ trer par un Decret ſolemnel de la Faculte de Teologie de
„ Paris de l' an. 1617. contre l' Eretique de Dominis, que l'
„ opinion contraire eſt heretique, & qu' elle renverſe tout l'
„ ordre de la Hietarchie. Puis donc qu' il eſt vrai, que le
„ Saint Eſprit a donne la conduite de l' Egliſe aux Eveques, &
„ que perſonne ne ſe doit attribuer cet honneur, s' il n' eſt
„ appelle de Dieu pour cela, comme le fut Aaron : que ce
„ pouvoir eſt d' un ordre ſurnaturel, & divin ; ſans doute
„ ceux à qui notre Seigneur ne l'a ni PROMIS, ni DONNE
„ dans L' EVANGILE, NE SE LE PEUVENT ATTRIBVER
„ ſans une uſurpation ſacrilege. Or le Regne ſpirituel, que
„ notre Seigneur a etabli dans le monde, & qui pourtant n'eſt
„ pas de ce monde, n' a rien diminue de l' autorite qu'avo-
„ ient les Princes, qui regnoient ſur la terre &c. „ Tom. XII.
Actor. Cleri Gallic. pag. 727. ſqq.

poteſtatem [1] Romanus Pontifex, adminiſtrari etiam a ſacris Antiſtitibus, iiſque Regni ejuſdem gerendi munus, ac tuendæ politiæ Eccleſiaſticæ, juriſque dicendi eſſe divinitus poteſtatem datam, adeo ut qui contra pugnent, condemnandi ſint hæreſeos crimine. Audin' *ſubordinationem*? Audin' *Caput Eccleſiæ*? Audin' *Capitis* ejuſdem, *Centrique unitatis ſupremam poteſtatem*? Audin' *auctoritatem* Eccleſiaſticam non obnoxiam laicæ? Audin' *potentiam*, *Regnum*, *Imperium* Chriſti viſibile, quod ſub uno aſpectabili Capite, ordinatione, decreto, voluntateve Dei, Epiſcopi moderentur, ac regant? Audin' denique, ut hæreſeos condemnentur crimine ii, qui contra ſentiant?

Gallos, qui Pufendorſianam doctrinam rejiciant, aegre laturos, quae de Regiminis Eccleſiaſtici forma Febronius ſcribit, oſtenditur.

XXIX. Sed tradi hæc ab Gallis, facile te conceſſurum, inquies. Quid? Negeſne vera, atque catholica ſcribi a Pufendorſio? Non equidem, eſſe te negaturum, credam. Nam vera ipſum, planeque catholica ſcripſiſſe, non aperte modo, ut animadverti, ſed

---

(1) Anno 1700. Archiepiſcopus Remenſis in ea Oratione, quam Cleri nomine habuit ad Ludovicum XIV. Regem, meminit „ de la ſupreme puiſſance, que les ſouverains Pontifes ont „ dans l' Egliſe „. Addit: „ Les Eveques ſeront ecoutez, & „ honorez comme etablis par le Saint Eſprit, pour regir l' „ Egliſe de Dieu, & les Eveques ecouteront, comme ils le „ doivent, avec une profonde veneration le Succeſſeur de „ S. Pierre, qui eſt le Chef viſible de cette Egliſe ſainte &c. „ Ibid. pag. 836. Confer præterea Orationes nomine Cleri ad Reges habitas an. 1617. Ibid. pag. 425. an. 1650. Ibid. pag. 573. ſq. an. 1656. pag. 638. & pag. 645. ſqq. & pag. 660. ſq. & an. 1665. p. 718. ſq. an. 1670. p. 758. & an. 1566. pag 739. ſq. & an. 1690. p. 812. ſqq. &c.

ſed ſæpe etiam prædicas. An vera quoque tradi ab Gallis fatebere? Quo demum modo, ſi horum dicta tam adverſantur ſententiæ Pufendorfianæ, ut cum ipſa componi nullo pacto poſſint? Age vero que pugnantia ſunt, eane tu vera eſſe defendes? Atqui, ut axioma certiſſimum Boſſuetii poſtulat, is, qui pugnantia concedit, non *excuſationem* affert juſtam erroris ſui, ſed *probationem*.

Atenim iſtud, inquies, eſſe te poſtmodum conſideraturum: Interea ſatis eſſe tibi, quod Galli tuam, de formis Regiminum Ariſtotelicis in Eccleſiam abſurde cadentibus, opinionem non moleſte ferant (1). Nimium fidenter id quidem. Quid? Mauclerumne (2), Coeffeteaum Epiſcopum Maſſilienſem (3), Sauſſajum, Iſambertum, Frogerium, Chartonum (4), Harlæum etiam Archiepiſcopum Rotomagenſem (5),

cu-

(1) Vide p.188. hujus Vol. Febronii locum ajentis: „ Hæc, „ puto, nullum Gallum offendent „.

(2) Hujus eſt opus ingens inſcriptum: de Monarchia Divina, Eccleſiaſtica &c.: editumque Pariſiis an. 1622.

(3) Edidit is an. 1623. Pariſiis „ Pro Sacra Monarchia Ec- „ cleſiae Catholicae Apoſtolicae, & Romanæ adverſus Rempu- „ blicam Marci Antonii de Dominis quondam Archiepiſcopi „ Spalatenſis, libros quatuor „. Fuit idem Theologus Pariſienſis, Regique Chriſtianiſsimo a Concionibus primum, deinde a publicis, & ſanctioribus Conſiliis, Maſsiliensisque Epiſcopus designatus.

(4) Ab his, qui magna in exiſtimatione erant apud Cives ſuos, laudatum opus Mauclerii fuit, velut ex ipſorum adprobationibus eidem operi inſertis liquet.

(5) Franciſcus Harlaeus Archiepiſcopus Rotomagenſis Norman-

cujus opus laudatum a Clero Gallicano fuiſſe vidimus (1); alios denique, quos ne numerare quidem vacat, exiſtimas, non fuiſſe id graviter laturos, ſi viverent? Atqui hos pro Eccleſiaſtica Monarchia pugnaſſe conſtat. Verum age, nega, te his, etſi Gallis, adjuncturum fidem: a Nataline Alexandro diſſenties, quo tu prodromo, ac duce gloriare? Sed is Eccleſiaſticum Regimen *Monarchicum* eſſe, confitetur, *temperatum Ariſtocratia*. Nam in IV. Diſſertatione in Hiſtoriam Seculi I. §. 11. *demonſtraturus Primatum Romani Pontificis* (2) ,,. Chri-
,, ſtus, inquit, Eccleſiam fundavit in æter-
,, num tempus duraturam: Ergo in ipſa
,, inſtituit perpetuam Regiminis formam,
,, quæ non in Sancto Petro dumtaxat, ſed
,, in

manniae Primas Lib. III. Apologiae Evangelii pro Catholicis, ad Jacobum Majoris Britanniæ Regem Edit. Pariſ. an. 1625. p. 711.
,, De MONARCHIA, inquit, Chriſtiana, ac de Eccleſiae
,, Capite viſibili; quodque non Laicorum, ſed Sacerdotum ſit
,, in Eccleſia docere, ac de Divinis rebus diſputare ... quid-
,, quid ACEPHALI garriant, fatendum eſt, aliquod eſſe viſi-
,, bile in viſibili Eccleſia Caput, quod pedibus dicere non poſ-
,, ſit, non eſtis mihi neceſſarii, ac per conſequens pedum mi-
,, niſterio indigens ad totius corporis REGIMEN.. Id autem
,, Caput haud aliud certe eſt, quam Caput Chriſto Vicarium,
,, quod Petro ſucceſſit. Habemus igitur ex hoc loco contra
,, noſtri temporis Acephalos, ideſt Sectarios, quoddam Eccle-
,, ſiae Caput, quod non eſt Chriſtus.. Habemus igitur Vrba-
,, num VIII. (nunc jure eodem dicam, PIVM VI.) Pontificem
,, Max. eſſe Eccleſiæ Chriſti Caput, quippe qui in Apoſtolicum
,, Thronum canonice evectus eſt. Ejice igitur foras ACEPHA-
,, LOS. Si vicerint, morimur, ut a Populo Tyrio acclama-
,, tum eſt in Concilio Tyrio, cujus Acta Actione V. Concilii
,, Conſtantinopolitani ſub Agapeto, & Mena extant ,,.

(1) Vide pag. 307. hujus Vol.

(2) Pag. 79. Tom. III. Edit. Lucen. an. 1749.

„ in ejus Succeſſoribus eluceret: At Regi-
„ men Eccleſiæ, EX CHRISTI INSTITUTIONE,
„ MONARCHICUM EST, QUAMVIS SIT ARISTO-
„ CRATIA QUADANTENUS TEMPERATUM: Ergo
„ debet eſſe PERPETUO MONARCHICUM. IN
„ MONARCHIA porro UNUS EXTAT SUPREMUS
„ PRINCEPS, QUI RERUM SUMMAM ADMINI-
„ STRET: Ergo IN ECCLESIA SUMMUM PRIN-
„ CIPEM EXTARE NECESSE EST, QUI ILLAM
„ REGAT. IS VERO EST ROMANUS PONTIFEX
„ SUCCESSOR PETRI, TOTA TRADITIONE CON-
„ SENTIENTE: Ergo Romanus Pontifex PRI-
„ MATUM ſuper Epiſcopos UNIVERSOS IN EC-
„ CLESIA OBTINET „. Quid? Gerſonemne, dices, non idem ac Natalem Alexandrum conſtituiſſe? At is in Opuſculo, quod inſcribitur *de Unitate* Eccleſiæ (1), „ NON PO-
„ TEST, *inquit*, lege ſtante, POLITIA EC-
„ CLESIASTICA, quæ eſt MONARCHICA, in
„ aliam transformari, ſicut in alia poli-
„ tia „. Quinetiam Petrus Alliacenſis *Monarchiam ſpiritalem* Petro fuiſſe collatam ſcribit in ea Quæſtione, quam *De Petri Eccleſia utrum lege gubernetur* (2), edidit „. Re-
„ ſpondeo, *inquit*, quod Petrus Apoſtolus,
„ ex Chriſti inſtitutione, fuit Caput, & ha-
„ buit Principatum Univerſalis Eccleſiæ,

 „ &

(1) Consider. IV, pag. 130. Tom. II. Opp. Edit. Antuerpiæ an. 1706.

(2) Tom. I. Opp. Gerſonis Edit. Antuerp. an. 1760. p. 663. ſqq.

„ & fuit in ea Pontifex Summus , & per „ conſequens ſpiritualis Monarcha ſupre- „ mus „ . Conſentiunt autem Almaynus (1), & Major (2), quos tu auctores ſequi conſueſti.

Sed oppugnatores ipſe tuos eluſurus, Natalis , ac Gerſonis loca , in quibus *titulus Monarchæ attributus* Petro *deprehenditur* , nihil tibi negotii exhibere jactas (3). *Reges*, inquis, *Luſitaniæ*, *Hiſpaniæ*, *& Galliæ ſunt Monarchæ abſolute*, *& illimitate tales*. *Rex Magnæ Britanniæ* , *etiam dicitur* , *& vere eſt Monarcha* ; *ſed deſtituitur poteſtate leges condendi*, *& tributa imponendi*. *Reges Sveciæ*, *& Poloniæ adhuc magis arctata poteſtate fruuntur*. Quid hoc ad rem ? An quia Rex Britanniæ poteſtate ea, cujus meminiſti, caret. idcirco dici *vere Monarcha* non poteſt ? Nihil minus, inquis. Ex eo igitur, quod arctiore poteſtate præditi Britanniæ , Poloniæque Reges ſint, & nihilominus Monarchæ & ſint, & dici apte, vereque poſſint, quibus tu machinis extundes, Monarcham non eſſe Eccleſiarum Pontificem ? Immo ſi qua tuæ iſti argumentationi vis ineſt, ea ſane con-

(1) De Poteſtate Clavium Fol. V. ſq. T. 1I. Edit. Opp. Pariſ. an. 1512.

(2) Johannes Major in Cap. XVI. Evang. Matth. p. 60. verſa Edit. an. 1518.

(3) Febr. Tom. 1I. Adv. Quatuor Theol. Art. 1I. p. 179. Edit. Francof. an. 1770.

contra efficiet, Pontificem, qui Caput, qui Primas, qui Gubernator, qui Rector Chriſtianorum ſit, etſi non tam ampla, quam nos velimus, auctoritate præſtaret, dici tamen recte, eſſeque vere Monarcham poſſe.

At enim addis: *Admittant Theologi Venetus, & Ubius reſtrictiones, ac terminos, quos Gerſo, & Natalis Alexander Romanæ Monarchiæ merito ponunt, & parum inter nos ſupererit diſſenſionis circa ſtatum Eccleſiae, de quo hic tractatur. Hoc neglecto tota Theſis de Sacra Monarchia in quæſtionem de nomine reſolvetur*. Ludiſne nos, mi Febroni? *De nomine*? An quæſtionem tu de *nomine* inter eos ortam dices, quorum alter Monarchiam Eccleſiæ Divinæ inſtitutionis defendat eſſe; alter tam non eſſe pugnet, ut formam Monarchicam non minus abſurde accommodari ad Eccleſiam, quam *pugnum ad oculum* contendat? Cuinam id te ſperas perſuaſurum? Quænam autem eſt cauſſa, cur tu *formam* ejuſmodi, nonniſi inepte attribui coetui Chriſtianorum poſſe arbitrere? Puſendorfii certe ſententia. Nam eam tu unam, dum hac de quæſtione agis, laudas, ac veram, catholicamque pronuncias eſſe, ut ante monui. Quid? Sententiam ne Puſendorfii tot hæreſibus, ut eſt demonſtratum, ſcatentem, adimentemque Eccleſiæ quamcumque Regimi-

 nis

nis formam, quovis decreto, ordinationeve inductam, verbo diſcrepare a Gerſonis, & Alexandri doctrina, re congruere defendes? Ecquis Catholicorum eſt, qui de voce altercari eos judicet, quorum Pars (ita ut fit a Pufendorfio) poteſtatem Clavium, contra atque definitum a Concilio Tridentino eſt, tollat; omni Epiſcopos auctoritate, *praeminentiaque* privet; Pontificem Maximum nihil plus divinitus accepiſſe, quam Chriſtianorum quemque, exiſtimet: Pars contra, Clavium poteſtatem; Epiſcoporum auctoritatem; Præeminentiam Papæ, ac jura agnoſcat, ut ab Alexandro, Gerſonioque fuiſſe agnita, plane liquet? De finibus, quibus Monarchiam Eccleſiaſticam contineri Scriptores iidem duo Galli arbitrantur, alibi erit nobis ex inſtituto agendum. Tum vero multo etiam planius quiſque perſpiciet, non de verbis te ab iiſdem Gallis, ſed de rebus maximis totis ſententiis diſſidere.

Interea (ne putes, hos tantummodo, quos nominavi, offendi potuiſſe doctrina de Regiminum formis tua) ſic habeto: Sacra Theologica Pariſienſis Facultas iſtud quidquid eſt doctrinæ damnat hereſeos nomine. Negas? Accipe, quæ ipſa anno 1617. in Marci Antonii de Dominis Archiepiſcopi olim Spalatenſis, poſt Hæreſiarchæ *Rempubli-*

blicam Eccleſiaſticam edidit (1). Scilicet hanc illa Spalatenſis ejuſdem propoſitionem & Lib. I. Cap. III. n. XVIII. expreſſam: *Diſparitatem Poteſtatis inter Apoſtolos eſſe humanum inventum in Sacris Evangeliis, & Divinis Novi Teſtamenti Scripturis minime ſubſiſtens*: hanc, inquam, propoſitionem ſic illa notat: EST HÆRETICA, &c. *de jurisdictione Apoſtolica ordinaria*, QUÆ IN SOLO *D. Petro ſubſiſtebat, intellecta.* Eadem Sacra Facultas propoſitionem Spalatenſis alteram, de MONARCHIÆ *forma non* IMMEDIATE IN ECCLESIA A CHRISTO INSTITUTA: hujuſmodi cenſura configit [2]: HÆC *propoſitio eſt* HÆRETICA, SCHISMATICA, ORDINIS HIERARCHICI SUBVERSIVA &c. Tertiam e Cap. XII. num. V. quæ ſic habet: *Doctrina in Articulis Johannis Hus contenta, nimirum non dari in Eccleſia unum Caput ſupremum, & Monarcham, præter Chriſtum: Chriſtum ſuam Eccleſiam per multos Miniſtros*, SINE UNO ISTO MONARCHA MORTALI *regere perfecte, & gubernare, eſt doctrina catholica a Sanctis Patribus egregie explicata, & confirmata*: ſic ſacra ipſa Facultas damnat: HAEC PROPOSITIO EST HÆRETICA, QUO AD SINGULAS PARTES. Quid ais? Annon videtur tibi Spalatentis ſua iſta portenta opinionum, quæ Pariſienſis Schola ut hære-
tica

(1) Confer ejus Sacræ Facultatis cenſuram apud Harlæum Apolog. Evang. Lib. I. pag. 215. Edit. Pariſ. an. 1625.
(2) Ibid. pag. 216.

tica merito rejicit, catholica apellare, quemadmodum catholicam tu appellas Puſendorfii a Sancta Synodo Tridentina, hoc eſt ab Eccleſia Orthodoxa, anathemate confixam, ut eſt demonſtratum, ſententiam? Sed quartam, rogo, Apoſtatæ Spalatenſis propoſitionem attendito. Eſt hæc omnino: *Si quid incommodi* HABET ARISTOCRATIA, *cui* MONARCHIA FACILE POSSIT OBVIARE, *Eccleſiam ſpiritu Chriſti inſtructam, propterea & in ſingulis voluiſſe Monarchiam*, ET IN SE TOTA ARISTOCRATIAM. Ades nunc animo, & Sacræ Facultatis cenſuram conſidera: HÆC PROPOSITIO (inquit Sorbona, quæ ipſa Facultas Pariſienſis Theologica eſt) *Hæc propoſitio eſt* HÆRETICA, & SCHISMATICA, QUATENUS VULT ECCLESIAM UNIVERSALEM SECUNDUM SE TOTAM ESSE ARISTOCRATICAM. Eſt quinta propoſitio Spalatenſis hujuſmodi: *Pariſienſium doctrina enucleate intellecta, nihil diſcrepat a mea his Libris tradita doctrina, & ab ipſa veritate.* ET paulo poſt: *Schola itaque Pariſienſis, & noſtra eſt, & reipſa poteſtati* STUDET ARISTOCRATICÆ, NON-MONARCHICÆ. *Quare ex ejus quoque doctrina, Papatus nullo poteſt ſolido ſubſiſtere fundamento.* Mihi quidem certe Spalatenſis videtur præiviſſe tibi ajenti, Gallos in ea verſari, quam tute tuere, ſententia. Sed audi Academiæ principis earum, quæ in ampliſſimo Regno Galliarum vigent,

de

de hac Apoſtatæ illius propoſitione judicium: MERA, inquit Academia, MERA EST CONTRA FACULTATEM PARISIENSEM IMPOSTURA [1]. Poſtrema hæc eſto Spalatenſis propoſitio: *Si quis opponat, in Concilio Conſtantienſi fuiſſe Wicleſi, et Huſſi Articulum de Primatu Papæ ab eis negato condemnatum &c. Reſpondemus, patres Concilii Conſtantienſis* MONARCHIAM ECCLESIASTICAM TENUISSE, & COMMUNISSIMO JAM ERRORE FUISSE INFECTOS. Tam hæc quinque poſtrema Spalatenſis Monarchiam Eccleſiaſticam negantis verba ſimilia ſunt tuorum, ut eadem tu ex Quarto ejus *de Republica Libro* non ſemel deſcripſiſſe videare. Nihil enim offenditur in opere tuo crebrius, quam acris reprehenſio Monarchiæ Eccleſiaſticæ defenſorum. Quid autem Sacra Pariſienſis Facultas? *Hæc propoſitio* Spalatenſis, inquit, *quoad ultima verba eſt* HÆRETICA. Abi modo Febroni, & Gallos ea, quæ tu de *Formis Regiminum* ſcribis, non ægre laturos, ita ut hactenus conſueſti, fidenter, ſi potes, gloriare.

Quid? Ad eorumne Clerum provocabis? Sed nihil eſt, mihi crede, cur confidas, tuam ipſum de *Formis* ijſdem opinionem æquiore animo paſſurum. Meminiſti enim, quam is ſtrenue *Monarchiam Eccleſiæ ſacram* tuca-

(1) Ibid. pag. 221.

tueatur, quæ *ſuum Statum habeat*, *ſuas leges*, *ſuam politiam*, *ut ſupremi Potentatus ceteri*, *integramque juriſdictionem ſuam*, *quam nonniſi ex ſe repetat*, *exque cælitus ſibi tradita poteſtate*, *qua ipſi impediri*, *illæſo Gentium*, *Divinoque jure*, *non poſſit* (1). Fac autem illud tibi perſuadeas, tam ei Clero penitus id doctrinæ genus inſediſſe, ut ſententiam de *Regno*, ſeu Monarchia ſpiritali in terris, certiſſimi dogmatis loço ducat; id, quod apertiſſimis Sacræ Scripturæ, & conſtantis Traditionis monumentis, teſtimoniiſque Scriptorum demonſtrare ſe poſſe confirmat, *oſtendereque ſolemni an.* 1617. *Facultatis Theologicæ Pariſienſis Decreto adverſus hæreticum Marcum Antonium de Dominis*, *contrariam opinionem eſſe hæreticam*, *ac Hierarchici Ordinis ſubverſivam* (2). Quas vero propoſitiones Marci Antonii de Dominis *hæreticas*, ac *Hierarchici Ordinis ſubverſivas* Academia Pariſienſis dixerit, ſupra docui. Sed exciderat ea mihi, quæ extat in ejuſdem Spalatenſis Apoſtatæ Lib. II. Cap. X. n. XLII. Ipſam nunc, accipe. Eſt autem hujuſmodi: *Monarchiam ſemper Chriſtus a ſua Eccleſia amovit*, *& eam ipſam Eccleſia eſt abominata*. Quæres, arbitror, quæ in hanc item a Sor-

(1) Tom. VI. Actor. Cleri Gallic. pag. 5. Tractat. de Juriſd. Eccl. Part. I.
(2) Vide ſupra pag. 368. ſq. hujus Vol.

a Sorbona fuerit lata cenſura. Hem, ſuccurrit: *Hæc propoſitio eſt hæretica, ſchiſmatica, & Ordinis Eccleſiaſtici perturbativa, & ſubverſiva* (1). Jam de Gallis pluribus egi fortaſſe, quam neceſſe fuerit.

§. X.

Eadem Pufendorſii doctrina ab ceteris quibuſque Eccleſiis Orthodoxis, ut fidei Catholicæ repugnans, reprobatur.

XXX. DE Italicis Eccleſiis ne tu quidem, Febroni, dubitas. Itaque has mittam. De ceteris longum eſt dicere, cum tam multæ ſint. Hoc dicam breve: eſſe mihi earum Synodos, Catechiſmoſque in promptu, e quibus plane perſpicitur, Catholicæ fidei dogma poſtulare, ut Epiſcopi ſub uno Viſibili Capite Romano Pontifice, quam tenent Rei Chriſtianæ publicæ partem, gerant, ac juriſdictione, qua gerant, polleant. Quemadmodum autem fidei dogma id poſceret, niſi conſtitutum eſſet ordinatione Dei; Eccleſiæque ipſi Catholicæ divinitus manifeſtatum, edictumque eſſet? Jam vero hoc dogmate, quotuſquiſque non videat, everti funditus, ut inimicam Ortho-

De Italicis Eccleſiis non dubitat Febronius. Ceterarum ſunt nobis Catechiſmi, Synodorumq; Decreta in promtu, quæ demonſtrant, quam ipſa Pufendorſiano dogmati adverſentur. HoſceCatechiſmos, atque hæc Decreta, si opus fuerit, afferemus.

(1) Apud Harlaeum loco ſupra indicato pag. 219.

thodoxæ fidei, Puſendorfianam, quam ſupra deſcripſimus, de *forma Regiminis Eccleſiaſtici nullo Decreto introducta*, doctrinam? Quod ſi hoc illud de Epiſcopis ſub uno Capite dogma contineri Catechiſmis, Synodiſque, ut dixi, inficiere; ea equidem proferam. Sed non audebis, opinor. Inficiari enim aperte qui audeas, niſi Orthodoxorum omnium clamore, ſolemnibuſque totius Corporis Eccleſiæ decretis, e numero expungi velis Orthodoxorum? Quid porro poteſtatis Eccleſiæ Capiti ineſſe, coetus quique Catholicorum credant, alio loco accurate, atque opportunius demonſtrabitur.

§. XI.

Puſendorfianam doctrinam non ſolum Græci Schiſmatici, ſed ne Proteſtantes quidem magnam partem ferendam cenſent.

Graeci Schiſmatici, etsi Pontifici Romano principatum in Eccleſia jure divino conceſſum errantes negent; certam tamen a Chriſto inductam Eccleſiae gerendæ formã credunt, credendamque docent, contra atque Puſendorfius velit.

XXXI. De Græcis ſic habeto. Quamquam Primatum cuiquam in Eccleſia divinitus datum, errantes negent; certam tamen Rei Chriſtianæ publicæ gubernandæ formam, ſententia, ſeu voluntate, ſeu decreto Chriſti, inductam docent, fideque divina credendam judicant. Nam Epiſcopos a Spiritu Sancto poſitos affirmant eſſe, qui ſuas

ſuas Dioeceſes, poteſtate ipſis cælitus tradita, moderentur. His autem conceſſis rebus, facile quiſque intelliget, Pufendorſianam ſententiam nullo modo poſſe conſiſtere. Ac Synodi quidem a Dionyſio Patriarcha an. 1672. Conſtantinopoli habitæ hæc fuit ratio: „ περὶ τοῦ τὴν ἀρχιερωσύνην ἀναγκαίαν εἶναι, de Epiſcopatu (ſeu *Principatu Sacerdotii*) *an neceſſarius ſit*, reſpon„ demus, ipſummet Pontificem Magnum, „ qui penetravit caelos, *poſuiſſe in Eccleſia* „ *Paſtores, & Doctores*, ut ait Apoſtolus, *ad* „ *conſummationem Sanctorum in aedificationem* „ *Corporis Eccleſiaſtici*. Quam igitur NECES„ SARIA ἀναγκαῖα eſt ædificatio Corporis „ Eccleſiaſtici, τοσοῦτον ἀναγκαιότερα ἐστιν „ ἡ ἀρχιερωσύνη. TANTO MAGIS NECESSARIUM „ eſſe Epiſcopatum (ſeu *Sacerdotii principatum*) liquido demonſtratur, per quem „ ſacra ejuſmodi ædificatio conſummatur. „ Neque vero id, quod ſcriptum eſt, *Chriſtum eſſe Pontificem in aeternum juxta ordinem Melchiſedech*, alia ratione, quam per „ Vicarios ejus Sacerdotes impletur, quorum miniſterio jugiter ipſe ſacrificat, & „ ſacrificatur. Sacerdotes porro conſecrare ita Pontificiæ dignitatis eſt, ut niſi „ Epiſcopus, nemo hominum (inquit ſacer „ Dionyſius) ne Sacerdos quidem id poſſit; „ quippe ex inſtitutione functionum Hierar-

„ chi-

,, chricarum ad id muneris minime deputa-
,, tus ... Lege Presbyteris PRÆEST ἐφίσταται
,, Epiſcopus, utpote qui divinam eo confe-
,, rente gratiam conſequantur; atque ſub ejus
,, auctoritate dumtaxat, ac regimine ſacra
,, perficiant. A majori enim benedicitur
,, id, quod minus eſt, eique in omnibus
,, ὑποκείμενον ἐστι, SUBJACET [1] ,,. Synodus etiam Hieroſolimytana ſub Doſitheo Patriarcha an. 1672. celebrata: ,, Ita, in-
,, quit, neceſſarium ducimus Epiſcopatum,
,, ut eo ſubmoto neque Eccleſia, neque
,, Chriſtianus aliquis eſſe, aut dici poſſit...
,, Unde & ad Epiſcopalis dignitatis enco-
,, mium pulchre nonnulli dixere: quod
,, Deus in cæleſti primogenitorum Eccle-
,, ſia eſt, & ſol in mundo; hoc in ſua
,, quemlibet Eccleſia Epiſcopum obtinere...
,, Tranſiſſe autem ſucceſſione continua ad
,, nos uſque magnum Epiſcopatus Sacramen-
,, tum, & dignitatem, manifeſtum eſt. Cum
,, enim dixerit Dominus, futurum ſe no-
,, biſcum uſque ad conſummationem ſeculi,
,, ut aliis nobiſcum ſit gratiæ, beneficiorum-
,, que ſuorum modis, præſtantiori tamen
,, modo per ſacrum Epiſcopatus perfectio-
,, nis principatum nobiſcum eſt.... Tertul-
,, lianus Epiſtola ad Papianum Epiſcopos
,, omnes

(1) Tom. XI. Concillor. pag. 278. Edit. Pariſ. an. 1714.

„ omnes Apoſtolorum vocat Succeſſores.
„ Horum ſucceſſionem, & τὴν ἀποστολικὴν
„ ἀξίαν APOSTOLICAM DIGNITATEM, &
„ ἐξουσίαν POTESTATEM Euſebius Pamphili,
„ & omnes prorſus Patres. teſtantur...
„ Epiſcopus divinorum myſteriorum, gra-
„ tiarumque fons, per Spiritum Sanctum,
„ uti jam diximus, exiſtit.. atque ex pri-
„ maria ratione.. ipſe ligat & ſolvit.. pu-
„ blicanos ab Eccleſia ejicit, hæreticoſque
„ excommunicationi, & anathemati ſubji-
„ cit.. Ex quibus evidenter conſtat, Sa-
„ cerdoti præſtare Epiſcopum, quo defi-
„ ciente, nec omnes, qui in mundo ſunt
„ Sacerdotes paſcere Eccleſiam poſſunt,
„ nec omnino gubernare [1] „. Ita cum adverſus ἀσέβειαν *impietatem* Calvinianam Græci judicaſſent; tum inde intelligi demonſtrarunt, unam aliquam *formarum Regiminis* earum, quas tu ceu *Ariſtotelicas* deſpicare, in Rem Chriſtianam publicam cadere. Atque Doſitheus is, cujus opus *de Primatu Papæ* editum Giaſii in Moldavia an. 1692. fuit, quique primas in Hieroſolymitana illa ſchiſmatica Synodo partes tenuerat, Eccleſiae Catholicae gubernandæ rationem μεγαλοπρεπέστερον *majore majeſtate* præſtantem agnovit; neque *democra-*

 ticam

(1) Ibid. pag. 242. ſqq.

ticam dixit eſſe, ſed *ariſtocraticam*, propterea quod Caput Eccleſiarum Pontificem Romanum ordinatione divina conſtitutum non eſſe, errans defenderet (1). Nam ſi Primatem Eccleſiæ divino jure Pontificem eſſe credidiſſet; conceſſiſſet ille quidem *Monarchiam* ſaltem *Ariſtocratia* temperatam; non tibi aſſenſus, neve ſecum pugnans, reſpuiſſet. Qua ex re plane perſpicis, non modo *impietatis* loco haberi a Græcis Puſendorfianam illam, quam tu veram affirmas eſſe, *catholicamque ſententiam*; ſed ea quoque refelli, quæ tute miſces de *formis Regiminum*, deque *Majeſtate*.

Proteſtantium pars magna contra Puſendorfianam ſententiã pugnat; ſunique eorum aliqui qui ipſã in erroribus numerent.

XXXII. Extremum eſt, ut de Proteſtantibus nonnihil dicam. Noſti, quam horum plerique in Eraſtum Pſeudo-Theologum Heidelbergenſem, inque Eraſtianos commoti fuerint. *Cenſebant* autem *Eraſtus*, *Socijque*, *Eccleſiæ nullum Regimen, nullam ſententiæ dictionem, nullum forum, nullam poteſtatem verbum Dei per cenſuras, excommunicationem imprimis, adplicandi a Chriſto datam eſſe. Poteſtatem Clavium in ſolo verbi præconio conſiſtere, & Eccleſiam Magiſtratui Chriſtiano ſubjectam, omnem, quam uſurpat diſciplinæ auctoritatem ex mera Magiſtratus delegatione uſurpare, cum omnis politia externa, omne Regimen*,

(1) Sect. IV, pag. 120. ſqq.

men , & omnis coetuum minorum poteſtas in Republica a Majeſtate derivari , & in eamdem refundi debeat (1) . Eſt autem ex his manans , ut ante docui , Pufendorfiana illa ſententia , quam *veram* , atque *catholicam* eſſe pugnas . Eadem Remonſtantibus Semiſocinianis hæreticis Batavis , Colemannianiſque in Britannia placuere . In hos Theodorus Beza Genevenſium pſeudopaſtor , Giſbertus Voetius Batavus , Johannes Henricus Heideggerus (2) Hevetius , factioque Proteſtantium Gomariſtarum , ut in Evangelii oppugnatores , everſoreſque excanduerunt. Notiora hæc ſunt , quam ut implicari a quoquam , involvique tenebris

 poſſe

(1) Ita Johannes Henricus Heideggerus in Corpore Theologiæ Chriſtianæ Loc. XXVII. Sect. I. §. XCIII. pag. 606. & §. CXXX. pag. 626.

(2) Vide , quae adnotavi in IV. Antiquitatum Chriſtianarum Volumine pag. 76. in Adnotat. Gisbertus Voetius in Politiae Eccl. Parte II. Tom.I. Lib.II. Tract. I. de Miniſterii Neceſsitate &c. Cap.IV. §. III. pag.249. Edit. Amſtelod. an.1669. poſt allata quædam Scripturarum Novi Teſtamenti loca : „ His „ ita poſitis , inquit , rejicimus ERRORES eorum , qui PECCANT... in defectu , minus poteſtatis , aut nullam Miniſtris „ tribuendo . p. 251. In defectu peccant I. ÆQUATORES, qui „ exemplo Corah, Datan, Abiram in poteſtatem Aaronis, & Moſis „ inſurgunt , & ochlocratiam in Eccleſias , ac Politias invectam velint . . . quorum opinioni affines ex parte , qui olim „ in Gallia agitabant dicentes , poteſtatem Miniſterio in Regimine Eccleſiarum illic tributam ad corpus Eccleſiæ , ſeu ad „ multitudinem pertinere . . . II. Omnes profani , & carnales „ ſub Chriſtiano nomine doctrina , aut vita minime Chriſtiana „ profeſsionem ſuam , & Chriſti Eccleſiam dehoneſtantes . . . „ III. ERASTVS cum ſequacibus (hodiernis ſcilicet Eraſtianis) , & Remonſtrantes tum aperti , tum cryptici „ . Confer quæ ſequuntur . Quæ , ſi opus fuerit , integra deſcribam; quemadmodum etiam , ſi ratio poſtularit , afferam reliquorum Scriptorum ſive Lutheranorum , ſive Calvinianorum hac eadem de re teſtimonia .

poſſe videantur. Neque vero ab iis ſolum, ſed a Lutheranis etiam permultis repellitur Remonſtrantium, reliquorumque Heterodoxorum generis ejuſdem doctrina, Regimen Eccleſiæ quodvis negantium. Qui etiam Lutherani, ut Calviniani plerique Democraticum Regimen averſati, cum Ariſtocraticum probent (1), etſi a Catholico dogmate, de Romano Pontifice Eccleſiæ Capite divinitus conſtituto, recedant, Pufendorfianam tamen ſententiam, quæ *vera* abs te, atque *catholica* dicitur, ut Evangelio diſcordem reſpuunt. Quid? Si ſunt Lutheranorum aliqui, ac fuerunt, qui unum Eccleſiæ univerſæ Dei voluntate præfectum vellent, in quibus eſt Godefridus Guillelmus Leibnitzius, qui ſic habet: „ Cum Deus ſit „ Deus

(1) In his eſt Johannes Conradus Dañhaverus, qui in VIII., quæ eſt de Hieroſolymitano Apoſtolorum Concilio, Diſputatione. Art.IV. §.XXVII. pag. 168. Theologicar. Diſputation. Edit. Lipſ. an. 1707. „ Rectius, inquit, ſentire putamus eos, qui „ multos in hoc Concilio (Apoſtolico) præſides fuiſſe ſtatuant, „ de quo vide D. Hulſemannum Breviarii Cap. XVIII. Th. 10. „ quo hoc ipſo demonſtrarent, Eccleſiæ Regimen in his terris „ ariſtocratico analogum futurum eſſe. Non loquimur autem „ hic de omnibus requiſitis formæ ariſtocraticæ. Naque enim „ Miniſtri Eccleſiam in his terris regentes abſolutam poteſtatem habent; ſed limitatam ſolummodo, dependentem a ſummo Monarcha Chriſto. Verum de forma ariſtocratica analogice ſic dicta, hoc eſt de ejuſmodi Regimine, & præſidentia in „ Eccleſiis, convenientiam quamdam cum forma Ariſtocratica „ habente (agimus) & hanc optamus, & defendimus ex hoc Concilio „. Adde Danielem Chamierum, Panſtratiae Lib. IX. Cap. II. Tom. II. §. V. pag. 289. ſqq. & Cap. VIII. pag. 301. ſqq., qui etiam Lutheranos pro Ariſtocratia contra Democratiam pugnare ſcribit. §. IV. Confer ceteros, in iiſque Calvinum, quorum indicavi loca T. V. P. I. Antiquitatum Chriſtianar. in not. pag. 12. ſqq.

„ Deus Ordinis, & corpus unius Eccleſiæ „ Catholicæ, & Apoſtolicæ uno Regimi„ ne, Hierarchiaque univerſali continen„ dum JURIS DIVINI ſit; conſequens eſt, „ UT EJUSDEM SIT JURIS SUPREMUS IN EO „ SPIRITALIS Magiſtratus terminis ſe *juſtis* „ *continens* (hæc verba nunc addo) dire„ ctoria poteſtate, omniaque neceſſaria ad „ explendum munus pro ſalute Eccleſiæ „ agendi facultate inſtructus; tametſi Lo„ cus, ac Sedes hujus poteſtatis in Metro„ poli Chriſtiani Orbis Roma ex humanis „ conſiderationibus placuerit (1) „. Ita ille quidem. Sed ejus poſtrema verba cum ſuperioribus cohærere ne Salomon quidem Deylingius Lutheranus putat. Quare *miratur Leibnitzium in eam devenire potuiſſe opinionem, Regimen Monarchicum in Eccleſia Univerſa juris eſſe Divini, licet Romanæ Sedis prerogativæ humani ſint juris* (2). Verum hac de re ſuo loco pluribus diſſeram. Interea hoc tenebo, Proteſtantes magnam partem non probare, neque vero pati; ſed de-

 teſta-

(1) In Epiſt. VIII. Tom. I. Epiſtolar. Edit. Lipſ. an. 1734. pag. 15. Vide & Epiſt. XI. n. II. p. 21. & Epiſt. XII. n. II. p.23.

(2) P. IV. Obſervation. Sacrar. Exercit. VI. pag.420. Edit. Lipſ. an. 1747. quæ Exercitatio eſt de Novitate Regiminis Monarchici in Eccleſia. Confer quæ de aliis, qui non diſsident a Leibnitzio, ſcripsi Tom. V. Antiq. Chriſt. P. I. pag.210. & 211. in Adnotationib. Vide etiam, quæ in hanc rem deſcripsi ibid. pag. 209. ſq. e Grotio. Nam is ſaniora demum consilia cepiſſe videtur. Secundo ne exitu? Cuperem equidem. Sed male metuo.

teſtari potius, atque in erroribus etiam ponere probatam tibi hæretici hominis, inque nos a te ipſo contortam ſententiam.

ſſ. XII.

Ex hactenus conſtitutis rebus, non componi quidem Febronij opera, ut ille blanditur ſibi, ſed turbari majorem in modum pacem, viamque ad nova diſcidia pandi liquet.

XXXIII. AGe vero cum Patres, cum Eccleſia Gallicana, cum Synodi Oecumenicae, adeoque Chriſtiana Reſpublica univerſa Scripturae, Divinarumque Traditionum auctoritate munita; cumque Græci Schiſmatici, parſque magna Proteſtantium iſtud dogmatis Pufendorfiani genus, quo tu, ac ſi catholicum ſit, quid de Regiminis Eccleſiaſtici forma ſentire quemque oporteat, ſtatuendum doces; cum, inquam, Gallicana Eccleſia, Synodi Oecumenicæ &c. iſtud dogmatis genus, ut inimicum Religioni veræ rejiciant, erroriſque condemnent; quam tu ſperes [veluti tertio quoque verbo gloriare] futuram opera tua inter orthodoxos, atque heterodoxos reconciliationem concordiae? Perturbare iſtud eſt, mihi crede, non componere; diſ-

diſſolvere majorem in modum, non coagmentare pacem. Quo enim, obſecro te, Proteſtantes, Schiſmaticos, male ſanos Catholicos illos, qui forte fortuna aſſenſi Pufendorfio fuerint, doctrina iſta, niſi eo præcipites aget, ut ad Eraſtianos, ac Remonſtrantes, novo ſchiſmate conflato, transfugiant, auctoque numero inimicorum, impetu majore Hierarchiam adoriantur? Moneri te patere, mi Febroni: conſidera etiam atque etiam, quid ſcripſeris: cave, ne qui exiſtant, qui, etſi modo hoc, modo aliud dicere videare, ſententiam tamen Pufendorfii ejuſdem *veram* eſſe, atque *catholicam* toties palam ajenti tibi illud non injuria opponant, quod objectum Conſtantio fuiſſe ab Hilario Pictavorum Epiſcopo legimus. ,, Unitatem procurat, ne pax ſit; Sacerdotes honorat, ne Epiſcopi ſint (1). Diſſenſiones, artifex, nutris.. Veterum turbator es, profanus novorum (2).. Tuis ipſis diſſides.. Novis vetera ſubvertis; nova ipſa, rurſum innovata emendatione reſcindis; emendata, iterum emendando condemnas [3] ,,. Confido autem plane fore, ut,

 ani-

(1) Lib. I. contra Conſtantium n. v. pag. 1241. Edit. Pariſ. an. 1693.
(2) Ibid. n. vi.
(3) Ibid. n. 23. pag. 1253.

hæc, quo ipſe ſcribo, eodem tu accipias animo; atque una laborem hunc certiſſimum indicem chriſtiani amoris erga te mei, ut non levem mihi, ſic tibi non inutilem fuiſſe confiteare. Vale. Kalendis April. an. 1776.

F I N I S.

IN-

INDEX EPISTOLARUM,

PARAGRAPHORUM, ET NUMERORUM.

EPISTOLA I.

I. *Haud æqua Febronius petere videtur: Roganti tamen ut in ſe agatur chriſtiane, Mamachius ſe non ſolum bona fide, ſed moderate etiam adeo ſcripturum pollicetur, ut nihil ſit dicturus, in quo ſit ſpecies ulla, ſuſpicioque injuriæ.* pag. 5

II. *Idem de Regimine viſibilis Eccleſiæ omnem ſibi, ait, quæſtionem fore, quod quidem Regimen evertiſſe Febronius videtur.* p. 31

III. *Numquam id ſe cum Febronio certamen fuiſſe initurum, teſtatur, ſi Febronius, Gallis ſe perpetuo aſſentiri affirmans, vera diceret. At contra rem eſſe. Febronium enim multa probare, quæ notanda merito ſint, quæque ab Eccleſia Gallicana erroris, aut hæreſeos arguantur.* p. 32

IV. *Febronium, niſi quandoque ſaltem ab Gallis diſſideret, ne ſpecie quidem conciliandorum Catholicis Proteſtantium, fuiſſe ſcripturum, animadvertit.* p. 33

V. *Febronium, ait, neque fuiſſe recte conciliatoris functum munere, neque egiſſe ordine,*

dine, ut his de rebus diſſerentem decebat. p. 45

VI. *Scriptoribus fidit Febronius non minus regibus, quam Eccleſiæ inimicis; ipſoſque jamdiu ab Eccleſia Romana damnatos auctores interdum ſequitur.* p. 84

VII. *Explicatur, quæ eſſe potuerint Febronianæ ſcribendi rationis cauſſæ; demonſtraturque, quam ejus opus ſit infeſtum Eccleſiæ, ac Regnis, quamque plenum periculorum.* p. 111

VIII. *Tuendi etiam civilis imperii cauſſa, ab orthodoxis ſcriptoribus ſuſcipienda oſtenditur eſſe, contra opus Febronii, Eccleſiaſtici regiminis defenſio.* p. 155

IX. *Exponitur, quid ſit Auctor ſequentibus Epiſtolis comprehenſurus.* p. 156

EPISTOLA II.

I. *FEbronius de Eccleſiæ Statu acturus, definitionem pretermittit Eccleſiæ. Quam id ab eo actum incommode fuerit.* p. 161

§. I.

Quid ſit Eccleſia.

II. *Negat Mamachius agendum ſibi de origine vocis Eccleſiæ eſſe, cum id ad inſti-*

tu-

tutum non conferat. Docet, convenire Proteſtantibus cum Noſtris non poſſe, niſi ante cognoverint, quid ſit Eccleſia. Proponit Eccleſiæ definitionem. p. 162

III. *Animadvertit præterea, quam longe Proteſtantes abſint ab admittenda Eccleſiæ catholica definitione.* p. 164

ſ. II.

Quid Febronius Eccleſiam eſſe putet.

IV. *Febronius, in priore ſuo volumine* de Statu Eccleſiæ, *non dat Eccleſiæ ipſius definitionem. Dat in ſuis* Pincipiis juris publici Eccleſiaſtici, *ſed ita mancam, ut, dum placet Proteſtantibus, Catholicis non ſatisfaciat. Quam inanis ſit ratio, qua ſe excuſat, cur mancam attulerit.* p. 165

ſ. III.

Quid Eccleſiam eſſe ſtatuant Gallicana, Genteſque orthodoxae reliquae.

V. *Gálli, ne exceptis quidem Appellantibus, ſic definiunt Eccleſidm, ut ejus viſibilis Ca tis Romani Pontificis mentionem non pretermittant.* p. 167

VI. *Idi-*

VI. *Idipſum ſit ab ceteris Catholicis Gentibus.* p. 178

§. IV.

Eccleſiam Collegium, non Statum eſſe, Febronius, Puſendorſium hæreticum hominem ſequutus, ſcribit.

VII. *Certam nullam Regiminis formam in Eccleſia dari Puſendorſius ſtatuit. Nam: Eccleſiam Collegium, non Statum eſſe, animadvertit. Hanc ſententiam Catholicam eſſe ait Febronius, eoſque inſectatur, ac vexat, qui contra ſtatuunt.* p. 183

§. V.

Ulla ne ſit certa a Chriſto inſtituta gerendæ Eccleſiæ ratio? Negat Puſendorſius. Hujus eſſe doctrinam hac de re veram, atque catholicam Febronius arbitratur: Febronii ſecum de re eadem certatio, quæ ſane afferre tegendi erroris excuſationem nullam poteſt.

VIII. *Tridentinæ Synodi, Scripturarumque Novi Teſtamenti auctoritate oſtenditur, Chriſtianæ fidei eſſe dogma, certam formam*

mam regendæ Eccleſiæ fuiſſe divinitus inſtitutam. p. 193

IX. *Quare negari id quidem ſine hæreſeos nota non poteſt. Negat autem Puſendorſius.* p. 200

X. *Pugnantia Febronius loquitur. Contradictio autem non excuſatio eſt erroris, ſed confirmatio.* p. 201

ſſ. VI.

Puſendorſianum de Forma Regiminis Eccleſiaſtici Syſtema proponitur. Id probans Febronius non liberat, quam dedit, fidem confirmandae perpetuo ſententiae cujuſque ſuæ auctoritate Majorum.

XI. *Agitur de ſententia Puſendorſii, quam Febronius appellat Catholicam; demonſtraturque, quam ſit ea, ex ejus Proteſtantis ſyſtemate, repugnans Eccleſiæ dogmati.* p. 207

XII. *De ſyſtemate Puſendorſiano continuatur oratio.* p. 212

XIII. *Puſendorſiani ejuſdem ſyſtematis Synopſis.* p. 225

XIV. *Effugia præcluduntur, quæ Febronius fortaſſe quæret, declinandæ cenſuræ cauſſa.* p. 230

XV. *Fidem Febronius non liberat. Non enim ad Scripturarum, Patrumque, ut promiſit ſæpe,*

pe, ſed ad Synodi Baſileenſis, Euſebiique Amortìi auctoritatem confugit, ut Puſendorfii ſententiam catholicam efficiat; ſed fruſtra. p. 239

§. VII.

Quam id Puſendorfianæ doctrinæ genus repugnet Catholico dogmati, demonſtrat Divina per Apoſtolos, Patreſque latiſſime propagata, atque ad nos uſque continenter perducta traditio.

XVI. *Deſcribitur rurſum, ſed brevius, Puſendorfianum dogma, ut illud Febronius memori mente teneat.* p. 254

XVII. *Multitudo Chriſtianorum tanta eſt, ex intentione Chriſti, quanta ſatis eſſe ad conſtituendum Statum, ſeu Civitatem poſſit. Id negans Puſendorfius cum Scripturis, Traditioneque Majorum pugnat.* p. 255

XVIII. *Multitudo Chriſtianorum Eccleſiam conſtituit, quæ una ſit, & extra quam ſalus eſſe non poſſit.* p. 265

XIX. *Chriſtiana Eccleſia ea conſociatio eſt, ut alii in ea præſint, regant, præcipiant &c; alii ſubjiciantur, regantur, pareant &c.* p. 285

XX. *Puſendorfiana doctrina de forma Regiminis Eccleſiæ, in qua Pontifex Romanus nihil præcipui juris, auctoritatiſque obtineat,*

neat; neve Caput ſit ; reprobatur a Patribus, damnaturque ab orthodoxis quibuſque Eccleſiis, Gallicanis præſertim, ut verbis Chriſti, dogmatique Fidei adverſaria. p. 305

XXI. *Sit ne Eccleſia Civitas, ſive* Status, *ut barbare Puſendorfius, quem modo ſequitur Febronius, ſcribit. Is Febronius neque res, neque verba definiens ſic agit, ut ſecum pugnet. Quid Civitas ſit, oſtenditur veterum teſtimoniis; demonſtraturque Scripturarum, Patrumque auctoritate, Eccleſiam dici apte Civitatem poſſe.* p. 315

XXI. *Obſtaret Febronio S. Auguſtinus, etiamſi is Eccleſiam non proprietate verbi, ſed comparate Civitatem eſſe diceret. Quam æſtuet Febronius, quamque ſe implicet.* p. 324

XXII. *Febronius Majoritatem Hierarchiæ attribuens, non Majeſtatem; Jureque Canonico ſe niti dicens, labitur, atque a Majorum doctrina recedit.* p. 330

XXIII. *Labitur Febronius Ariſtoteli, ut auctori, attribuens doctrinam, quam ab aliis multo ante Ariſtotelem fuiſſe propoſitam, & adſertam liquet. Hanc cum tollat Febronius, tollat neceſſe eſt omnem Eccleſiæ gubernandæ rationem. Febronii cum ſe ipſo pugna. Is in errorem recidit Puſendorfii.* p. 343

XXIV. *Eo*

XXIV. *Eo conſilio tollenda dici, videbuntur fortaſſe, a Febronio vocabula Monarchiæ &c. ut ſimul tollatur Eccleſiæ Regimen; quod ferendum non eſt.* p. 349

XXV. *Veretur Auctor, ne qui exiſtant, qui Febronium conari putent, Monarchias; & Reſpublicas ab Optimatibus rectas evertere.* p. 350

XXVI. *Eccleſia non eſt merum, proprieque dictum Collegium.* p. 351

§. VIII.

Adverſus eam, quam Puſendorfius tuetur, ſententiam actum ab Synodis, ut adverſus hæreſim, publica etiam exſecratione fuit.

XXVII. *Quid Synodus Tridentina, quid Conſtantinopolitana I. Ephsina, Chalcedonenſis, Lateranenſis. IV. Conſtantienſis, Florentina contra eam doctrinam ſtatuerint, quam Puſendorſius tuetur.* p. 357

§. IX.

Eadem Puſendorfiana doctrina, ut inimica Catholicæ Fidei, ab Eccleſia Gallicana rejicitur.

XXVIII. *Synodi, Conventuſque Epiſcoporum Galliæ doctrinam hæreſiarcharum Marſilii Pa-*

Patavini, & Martini Lutheri, aliorumque Novatorum poteſtati Eccleſiaſticæ, ac dignitati, auctoritati, juriſdictioni Pontificiæ inimicam reprobantes, doctrinam item, quæ eodem recidit, Puſendorſii reprobant. p. 363

XXIX. *Gallos, qui Puſendorſianam doctrinam rejiciunt, ægre laturos, quæ de Regiminis Eccleſiaſtici forma Febronius ſcribit, oſtenditur.* p. 370

§. X.

Eadem Puſendorſii doctrina ab ceteris quibuſque Eccleſiis Orthodoxis, ut fidei Catholicæ repugnans, reprobatur.

XXX. *De Italicis Eccleſiis non dubitat Febronius. Ceterarum ſunt nobis Catechiſmi, Synodorumque Decreta in promptu, quæ demonſtrant, quam ipſa Puſendorſiano dogmati adverſentur. Hoſce Catechiſmos, atque hæc Decreta, ſi opus fuerit, afferemus.* p. 381

§. XI.

Puſendorſianam doctrinam non ſolum Græci Schiſmatici, ſed ne Proteſtantes quidem magnam partem ferendam cenſent.

XXXI. *Græci Schiſmatici, etſi Pontifici Romano principatum in Eccleſia jure divino conceſſum errantes negent, certam tamen a Chriſto inductam Eccleſiæ gerendæ formam credunt, credendamque docent, contra atque Puſendorſius velit.* p. 382

XXXII. *Proteſtantium pars magna contra Puſendorſianam ſententiam pugnat; ſuntque eorum aliqui, qui ipſam in erroribus numerent.*

§. XII.

Ex hactenus conſtitutis rebus, non componi quidem Febronii opera, ut ille blanditur ſibi, ſed turbari majorem in modum pacem, viamque ad nova diſcidia pandi liquet.

NOS

NOS FR. JOANNES THOMAS

TIT. S.SYXTI S.R.E. PRESB. CARDINALIS

DE BOXADORS

UNIVERSI ORD. FF. PRÆDICAT. HUMILIS

MAGISTER GENERALIS,

ET SERVUS.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate Officii licentiam concedimus, quantum in Nobis eſt, R. A. P. M. Fr. Thomae Mariæ Mamachi Provinciæ noſtræ Romanæ Theologo Caſanatenſi typis edendi: *Epiſtolarum ad Juſtinum Febronium Juriſconſultum de ratione regendæ Chriſtianæ Reipublicæ, deque legitima Roman. Pontif. Poteſtate*, *Librum primum*: dummodo a duobus S. Theologiæ Profeſſoribus Ordinis noſtri probetur, ac ſerventur cetera de jure ſervanda. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Dat. Romae in Conventu noſtro S. Mariæ ſupra Minervam die 17. Aprilis An. 1776.

F. JOH. THOMAS CARD. DE BOXADORS
Magiſter Ordinis.

Reg. pag. 29.
Fr. Dominicus Vincentius Maria Bertucci Mag. Provincialis Daciæ, & Socius.

ADPROBATIONES.

Jubente Emo, & Rmo Patre S. R. E. Cardinali Fr. Jo. Thoma de Boxadors totius Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali, attente legi primum Tomum Operis Clariſſimi Viri Fratris Thomæ Mariæ Mamachii ejuſdem Ordinis S. Theologiæ Magiſtri, & Theologi Caſanatenſis, in quo magno ſtudio, mira eruditione, ac perſpicuitate incomparabili, inchoata videtur, quam tanti nominis Auctor ſibi ex Religionis zelo ſumendam exiſtimarat, nimirum Juſtini Febronii Juriſconſulti confutatio, ſane non acri, non arido, non calumnioſo, ſed ſuavi, eleganti, & chriſtiano ſtilo; non levibus, ſed graviſſimis argumentis tam ab auctoritate, quam a ratione depromtis; non iracunde, ſed pacifice; non demum captioſe, ſed ſolide, clare, & nervoſe ſuſcepta. Quamobrem aureum hoc Opus, dum Lectorem in ſui rapit admirationem, ipſum inſignem Auctorem egregie in eo commendat, quod non videatur alium ſibi præfixiſſe ſcopum, quam ut adverſarium ab erroribus, in quibus verſari videtur, non obſtante Scriptorum haud paucorum oppugnatione, ad ſanam reduceret doctrinam; quod profecto pronum eſt credere eventurum tam ex prajactis in hoc primo Tomo fundamentis, quam ex majori argumentorum pondere, quod in ceteris, ſuo tempore edendis, obſervandum erit. Prodeat igitur in lucem iſtud novum, & præclarum zeli pro Domo Dei ſpecimen, quo laudatus, ſed numquam ſatis laudandus Auctor ſibi ſemper conſtans flagrat, ubi oporteat Sanctæ Sedis ſplendorem, atque prærogativas vindicare. Ita cenſeo. Romæ apud Minervam 13. Aprilis 1776.

Fr. Carolus Kellus S. Theologiæ Magiſter Theologus Caſanatenſis.

Juſſu

JUſſu Emi, & Rmi Domini Patris Joannis Thomæ de Boxadors S. R. E. Cardinalis, univerſique Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, perlegi ſtudioſe Epiſtolas, quibus eximius Vir Fr. Thomas Maria Mamachi Caſanatenſis Theologus expoſtulat de doctrina a Juſtino Febronio defenſa reconciliandæ pacis cauſa Proteſtantes inter, & Catholicos. In his autem Epiſtolis minus accurati offendi prorſus nihil; profundæ contra, ac vaſtæ eruditionis comperi plurimum, qua Clariſſimus Auctor Febronianum Syſtema, SS. Patrum traditione, ipſiuſque etiam Gallicanæ Eccleſiæ ſententiis librat; illudque ab æquo, & vero longe diſtans oſtendit; parique ſoliditate, ac fidelitate ejus Theoremata in quinque voluminibus diſperſa colligit, & ad invicem collata, nitide exhibet, ac refellit. Cenſeo igitur Opus hoc utiliſſimum publico; ac plane dignum, ut typis evulgetur.

Dabam Romæ in Collegio Minervitano 16. Aprilis 1776.

Fr. Euſtachius Bous S. Ord. Præd.
Theolog. Caſanat.

QUo latius in dies ſerpunt, pluriumque manibus avide teruntur, quæ de Statu Eccleſiæ ſcripſit, & aliis, atque aliis editis identidem Libris confirmare pergit Juſtinus Febronius; eo ſane optabilius, ut Viri ſacrorum ſtudiorum laude præſtantes in illorum refutatione ſedulo verſentur, ne (uti appoſite monuit olim Arnobius ſub initium Lib. I. adverſus Gentes) *aut ille ſibi videatur, popularia dum verba depromit, magnum aliquid dicere; aut, ſi nos talibus continuerimus ab litibus, obtinuiſſe ſe Cauſam putet victam ſui vitio, non aſſertorum ſilentio deſtitutam*; neve, quod multo quidem pluris intereſt, maximo cum pacis, unitatis, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimento, incautis forte,

vel

vel minus peritis imponant. Quamobrem gratulandum profecto, Virum longe Clariſſimum P. Thomam Mariam Mamachium Febronii oppugnandi onus poſt ceteros ſuſcepiſſe, ſcriptis ad ipſum Epiſtolis *De Ratione regendæ Chriſtianæ Reipublicæ, deque legitima Rom. Pontificis Poteſtate*. Quam ſtrenue, ingenioſe, ſcienterque perdifficilem, plenamque laboris rem fuerit perſequutus, ii facile judicabunt, qui non expertes Eccleſiaſticarum Diſciplinarum opus ſumma induſtria elaboratum ſtudioſe perlegerint. Quod ad nos potiſſimum attinet, illud adfirmamus, in priore ejus Libro, quem Rm̃us S. A. P. Magiſter Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius nobis recenſendum detulit, omnia, quantum quidem adſequi potuimus, Orthodoxæ Religionis Decretis, incorruptæque morum Diſciplinæ egregie congruere; itaque nihil obeſſe, quominus communi omnium commodo typis in vulgus efferatur.

Romæ prid. Kalend. Majas An. 1776.

Nicolaus Salulini Sacrorum Canonum in Archigymnaſio Sapientiæ, & in Romano Collegio Juris publici Profeſſor, nec non S. Congregat. Indicis Conſultor.

Joſeph. Ant. Reggi Biblioth. de Comitibus Præf. & P. in Collegio Rom. S. Script. Prof.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

F. A. Epiſc. Montis Alti Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

AD-

P*Ag.6. lin. 9.* chriſtianae : *corrig.* chriſtiane. *Ibid. lin.22.* Paululum : *corrig.* Paulum. *Pag.7.lin.18.* aprte : *corrig.* aperte. *Pag.8. lin.8.* conſectar : *corr.* conſectari. *Pag.10.lin.8.* abuſum : *corr.* abuſuum. *Pag. 42. lin.* 10. omnino novem : *corr.* omnino treſdecim. *Ibid.lin.12.ſq.* Hoc novennio : *corr.* Hoc annorum XIII. intervallo. *Ibid.lin.30.* ptomiſerat : *corr.* promiſerat. *Pag.64. lin.9. adnot.* earent : *corr.* carent. *Ibid.lin.20.* delei : *corr.* delai. *Ibid.lin.21.* RUPTURAE : *corr.* RUPTURE. *Pag.74.lin.7.* unieſre : *corr.* univerſe. *Pag.93.adnot.lin.6.* CAESARUS : *corr.* CAESARIS. *Pag.107. lin.18.* eumburi : *corr.* comburi. *Pag.108.lin.8.* quiquid : *corr.* quidquid. *Ibid.lin.14.* jure magiſterio : *corr.* jure, magiſterio. *Pag. 111. in not. marginali lin.12.* plena : *corr.* plenum. *Pag.112.in adnot.lin.3.* diritropolitico : *corr.* diritto politico. *Pag.121.* Locus, quem in Adnotationem hujuſce paginæ Secundam tranſtuli, cujuſnam ſit, neſcio. Eo autem ipſum dumtaxat conſilio deſcripſi, quo Febronianum Librum a plurimis Germaniæ Epiſcopis fuiſſe proſcriptum oſtenderem. Ceterum non paruiſſe Decretis eorumdem Epiſcoporum Febronianos, non inde effici volui. Non enim eſt opus teſtimoniis, ſi res ipſa clamet. Ac res quidem ipſa clamat, perſtare eos in ſententia, idque eniti, ut laudibus auctoritate operis confirmata, numerus ipſorum augeri poſſit. Jam vero ſit ne ex eo loco, quem deſcripſi, conſequens, a Febronianis (extenuandorum Decretorum Epiſcopalium cauſſa) petitionem Pontificiam prohibendi Operis, adhæſionemque Epiſcoporum ad Romanam Cenſuram commemorari, quaſi hæc adhæſio artibus ſit extorta Romanæ Curiæ; nec ne ſit conſequens, non laboro. His certe Decretis Epiſcoporum Febroniani non paruerunt; quod ſatis mihi eſt. Artes autem exprobrari à Febronio Romanæ Curiæ (quo jure, ipſe viderit). eamque ob cauſam in Romanos invehi eumdem Febronium, perſpicuum

Digitized by Google

cuum ex ejus Voluminibus quinque eſt. Id autem, an ſit ferendum, cuique conſiderandum relinquo. *Pag.* 127. *hæc addantur*. Quæ de Febronio, quaſi contra Decretum Nicænum de Paſchate ſtomachans, contentim egerit, dixi, eo dixi, quo proponi ab eo tot in id Decretum objecta viderem, quæ ſolvenda non putavit, cum tamen ſolvenda eſſent ab eo, qui adoleſcentes Catholicos in Jure Canonico inſtituere ſe velle profiteretur. Ceterum ſi id Decretum probandum ille, magnoque in pretio, ita ut par eſt, habendum credit; quæ dixi, indicta volo: quamquam rogo, ut quæſtiones illas, atque objecta ſolvat, ne qua inferri Sanctiſſimæ Synodo injuria videatur. *Pag.* 128. *lin.* 1. inſiititutum: *corr.* inſtitutum. *Pag.* 136. *not. lin.* 3. EXRCITIO: *corr.* EXERCITIO. *Pag.* 137. *lin.* 3. te auctore erit: *corr.*, te auctore, erit. *Pag.* 140. *in not. lin.* 12. agnoſſent Ugenium: *corr.* agnoſſent, Eugenium. *Pag.* 144. *lin.* 2. preſertim: *corr.* præſertim. *Pag.* 155. *in adnot. marginal. lin.* 6. oſtendet: *corr.* oſtenditur. *Ibid. lin.* 8. Febronii Eccleſiaſtici: *corr.* Febronii, Eccleſiaſtici. *Pag.* 165. *in not. margin.* nos: *corr.* non. *Pag.* 233. *lin.* 8. præminentiam: *corr.* præeminentiam. *Pag.* 237. *lin.* 28. (qui auſcultaris Pufendorſio fuiſſe): *corr.* (qui auſcultaris Pufendorſio) fuiſſe. *Pag.* 256. *lin.* 14. teſtamentis: *corr.* teſtamenti. *Pag.* 265. *lin.* 14. intereſſe: *corr.* intereſſe. *Pag.* 273. *lin.* 11. que: *corr.* quæ. *Pag.* 278. *lin.* 7. Pictavianſis: *corr.* Pictavienſis. *Pag.* 281. *lin.* 18. diffiſis: *corr.* diffiſſis. *P.* 283. *lin. penult.* orbem univerſum: *corr.* univerſum. *P.* 289. *lin.* 14. præſſent: *corr.* præeſſent. *P.* 290. *lin.* 10. præsbyteris: *corr.* presbyteris. *Pag.* 298. *lin.* 5. volentium: *corr.* nolentium. *Pag.* 318. *lin.* 5. ed: *corr.* ad. *Pag.* 325. *lin.* 10. Demecratiæ: *corr.* Democratiæ. *Ibid. lin.* 19. aliquam: *corr.* aliqua. *Pag.* 331. *in adnot. lin.* 2. ſingit: *corr.* fingit. *Pag.* 339. *lin.* 4. ceteri: *corr.* ceteris. *Pag.* 348. *lin.* 13. univerſo: *corr.* univerſo. *Pag.* 349. *in adnot. lin.* 2. eelebratis: *corr.* celebratis. *Pag.* 361. *lin.* 22. præſeribitur: *corr.* præſcribitur. *Pag.* 361. *lin.* 7. preſidum: *corr.* præſidum. *Idem corr. pag.* 367. *lin.* 4. *Pag.* 372. *in adnot. lin.* 3. chriſtlana: *corr.* chriſtiana.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google